PETRI SALII

DIVERSI

DE

MORBIS PARTICVLARIBVS.

PETRI SALII DIVERSI FAVENTINI·

Medicorum sui ævi facilè Principis.

IN AVICENNÆ LIBRVM TERTIVM

DE

MORBIS PARTICVLARIBVS

TOTIVS CORPORIS, ET EORVM CVRATIONE.

ANNOTATIONES LVCVLENTISSIMÆ·

Opus Posthumum, nunc primùm in lucem editum.



PATAVII, Typis Petri Mariæ Frambotti Bibliopol. MDCLXXIII.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.

Illustrissimo ac præstantissimo Viro

D. RAYMVNDO IOANNI FORTI

IN PATAVINO GYMNASIO MEDICINÆ PRACTICÆ PROFESSORI PRIMO.

SI Medicinæ parens Apollo neminem consilij, atque opis indigum templo arcebat, ius mihi, fasque sit, non nouo hospiti, Oraculi sedem subire, & qui salutis effata, typis meis olim publici iuris feci, nouam prælo dignationem adijcere, ac PETRI SALII *Medici celeberrimi opus recenter excusum, tibi Medicorum facile principi sacrare. Et ille Pythius quidem, terrarum vmbilicum colens, populos, ac Reges, vt est apud Ennium, consilium expetentes, suarum rerum incertos, ex incertis certos, compotesque consilij dimittebat. Tu Principes, ac populos, non consilij tantum, sed salutis, ac vitæ compotes reddis, tum cum nulla salutis spes affulget, & vitæ finis, atque ineluctabile fatum imminet.*

Nec plebi modo, quanquam & hanc respicis, atque ignotis capitibus salutifer ades, animasque ademptas vulgo reddis: sed ipsi Reges, ac proceres, quique sibi Dij videntur, opem tuam certatim exposcunt, quoties fata supremam necessitatem, summa infimis æquantem intonuêre, vitæque, ac necis mortalium domini, tuis de Iudicibus sententiam laturi, arbitrium expectant, & aliqui penè tibi prius, quam Cælo vota numerant: non vt ex incertis certi sint, sed vt sint, & valeant.

Damnas tu quoque votis, fatis intercedis, æuique legem prorogas, & cum vita imperium reddis, ac sceptra reponis. Itaque plures se tibi debent, quibus populi omnia ferunt accepta: & hoc insuper tibi, per quem effectum est, vt plura etiam sperare liceat. Et quamuis te, summæ illæ potestates, amplissimis præmijs, & opimis congiarijs, vsque in inuidiam complexi sint, saluis auctoramentum beneficio tuo minus est.

Inde tibi ingens dignatio, atque opes priuatum censum supergressæ, qualesque

Princi-

Principum seruatorem decent. Sed tu fortunæ vbique par, magnificentia, splendore, familiæ cultu, atque omni paratu; eum ipsis, quos vitæ redonasti, certans; Vt veteres illos Erasistratos, Musas, Aruntios, Stertinios, tam artis præstantia, quam præmijs æquaueris. Non horridus, & incomptus, & tristi supercilio morbum prægrauans: sed serenus, & blandus, miti alloquio ægrorum spem, ac vota proliciens; Non opum auidus accumulator, sed quas honeste comparasti, honestius erogans.

Ergo te in Gymnasio oracula loquentem, densum humeris bibit aure, non vulgus, sed delibatus ex toto Orbe iuuentutis flos, id à te discit, quod penè solus potes. Nec per Italiam modo, sed apud exteras gentes, aduersus morborum legiones, & mortis imperium, solius Libitinæ damno, quotidie pugnantem, & plures propè palmas, quam dies numerantem, ita Europa admiratur, vt posse à te, si fas est dicere, depositos, & conclamatos feretro eripi, & funera retroagi, sibi persuadeat.

Faue igitur artificio tuo, & in hoc Medici spectatissimi Opere, magnitudinem tuam circumspice, si non vitam, quam ceteris præstas, nominis tui præscriptione, immortalitatem largiturus. Nos cum tibi prolixa æui spatia vouemus, idem nobis, ac liberis precamur, qui munere tuo, fragile æuum, & caducum extendimus. Vale bono publico.

Patauij XII. Nouemb. MDCLXXIII.

Amplissimo nomini tuo

Deuinctissimus Cliens
Petrus Maria Frambottus.

CAN.

CANDIDO LECTORI.

PRodit tandem aliquando in luminis oras magni SALII DIVERSI aureum opus Annotationum in Auicennæ Librum Tertium de Morbis Particularibus, quod tandiù vota, & expectationem doctorum Æsculapij Mystarum sollicitauit, & traxit, vel eò potissimum nomine, quod diutius in tenebris delituerit, ac tantum non cum blattis, & tineis luctatum fuerit, donec Pauli Frambotti Bibliopolæ, Τῦ μακαρίτυ, studio, impensis, ac sollicita diligentia, quæ semper in euulgandis præstantissimorum Auctorum literarijs monumentis adhibuit, ex obliuionis densa nocte qua premebatur, in clarissimam literati Orbis lucem prodijt, tanto omnium applausu, & admiratione, vt illud veluti nouũ sidus suspiciant, & venerẽtur, cuius vtpotè Auctor tanta nominis celebritate floruerit, vt ceteris doctrinæ in Medica Arte palmam facilè præripuerit, ac propterea Hippocratis Genius, ac Mens nuncupatus fuerit; adeò quippe, obscuri alioquin Auctoris animi sensus elucidauit, vt ipsius ore locutus videatur, & cui, Auctoris, an interpretis potiores deferret partes lector ambiguum habuerit, potissimum verò in eiusdem libris de Morbis, reconditis maximè, imò & tenebricosis, quos luculentissimis Commentariis illustrauit adeò, vt iam consulentes oracula illa non ancipiti responso eludant.

In primis verò commemorare iuuat summam SALII in Medicina faciendâ, doctrinam, iudicium, ac experientiam, quibus, ceteris omnibus Medicis antecelluit, quorum causa eius fama, vt cum Philostrato loquar, in sublimi gloriæ curru, Italiam, imò totam Europam peruagata est, vt ægri eius oracula peterent conserti, non alia ratione, quam Pythiæ olim Delphis, quæ ex auro, lauroque profatur; quam & Principes ipsi tanta in veneratione habuerunt, vt vel deploratæ salutis, minus horrendam, imò & iucundam magis mortem obirent, quam ipsis præco veluti præunciasset SALIVS, cuius laudum mihi adeò amplus patet campus, vt eas verbis implere cogitanti, vberior mihi magis magisque se ingerat, & obtrudat earundem seges, atque Claudiani illud apprimè vsurpandum videatur, de laudibus Stiliconis.

Singula complecti cuperem sed densior instat; Gestorum series, laudumque sequentibus vndis Obruimur.

Vt propterea pluribus abstinendum censeam, ne illud mihi contingat, quod Plinius de iis refert, quorum laudibus pereunt laudata, atque magni Viri decus, & gloriam, quibus omnem laudationem superauit, vberiori encomio deteram, & minuam. Quò tibi verò Candide Lector operis huius ratio constet, scire te velim, Auctorem omnes absolutissimi Interpretis in hoc opere impleuisse partes, Auicennæ scil. recondi os, & obscuriores animi sensus, reclusisse, & illustrasse, Textum corruptum genuinæ, & veræ lectioni restituisse; quanquam Interpretum eiusdem illius æui vitio id potius adscripserim, qui tum Arabici sermonis imperiti, tum Latini infensissimi hostes, vtpotè qui Diomedeæ velut aues, puriores Phineas dapes fœda illuvie corruperunt; quæ item ab Auctore prætermissa, aut neglecta, redintegrauit, & suppleuit, adeò vt nihil desideres, quò tibi solidioris omnis doctrinæ pateat thesaurus. Fruere itaque his laboribus, quos diurna, nocturnaq; manu versare ne desinas suadeo, atq; ex his doctrinæ integris fontibus, puriores latices haurias, quibus pectus, Musarum sacrarium, prout eloquentiæ dixit Quintilianus, perfundas, & impleas, non sine luculenta spe vberioris fructus, qui ex his te manet. Vale, & diligentiam nostram, iuxta ac nonnullos labores in tuos vsus, æqui, boniquc consule.

Noi

Noi Reformatori dello Studio di Padoua.

Hauendo veduto per fede del Padre Inquisitore di Padoua nel Libro intitolato *Petri Salij Diuersi Fauentini Annotationes in Lib. 3. Auicennæ*, non esserui cosa alcuna contro la Santa fede Cattolica, è parimente per attestato del Segretario nostro, niente contro Prencipi, e buoni costumi, concedemo licenza, che possi esser stampato, osseruandosi gl'ordini, &c.

Dat. à 2. Marzo 1665.

{ Zuanne Donado Ref.

{

{ Battista Nani Cau. Proc. Ref.

Angelo Nicolosi Segr.

PETRI SALII DIVERSI

Annotationes in Lib. 3. Auicennæ.

Cap. I.

CAput animantibus perfectioribus datum est, ut in eo, motus, ac sensus principio, idest cerebro ipso, locato, ad tutelam reliqui corporis sufficeret. Hoc enim, tanquam speculator, in alto constitutus, noxia, ac innoxia circunspiciens, hæc non refugere, & ab illis declinare corpus facit; noxia, & innoxia, per quatuor sensus, ei adiacentes, & proximos deprehendit: nam per odoratum, à prauis euaporationibus, & propriæ animantis naturæ inimicis odoribus refugit, delectabiles autem, & proficuos prosequitur; per auditum, strepitus, fragores, ruinas, aduersantium minas, horribilium animalium voces deprehendens, hæc fugit; blanditias autem, & sonos, & cantus, & voces delectabiles audiens, ad consortia consimilia deducitur; per gustum, sapores diiudicans, à noxijs alimentis abstinens, ad utilia promouetur; sed supra omnia, per visum hoc exequitur, cum hinc dignoscat mala à bonis, amica ab inimicis, ruinas, & præcipitia à via plana, & tuta, inimicorum incursus, ab amicorum concursu, ferarum, & bestiarum insultus, ab auxiliantium præsidio, aliaque similia, tam noxia, quam innoxia; quæ omnia cum valde conferant ad animantis incolumitatem, & conseruationem, iure constitutum est cerebrum in loco edito, per quod hæc munia animantibus impertiri queat. Nam si undequaque animal rebus aduersantibus molestari poterat, consonum erat, naturam, ad euitandam molestantium rerum noxam, animalibus, per aliquas facultates prospicere; inter quas, cum visus præcellat, hicque, si undequaque prospicere debet, in alto, & edito loco locandus, ac omnino membrum aliquod extollendum erat, in quo collocaretur; quod membrum, in edito loco firmatum, fuit caput, ut in eo siti oculi, omnia circunquaque possent prospicere. Sed hìc situs nõ poterat esse longè à principio sensus, si exactæ perfectionis erant formandi; quia simul cum his, cerebrum capite conclusum est, & una cum oculis, & cerebro, etiam reliqua tria dictorum sensuum organa. Quintum autem uniuerso corpori communicatum est; quoniam sensus tactus, animalibus partibus, cum vita communicat, qui sensus

tactus dirigitur ad plura, per visum, ita ut per hunc, ut plurimum, vel à nocentibus refugiat, vel ad proficua accedat. Quare immediata causa formationis capitis, est quidem, ut ait Auicenna, ex Gal. ratio situs oculorum; verum & aliorum trium sensuum necessitas ad hoc etiam concurrit, cum hac formali causa, ut animalia inde à noxijs refugientia, & inde utilia prosequentia, sui tutelam, & conseruationem consequantur. Per caput autem, in hoc sensu, intelligamus totam, tum partem, quæ supra collum sita est, includens non solum caluam, & quæ sub ea continentur; sed etiam oculos, malas, nares, aures, & omnia exteriora; sub quo significatu egit Gal. Lib. 8. de Vsu Partium, & sequentibus, de Vsu capitis, & partium eius. Auic. autem, licet tractans de capitis necessitate, & usu, sequatur Galenum, in his explicandis, & rem totam ad situm oculorum dirigat, nihilominus, à dicto significatu declinans, per caput, intelligit solum partes eas, quę cranio continentur; quarum enumerationem recensens, oculos, nares, malas utrasque, & aures ab hac consideratione excludit. Sed si ad capitis necessitatem constituendam, oculorum situs recensebatur, omnino inter eius partes essentiales, oculi, & pariter cætera trium sensuum instrumenta, erant, pari ratione, recensenda; nam eæ partes, quæ alicui parti usum aliquem præstant, etiam partis eius essentiam constituunt. Vnde iure Gal. tractatui de Vsu capitis, addidit tractationem de usu omnium partium caput ipsum constituentium, agens, non tantum de capillis, cute, pericranio, cranio, membranis, & cerebro, ac eius omnibus partibus, verum etiam de auribus, de oculis, de naribus, de maxillis, de dentibus, de lingua, & in summa, de omnibus alijs singulis capitis partibus. Verum Auic. non assentiens tractationi de usu capitis, caput in alio significatu sumens, sibi contradicere videtur, cum huius usum, secundum aliquam considerationem, eiusdem autem partes, secundum aliam exponat. Cum autem, inquit, pilos esse partes capitis, non intelligantur hi inter essentiales, sed quæ sequuntur eas; quoniam pilus necessariò consequitur temperaturam capitis, qui tamen non est eius pars, cum caput constituentes partes omnes sint viuentes; pilus autem non dicitur viuere, quoniam non per nutritionem, sed per fuliginosorum excrementorum expulsionem, partis post partem, augetur; cuius ratione, resecti pili non augentur à summitate, sed à radice; quia cum potius rationem excrementorum, quàm partium viuentium habeat pili, non videntur iure inter partes capitis connumerari, & potissimum, cum sint partes capitis adnatæ, non caput constituentes.

Cap. II. Cerebrum, inquit Auic. quoad temperaturam, factum est frigidum, & humidum, quoad substantiam, pingue, & molle. Frigidum quidem, ob duos usus; quorum alter est, ne inflammetur, vel ex multis, ac vehementibus neruorum motibus, vel ex multis passionibus sensuum, vel ex multis motibus spirituum, in alterationibus, aut imaginationis, aut cogitatiuæ, aut memoriæ; alter est, ut ex eius frigiditate, temperetur spiritus vitalis à corde egrediens, & in ipsum cerebrum penetrans. Humidum verò, propter alios duos usus; quorum primus est, ut per continuum eius motum, non exsiccetur; secundus, ut eius figura sit bona. Pingue autem est factum, ut

id,

id, quod ex neruis oritur, nerui scil. ab eo ortum ducentes, viscosum sit, idest viscidæ substantiæ. Lene autem, idest molle factum est, ex Galeni mente Lib. 8. de Vsu partium Cap. 6. quoniam hoc illi maxime conueniebat; cum sensationes omnes recipiat, omnesque imaginationes, & intellectiones complectatur; ad receptionem autem, mollia corpora sunt disposita. Quare, ut facile in sensibus, in imaginatiua, & in intellectu immutari possit, factum est molle. Sed dico ego, inquit Auicenna, aliter sentiens, cerebrum factum esse lene, ob alias quinque utilitates; quarum prima est, ut sit pingue. Secunda, ut cum nerui ex cerebro, & nucha nutriantur, posset aptum neruorum esse nutrimentum; durum enim, molle corpus instaurare non potest. Tertia, ut nerui ab eo orti possent esse flexibiles; nam cum hi ortum suum cerebro debeant, habeantque duritiem flexibilem, necessariò eius substantia erit flexibilis; talis autem esse non potest, nisi sit lenis. Quarta est, ut spiritus, qui cerebrum permeat, & circundat, & qui motus velocitate in suis operationibus indiget, sit humiditate sustentatus. Quinta, ut ex raritate substantiæ spiritus leuior fiat; nam quæ dura sunt, grauiora sunt his; quæ mollia, humida, & rara. At hæc Auic. sententia multas habet difficultates; nam si frigidum factum est cerebrum, ne inflammetur, à multis, vel animæ, vel corporis motibus, malè actum esset à natura, in cordis, & arteriarum formatione, quæ cum calida sint, & calidiorem sanguinem contineant, continuoque, ac vehementi motu agitentur, atque hinc inflammationis periculum subeant, non calida, sed frigida formari debebant. Præterea, cur timenda est cerebri inflammatio ex passionibus sensuum exteriorum, aut ex alterationibus virtutis imaginatiuæ, vel cogitatiuæ, vel memoratiuæ; cum hæ sint passiones perfectiuæ, & non corruptiuæ, nisi ab excellenti sensibili, & ab obiecto aliarum virtutum nimis vehementi inducantur? Nec etiam videtur factum frigidum, ut ex eo temperetur spiritus vitalis; quoniam, sicuti, nec cerebrum ad contemperandum cordis calorem, ut rectè demonstrauit Galenus Lib. de Vsu Part. & de Plac. Hippocratis, & Plat. contra Arist. factum est frigidum, ita nec tale formatum est ad contemperandos spiritus; quoniam cerebrum, nec ita longe à corde locatum fuisset, nec tot sinubus, ac ventriculis semper se mouentibus, nec continuato motu donatum esset, nec sanguine arterioso in sinubus illis ita repletum esset, immo nec ita calidum ad tactum foret, ut omni tempore calidius aere absente, licet æstiuo, existat; immo continuatus ille, & nunquam interpellatus cerebri motus, & sinus illi sanguine arterioso repleti, semper, ac iugiter pulsantes, attestantur, naturæ fuisse intentum, ut illud, cum materiæ, ex qua formatur, ratione, sit frigidum, eo quod pars seminalis existat, & exinde innata temperie sit frigidum, calidum admodum, ex influenti redderetur; si autem calidum admodum existit ab influenti calore, nequaquam potest refrigerare, aut temperare, per propriam temperiem, spiritus vitales, qui non fiunt in cerebro animales, quia ab eo contemperentur; sed quia in eo alterationem, & immutationem in alteram naturam recipiant; cuius merito, nō per simplicem aduentum recipiuntur in cerebro, sed per plures anfractus, & plura vasa, & plures ventriculos, & sinus admittuntur, ut ex diuturnita-

te, & mora, quam trahunt in illis flexibus, & sinubus, atque ex continuato motu vasorum, & cerebri, concurrente ad hæc specifica ipsius cerebri facultate, ex vitalibus, per ulteriorem alterationem, & coctionem fierent animales. Vnde plexus ille retiformis, in quem spiritus vitales primo recipiuntur, ad similitudinem vasorum seminalium, anfractuosus factus est, ut ea ratione, qua sanguis in illis, ex mora alterationem, ad semen susciperet, in his, vitales spiritus alterationem, ad animales sortirentur, qui postea in ventriculis cerebri elaborati, tandem animales omnino perfectè euadunt. Quare, non cerebrum factum est frigidum, ad temperandos spiritus vitales, qui à corde ad illud ascendunt; immo potius, quia ex innata temperie, cum sit pars seminalis, frigidum erat, prospexit natura, ut per influentem temperiem, concitato in eo continuo motu, esset admodum calidum, ut ex caliditate concepta, possent spiritus, ex vitalibus animales, per ulteriorem alterationem, & coctionem, coctio enim perficitur à calido, elaborari. Quod autem humidum factum sit cerebrum, ne ex eius continuato motu exsiccetur, nec videtur rationi consonum; quoniam, si motus innatus faceret ad exsiccationem præternaturalem, cor ipsum, quod vehementissime, & maxime continuo motu, ex omnibus membris, mouetur, ex proprio motu, celeriter, præter naturam exiccaretur, quod tamen haudquaquam verum est; quinimo ex eo motu maxime conseruatur; quod pariter de arterijs constat, quæ per proprium motum, non magis exiccantur, quam pro earum propria natura, sed potius conseruantur; quia cum motus innatus non faciat exiccationem, nec ea ratione potuit cerebrum humidum formari, ne ex proprio motu exiccaretur. Quod etiam humidum sit factum, ut eius figura sit bona, nec probabile censendum est; quoniam in animantium generatione, forma est ratio materiæ, non autem materia est ratio formæ, ut sæpius docuerunt Arist. & Galen. cuius merito, videmus animalia audacia, dentibus insignibus, unguibus aduncis, vel admodum solidis dotata esse, quibus priuata, sunt timida; quoniam materia sequitur rationem formæ, non forma rationem materiæ. Quod verò factum sit pingue, ut nerui, ortum ab eo ducentes, viscidæ sint substantiæ, mancum videtur; quoniam, licet quod est pingue, necessariò habeat quendam lentorem, non tamen omnino viscidum est. Prima cerebri pinguedo est minima; unde inquit Arist. Lib. de Animalibus 3. Cap. 17. *Cerebrum, ut adipe pinguescentium, pinguiusculum est, ut suis; sic sebo, obesorum, squalidiusculum sentitur, ut ouis.* Neruorum autem visciditas est multa, immo tanta, ut vix abrumpi queant; quapropter hac data improportione, pinguedo cerebri non potest facere ad visciditatem neruorum. Quod vero sit factum lene, & molle, primò ut sit pingue, nec rationabile est; tum quia mollities non indicat pinguedinem, infinitæ enim res molles, nulla pinguedine dotatæ; tum quia pinguedo non semper sequitur mollitiem; quę enim adiposa est, potius dura, quam mollis est. Præterea, si cerebrum factum esset molle, ut esset pingue, mollities proportionaretur pinguedini; at mollities in cerebro multa est, pinguedo minima, quæ si multa esset, potius faceret contra Auicennæ decreta, quam eis faueret; nam cum pinguia, ex se facile inflammentur, si pingue esset admodum cerebrum, facile inflammari

ri posset, cuius contrarium docuerat. Quod verò sit factum tale, secundo, ut neruorum, qui à cerebro, & nucha alimentum suscipiunt, posset esse proportionatum, & aptum nutrimentum, præter rationem dictum est; nam cerebrum est membrum sui generis, nulli parti alimentum conficiens, aut transmittens, neruique, non à cerebro, sed à venis suum alimentum suscipiunt. Quod declarans Galen. Lib. 3. de Naturalibus. Fac. in fine, dicebat. *Tale quoddam cartilagini est mucosum illud, quod & circunfunditur; præterea ligamentis, membranis, & neruis, lentus humor, qui ijs inspersus visitur; singula namque horum, ex multis conficiuntur fibris, quæ & similares particulæ sunt, & vere sensibiles; in medijs vero earum spatijs, qui maxime ipsarum nutritioni succus conuenit, est inspersus; hunc verò ex sanguine traxerunt venarum, electo, inde quoad potuere, sibique simillimo.* Hæc Galen. Ex quibus pateat, neruos à venis, non à cerebro nutrimentum habere. Quoad tertiam utilitatem, quia conuenit cum Galeno, non est quod quid dicam. Quoad quartam vero, quod cerebrum factum sit molle, ut per eius humiditatem, spiritus sustentari queant, videtur dubitari posse; cum spirituum propria sedes sit intra ventriculos, qui lenes quidem sunt, non tamen humiditate abundare debent; hæc enim spiritibus, qui propria essentia sunt ætherei, & ficciores, noxia est, indeque plurima mala in cerebrũ, ac in ventriculos redundare cõtingit. Quoad quintam, nulli dubium, quod dura ex se, grauiora sunt, quæ tamen, dum virtutes sunt robustæ, & facultates vigent, non grauant; hinc ossa, quæ ex se grauia sunt, & pariter totum corpus, homini sano, & valido, non sunt grauia; quoniam, dum à virtutibus reguntur, nequaquam grauant. Quare, mollities cerebro non erit data ad lenitatem; sed ut facile omnes impressiones, tam sensuum exteriorum, quàm interiorum, & omnium virtutum rectricum, facile suscipere posset. Ex quibus concludo, solam Galeni sententiam de mollitie cerebri, admittendam esse; quæ autem superaddita sunt ab Auic. ut Galenum vel reprehenderet, vel diminutum significaret, suspecta, ac forsan reijcienda esse.

Cap. III. *Et ex frigidis quidem putrefactis, consequuntur apostemata calida*, ait Auic. Hinc colligo, sicut alias dixi, Cap. de Lethargo, quod ubi pituita putrefiat, sequatur delirium, pro ratione putredinis, sicut fieri solet ex apostematibus calidis. Quod idem affirmat Auic. Cap. 6. ubi docet, delirium etiam fieri à materia frigida, ubi fuerit calefacta, exemplo lethargi. Eodem Cap. inquit, Apoplexiam aliquando fieri per consensum, & communicantiam alterius membri. Quæ sententia opponitur Galeno, qui semper docuit, Apoplexiam fieri per se affecto cerebro, non autem per consensum, sicut fit aliquando Epilepsia; & forsan traductio mala, Apoplexiam, pro Epilepsia.

Cap. IV. Inquit, dispositiones cerebri cognosci posse, *ex dispositione virtutum, & operationum in membris neruosis, communicantibus cerebro, quæ sunt, sicut matrix, stomachus, & vesica.* Quæ sententia non consentit Gal. qui Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 1. dicebat, eos qui asserunt, quia neruosus uterus est, ideo ipso patiente, & neruorum principium affici, indignos esse, ut ipsorum mentio fiat; sciendumque est, uterum, ventriculum, & vesicam neruosa esse membra, non quia nerueæ sint substantiæ, quæ solum triplex est, vel scilicet ligamen-

tum, vel tendo, vel nervus propriè dictus; sed quia, ut ibidem docet Gal. ipsorum corpus latissimè distendi, contraque in breuissimum spatium contrahi potest; & ideo, cum ratione huius, tantum dicantur neruosa membra, non est quod hinc communicantiam cum cerebro ullam afferamus. Si quæ autem est horum membrorum communicantia cum cerebro, vel ratione neruorum, vel ratione venarum, ut eodem in loco à Galeno habetur, erit, non autem, quia neruosa sint; & ideo ratione huius, non erant numeranda inter membra communicantia cum cerebro.

Cap. V. Habet, quod imagines in oculis apparentes, ubi non fuerint ex proprio oculi affectu, significant læsionem in cerebro. At hoc non est necessarium, cum eædem imagines possint etiam, ratione ventriculi, generari, ut docet Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 1. hæc habens. *Igitur accidentia suffusorum, visis similia videntur, oculis nulla propria affectione molestatis; sed aut oris ventriculi, aut cerebri cognatione id accidere.* Subiungit, ex læsione in auditu, etiam cerebri læsionem significari. At hoc intelligatur iuxta mentem Galeni Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 4. videlicèt, quod utraque auris idem patiatur. Quare dicebat, loquens de omnibus sensibilibus. *Si verò utra mque simul partem lædi contigerit, non nerui proprius, sed in cerebro, loci cuiuspiam, à quo nerui procedunt, primus affectus est.* Aliter autem intellecta hæc sententia, falsa erit. Addit, per læsiones in sensu auditus factas, aliquando significari complexionem siccam in parte medij cerebri. Hoc an verum sit, dubitari potest, cum à siccitate cerebri, nihil tale possit subsequi; siccitas enim potest tollere omnia, ad sonum præter naturam facientia, non autem generare. Galenus quidem Lib. 3. de Comp. Med. secundum Loca, in auribus sonitum persentiri quandoque, ex audiendi exquisita subtilitate, testatus est, quod nulla præsente extranea humiditate fieri debet; tamen hoc non arguit siccitatem cerebri præter naturalem, nec eius læsionem; cum nihilominus siccitas cerebri naturalis, ut habetur Art. Med. Cap. 16. faciat ad perspicacitatem sensuum.

Cap. VI. Agens de significationibus sumptis ex læsionibus factis in sensu odoratus, inquit, quod ubi sentiatur odor rerum fœtidarum, vel non fœtidarum, qui à causis externis non prodeat, signum est materiam, eum odorem facientem, contineri in anteriori ventriculo cerebri, nisi fuerit affectio in strictura narium. At si sensatio odoris in sensu odoratus fieri non potest, nisi attrahatur aer ab extra, usque ad cavum anteriorum cerebri ventriculorum, uti Galenus docet in proprio Libro. Igitur aer ille, medium erit, per quod odor defertur. Si autem medium; ergo non ab interiori, sed ab exteriori producetur odor. Præterea, si sensibile positum supra sensum, non potest facere sensationem; igitur humor intra cerebri ventriculos contentus, sensationem odoratus facere non poterit. Insuper, si humor, vel fœtidus, vel non fœtidus, intra ventriculos cerebri contentus, posset odoris sensationem facere, etiam non inspirante homine, quoniam materia præsto est, odor sentiretur. at hoc falsum est. Quare & falsum erit, materiam in cerebro cōtentam, posse olere. Quare hæc significatio ab Auicenna tradita, quod ubi sentiatur odor, qui à causis externis non prodeat, indicat materiam odoratum

ratum percellentem, contineri in ventriculis cerebri, non est acceptanda, nisi materia illa in ventriculis contenta, propriam affectionem, vel ossi spongoidi, vel mamillaribus processibus, vel narium membranis, & foraminibus impertiatur; quo casu, nulla præsente exterius materia odoratus, sensus moueri potest; quoniam, dum aer externus ad interiores ventriculos cerebri attrahitur, secum defert vaporem, qui à partibus illis eleuâtur, qui postea feriens proprium odoratus instrumentum, in eo propriam odoris speciem inuehit, ex qua sensatio, vel fœtidi, vel non fœtidi odoris generatur.

Virtutes rectrices loco distinctas esse, ita ut Imaginatiua in anteriori cerebri parte, in media, Cogitatiua, in postrema autem Memoria resideat, tanquam antiquum Possidonij dogma, à quo transcripsit Aetius, supponit Auicenna, forsan ex hoc, actionum ordinē, & virtutum læsionē arguens; nam inter actus harum virtutum, primus est Imaginationis. Secundus Cogitatiuæ; quoniam nil cogitare possumus, cuius imaginationem prius non habuerimus. Tertius memoriæ; quoniam ea tantùm memoramus, quæ vel imaginati fuerimus, vel cogitauerimus. Si autem actus hoc ordine procedunt, ita etiam huic ordini instrumenta respondere debent. Ergo in primo loco, Imaginatiua; in secundo, Cogitatiua; in tertio, Memoratiua residere debet. Quas easdem virtutes loco distinctas esse, videntur etiam comprobare earundem læsiones; nam cum una lædi, altera illęsa, queat; ęditur enim aliquando imaginatio, illęsa cogitatiua, & memoria; quandoque autem harum altera, illis illęsis remanentibus, videtur hinc clarè colligi posse, eas loco distinctas esse; nam si in eadem parte residerent, una harum virtutum læsa, cæteræ pariter læderentur. At hęc sententia, sicuti nusquam à Galeno, qui exactissimè de omnibus cerebri partibus agens, Lib. de Vsu Partium, huius nunquā meminit, citatur, ita pariter reijcienda venit. Nam cum cerebrum, per propriam temperiem, sua munia, mediantibus spiritibus, & præcipuè his, qui in postremo ventriculo continentur, obeat, indistincta erit, ac promiscua harum virtutum in cerebro sedes. Nec ordo actuum, ordinem in instrumentis necessario producit: nam partes corporis nostri, in Facultatum Naturaliū actibus ordinem habent; nam primo appetunt; secundo retinent; tertio concoquunt; quarto excernunt, non tamen ullus est in his instrumentorum ordo, cum eadem pars omnibus his facultatibus, successiuo tamen ordine, sufficiat. Nec etiam ex eo, quod una lædatur, altera illęsa, probari potest, loci, ac instrumenti distinctio; nam quanquam membrum unum, plures facultates, quæ per diuersas functiones operentur, habeat, non necessario, ad unius læsionem, cæteræ læduntur; unde fit, ut cum in toto ventriculo sint facultates attrahendi, retinendi, concoquendi, & expellendi, quæ omnes in eadem parte sedem habent; nihilominus haudquaquam hinc sequitur, ut una ex his facultatibus læsa, necessario cæteræ lædantur; nam quandoque læditur vis attractrix, reliquis illæsis; quandoque autem illa illæsa, una ex his sola læditur; quod idem, sicuti constat in cæteris partibus, & facultatibus, ita mirum non sit obtineri in cerebro; hoc enim, licet per eandem partem imaginetur, ratiocinetur, & memoret, tamen ad læsionem huius partis,

tis, non omnes pariter læduntur virtutes, sed una tantum lædi, altera illæsa remanente, potest. Modus etiam applicandi medicamenta capiti, hoc idem persuadere potest; nam syncipiti hæc tantum, in quacunque virtutum læsione, administrantur; si autem memoria in posteriore cerebri parte, ratiocinatiua in media resideret, syncipiti tantum, læsa existente imaginatione essent apponenda; læsa autem memoria, ad occiput; sicuti in læsione cogitatiuæ, in medio applicanda essent. At hęc nequaquam fiunt, nec si fierent, proficua forent; ratio immediata horum est, quoniam omnes virtutes in eodem loco resident, & per medicamenta, eidem parti applicanda, curari debent.

Cap. VII. *Amplius, cum omnis humiditas facit somnum; senum enim, non humiditate complexionum ipsorum, prolongantur vigiliæ. Et Galeno quidem videtur, quod illud est ex qualitatibus humiditatum nitrosarum; ipsæ enim vigilare faciunt, propter nocumentum, quod cerebro inferunt.* Hæc Auic. Ex quibus duo habemus; alterum, quod senes ex Gal. licet humiditatibus abundent, tamen sunt vigilantes; quia eorum humiditates sunt nitrosæ; alterum, quod humiditas simplex somnum producit, nitrosa autem, vigilias. At Gal. de senibus Lib.3. Aph. in fine, aliter loquens, dicebat, in senibus, multitudinem superfluitatum pituitosarum aceruari; *quæ si in cerebro aggregentur, somnolenti fiunt; si autem excernantur, peruigilant.* Ex quibus Galeni verbis, primò habemus, senibus non esse proprium vigilare; cum illi sint somnolenti, in quibus pituita in cerebro aggregatur; secundò, quod nec proprium est senibus abundare nitrosa, & salsa pituita; quoniam si hoc eis esset proprium, nunquam essent somnolenti. Quod autem pituita salsa, & nitrosa faciat vigilantes, non undequaque verum est, nisi pituita admodum salsa existat; nam quæ non multum in hac qualitate excedit, facit quidem vigilias, sed cum quadam inclinatione ad somnum; inducere enim solet coma non somnolentum, ex quo in somnum, ob materię pituitosæ naturam, inclinent, dormire tamen haudquaquam possint, ob vellicationem à nitrosa qualitate illatam.

Cap. VIII. Illa verba, *quod si adest superfluitatum retentio, cum leuitate capitis, significant siccitatem, absolute,* videntur contradictionem implicare; cum superfluitatum retentio, grauitatem; leuitas autem, superfluitatum absentiam denotare videantur. Quare, ad tollendam difficultatem, exponatur illa superfluitatum retentio, hoc sensu, quod si superfluitates non adsint, & inde non excernantur, significant siccitatem, si cum leuitate capitis hoc contigerit.

Cap. IX. Mirum est id, quod inquit Auicenna de odoribus, cerebrum calidæ complexionis, iuvantibus, dicens, odores fœtidos, non bonos, quales *sunt limosi*, prodesse, & iuvamentum afferre cerebro calidiori; nam fœtida, qualis est limus, talem odorem ex putredine concipiunt; putrida autem omnino sunt calida; si autem hæc fœtida sunt calida, quomodo cerebrum calidum iuvare poterunt? & hoc eo magis, cum talia non solum haud quaquam sint delectabilia, verum etiam abominabilia existant.

Cap. X. Id quod Paulus, & Aetius dixerunt de cerebri inflammatione, in qua affirmant, cerebrum adeo intumescere, ut inde ossa capitis disparentur, transfert Auic. ad cerebri erysipelas; & hoc forsan sine ratione; cum ex erysipelate parum tumeant partes affectæ, plurimum autem ex inflammatione;

ne;

ne; sed, an ex inflammatione cerebri possint ossa capitis disparari, alias dixi meam sententiam.

Cap. XI. Si per *Almulsafata*, intelligatur illa forma capitis, in qua deest aliqua sutura principalis, omisit Auicenna capita rotunda, & sphærica, quæ vitiosa sunt, & à Gal. damnantur Lib. 9. de Vsu Partium Cap. 17. qui Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 3. satis luculenter examinans capitis formam, & magnitudinem, declarat, quæ ad hæc dignoscenda pertinent; præcipuè autem ad cognitionem capitum acutorum, vel non acutorum.

Cap. XII. Inter signa, sanguinis abundantiam in cerebro attestantia, recenset pulsationem. At pulsatio in capite, non sanguinem abundare, sed vel inflammationem, vel flatum adesse significat; unde Gal. Lib. 1. ad Glauc. in fine, dicebat, dolores capitis, qui cum grauitate, & pulsu fiunt, ab inflammatione fieri; si verò sine grauitate, sed cum tensione, ac pulsu, ab inflammatione corporis membranosi dependere; flatus autem arterijs inclusus, siue hoc propter obstructionem, siue ob aliam causam contingat, semper pulsationem efficiunt. Quare hæc pulsatio non erit certum sanguinis indicium, sed forsan per quandam consequentiam; cum, præsentibus alijs enumeratis signis, possimus conijcere inflammationem; inflammatio autem à sanguine prouenit. In casu autem flatus abundantis, non aderunt cætera signa sanguinem demonstrantia; vel si adfuerint, non erunt sola, quia signa flatuum simul cum eis aderunt.

Illa vltima verba, *& cum hoc, quandoque significant secundum suam perseuerantiam; dolor enim cum perseuerat in anteriori capitis parte, & posteriori eius, significat carabitum, seu phrenesim*, sunt in sensu dicto satis diminuta; quoniam sola doloris perseuerantia ad hoc inepta est, nisi alia multa connexa sint; vtputa, biliosi humoris præsentia, abundantia, feruor, ac febris.

Cap. XIII. Linguæ colorem, supra cerebri dispositiones significare posse, monet, exemplo albæ, in lethargo, citrinæ, & nigræ, in phrenitide; de citrina autem, cum viriditate venarum, quæ sunt sub lingua, in epilepsia. At coniectura ista est satis aliena à significationibus supra cerebrum; quoniam lingua quidem potest significare humorum qualitatem, & abundantiam, vel in toto corpore, vel in visceribus existentium, vt constat ex Hippoc. & Galen. Lib. 6. Epid. Sec. 5. Tex. & Com. 14. non tamen supra cerebrum quid attestari potest, nisi à posteriori, idest, vbi affecto capite, lingua inspiciatur, possumus ex eiusdem colore habere indicium materiæ peccantis; quoniam talis iudicanda est peccare in cerebro, qualis peccat in toto. Quare non abs re talis coniectura, etiam ab ipso Auic. tanquam manca, & nihil ex sui natura, supra cerebri affectiones significans, negligitur, & spernitur.

Cap. XV. Quomodo dolores capitis diuersificentur à loco, propter communitatem diuersorum membrorum inferiorum, diffusè docet. Sed in hanc rem, legantur Galeni verba Lib. 6. Epid. Sect. 6. Com. 2.

Cap. XVI. Frigiditatis signa declarans, supra dicta Galeni addit. *Et nos adiungamus istis tarditatem intellectus*. At ex Gal. Lib. Art. Med. Cap. 12. tarditas intellectus, non à temperatura vlla, sed à crassa cerebri substantia prouenit; sicuti ingenium, à subtili. *Caluitium*, inquit Auic. *non citò ei adue-*

nit

nit in hac complexione temperata. At Galen. a quo hæc transcripsit, aliter locutus est, dicens; *non tamen caluitium facile patiuntur*. quæ duo inter se diuersa sunt. Auicennæ enim sententia præsupponit hos caluescere, sed tardè, Galenus autem sentit, hos non facile caluitium pati; ita vt ad vltimum senium peruenire, absque hoc, quod calui fiant, possint.

Cap. XVII. Caliditatis signum exponens, tanquam proprium signum, & à Galeno prætermissum, apponit velocitatem permutationis voluntatum. Quod tamen signum posuerat Galen. Lib. Art. Med. Cap. 12. docens, mobilitatem in opinionibus, calidam; stabilitatẽ verò, frigidam cerebri substantiam indicare. Quod intemperies sine materia, ex Gal. fiat sine effluxu superfluitatum; cum materia autem, sit cum illis, certa est, & indubitata sententia; hac tamen limitatione addita, nisi quid impedimento subsit. Quod sicuti intellexit Gal. ita non debuit damnari ab Auic.

Cap. XIX. Ira est passio cordis; quapropter caliditas cerebri, ad hanc non faciet, nisi cordi communicabitur.

Cap. XXIV. Hæc verba, *& fortasse associat ei pulsationem*, conuenientioris sunt sensus, quam ea, quæ posita sunt Cap. 12. nam hæc dicit, fortasse; quoniam sanguis non efficit pulsationem, nisi inflammationem inducens.

Cap. XXVI. Quod dolor in apostematibus calidis, perueniat ad oculorum radices, necesse est, vt affectio sit in membranis; quoniam ab his oriuntur oculorum membranæ; & si affectio sit in cerebro ipso, nisi communicetur membranis, non potest ad radices oculorum descendere; quoniam ex cerebri substantia oculi partes non formantur.

Cap. XXIX. In capitis particulari euacuatione, pulcherrimum, & obseruandum dat præceptum Auic. quod quoniam maxime ad Artem facit, notare volui; videlicet, quod materiam ex capite, particulari euacuatione non euacuemus, nisi sit concocta in ipso capite; quia in particularibus capitis euacuationibus, duo hæc præmittenda sunt, alterum est, quod corporis totius vniuersalis præcedat euacuatio; alterum, quod materia in capite sit concocta.

Inquit, abundante sanguine, incipiendam esse curationem à sectione venæ cephalicæ, & venæ frontis, & nasi, & aurium. Quæ sententia intelligatur ad mentem Galeni, videlicet, quod secta cephalica, postea descendamus ad sectionem venarum particularium; in loco enim affecto non est secanda vena, nisi præmissa uniuersali sanguinis euacuatione.

Subiungit, *& oportet ut fiat earum phlebotomia in contraria parte doloris*. Quod præceptum è directo opponitur Hipp. & Gal. qui semper docuerunt, sanguinis euacuationes κατ' ἴξιν, & è directo loci affecti faciendas esse.

In Apoplexia sanguinea, inquit Auic. *phlebotoma ex quidez*, idest venā, quę est in latere colli. At Iuniores moneo, ab hac sectione cauendum esse; quoniam sectio venarum iugularium admodum periculosa est; nec hæ sectæ facile uniuntur; unde sanguinis profusiones impendent.

In curatione Apostematum calidorum, ubi ingens sit dolor, iubet abstinere ab aceto, soloque oleo rosaceo vtendum; & hoc, quia mordicationem ex aceto timet. At vbi sit multa olei copia, minima verò sit quantitas aceti, nulla

nulla est metuenda mordicatio; quo casu, vis medicamenti magis penetrabit, quàm si purum oleum administraretur.

Contra Galeni dogma, in forti, ac vehementi dolore capitis, monet, aliqua stupefacientia adhibenda esse. Quæ sententia non est spernenda; quoniam licet Galenus senserit, ex dolore capitis nullum periclitari; hoc tamen experientia falsum esse deprehendimus; nam ex vehementioribus capitis doloribus, quandoque sæua superueniunt accidentia, & sæui morbi; quandoque autem & mors.

Fen. 1. Tract. 2. Cap. 1.

Cap. I. Recensens differentias doloris capitis, secundum vehementiam, & debilitatem, inquit, quod aliquando est ita fortis, vt in habentibus ossa leuia, sicut habent infantes, separet Syncipût, & frangat commissuram eius. Quæ sententia, sicut, quoad historiam vera est, ita quoad causam, dubia; non enim videtur hoc fieri ratione ingentis doloris, sed ratione materiæ facientis dolorem; nam si materia sit multa, potest ossa disparare, vt fit in hydrocephalis, ob sui copiam; si autem sit mordax, & acris, potest ligamenta corrodere, ex quo laxentur ossa; si autem materia, nec multa, nec corrosiua existat, licet dolor adsit ingens, nunquam ossa ab inuicem disparabuntur. Quare ista ossium in capite laxatio, non ratione doloris, sed ratione materiæ fieri dicenda erit.

Cap. II. Inter causas cerebrum exsiccantes, recenset coryzam, & catarrhum. At cum hæc fiant vitio intemperiei capitis, excrementa superflua generantis, quomodo exsiccabunt cerebrum? Non enim humiditas fluens est substantialis, sed excrementitia; cuius ratione Galen. Lib. 3. Aph. 13. dicebat, posse quidem per hyemis frigiditatem, cerebrum lædentem, & inde destillationes, & coryzas inferentem, caput illud, si multa non sit materia, grauatum purgari, & euacuari, non tamen exsiccari asseuerabat; quoniam educta materia excrementitia, corpora vere purgantur, non exsiccantur.

Cap. III. Id quod dicit de casu, & percussione cerebri, transcribit à Gal. Lib. 7. Aph. 59. vbi docet, qua ratione illi, quibus concussum est cerebrum, sensu, & motu destituantur, dicens, hoc inde fieri, quia ex casu contrahitur vis animalis, à motu periculoso molestata, atque idcirco quiescit. Interim autem, si quæ à cerebro orta, vel distendantur, vel distrahantur, mutum, ac immobile iacet animal, donec se rursus vis animalis collegerit; si autem ista distentio, vel distractio non in partibus à cerebro ortis, sed in ipso fiant, vt inde, vel auellatur, vel conuellatur in propria substantia, non amplius restituuntur, sed necessario pereunt. Huic similem prodit sententiam Lib. 2. de Comp. Med. Secundum Loc. in examine medicamentorum Apollonij, dicens. *Contingit autem non parum sæpè, in casu, præsertim ex sublimi facto, vt quædam circa cerebrum, aut membranas eius, partes abrumpantur; quod vbi contingit, etiam amplius capitis dolor inualescit, ipsaque affectio tota ægrè curabilis redditur, & periculum ingens, ac præceps imminet.* Sed quæ est hæc differentia, quod in Aph. dicat Galenus, casum lethalem necessariò esse. Lib. autem de Comp. Med. se-

secundum Loca, scribat, affectionem esse ægrè curabilem, ideſt, quæ curari, licet cum difficultate queat? Præterea, quod ibi dicat, patientes non restitui ad motum, & sensum; ergo nec dolere; hic autem, quod hinc dolor capitis inualescat, hæc eſt differentia, quod in Aph. supponit læsionem tantum in cerebro, & quidem ingentem; hic verò addit & membranas, in quibus, si fiat talis læsio, non ita lethalis eſt casus, vt ille cerebri; & ideo illi possunt restitui, & dolere, hi autem nequaquam; cuius ratione, sub finem, dicebat; *Et periculum ingens, ac præceps imminet*. Periculum ingens quidem, ratione membranarum; præceps autem, ratione cerebri; nam sicut ex illis periclitantur, ita ex his necessario pereunt.

Recensens causas Sodæ, ex solutione continui, inquit, fieri sodam hanc quandoque, ex solutione continui in substantia cerebri. Sed cùm cerebrum non sit membrum sentiēs, difficile eſt imaginari, fieri sodam à solutione continuitatis, facta in cerebro. Ex cuius quidem solutione, plurima mala lethalia subsequi possunt; sed quod ex eius continuitate soluta fiat Soda, cum sit membrum indolens, non videtur fieri posse.

Cap. IV. Reponit Lethargum inter apostemata velaminum cerebri; cum tamen inferius, doceat eundem fieri in substantia ipsius cerebri.

Cap. V. Docens quomodo fiat Soda ab humoribus per accidens, monet, hoc fieri, cum ab ipsis inducitur oppilatio in capite; quam oppilationem inquit, quandoque fieri in substantia cerebri. Sed hæc sententia habet eandem difficultatem, quam notaui supra 3. Cap. & eo magis hoc eſt dubium, cum ex oppilatione substantiæ cerebri, potius Sopor, Apoplexia, & similes morbi sequantur, quàm vllus dolor.

Eodem Cap. docens signa doloris capitis à flatu, & distinguens signa flatuum pituitosorum, à melancholicis, inquit: *Vapores, & ventositates phlegmaticæ sunt grauatiuæ*. At grauitas à materia, vt vbique docet Galen: prouenit; qui etiam Lib. 1. ad Glauc. & Lib. 2. de Compos. Med. secundum Loca, Cap. de Cephalea, in fine, docebat, dolores capitis cum grauitate, fieri à multitudine materiæ; quos, si cum tensione, ac citra grauitatem, ac pulsum fiant, spiritus crudi, & multitudinis flatuum sobolem esse monet; quod idem inferius affirmat Auic. Cap. 7. dicens: *In ventosa soda non eſt grauitas*.

Cap. VI. Loquens de Soda ex ebrietate, inquit. *Ebrietas facit Sodam cum euaporatione*; cui subiungit. *& velociter aduenit frigus, propter resolutionem partium eius*. Quæ sententia quomodo sit intelligenda, dubium eſt; quoniam quod vinum faciat dolorem capitis, quia caput vaporibus repleat, vt docet Gal. in examine dictorum Apollonij, certum eſt; sed quod postea frigus ei superueniat, difficile eſt conijcere; cum ex vino potius calefiat caput, ob vapores eius calidos ascendentes; vel ob humores calida intemperie præditos, vt docet Gal. quàm quod frigefiat. Nisi forsan intelligat Auic. vel quod velociter ei adueniat frigus, propter resolutionem partium eius; quoniam dolor ex ebrietate facile soluitur, soluta ebrietate, ob resolutionem vaporum vini; vel quoniam ex nimia ebrietate refrigeratur cerebrum; cum vinum supra modum assumptum morbos frigidos pariat, vt docet Gal. Lib. de Morb. Caus. Cap. 3. his verbis, *Iuxta verò secundam causam, aut morbum attonitum, aut*

aut comitialem, aut motus, sensus-ve læsionem ex ebrietate aliquis subijt, quanquam vinum modicè haustum, vt quod proprium alimentum sit natiuum, calorem adauget; sic, & optimi cibi, qui plurimum animanti afferunt nutrimentum, supra modum assumpti, morbos frigidos generant.

Cap. VII. Distinguens dolores internos ab externis, inquit. *Si nocumentum fuerit in panniculo extrinseco, non peruenit dolor ad oculos, sed cutis capitis tacta dolet.* Quod vltimum signum à Galeno positum non fuit, cum fallax sit, nec semper in externis doloribus cutis tacta doleat.

Eodem Cap. ponit Auic. signa Sodæ à partibus inferioribus, secundum diuersitatem partium capitis dolentium. Sed pro hac sententia, vti & superius notaui, legantur Galeni verba Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 1.

Doloris à materia pendentis signum commune est, narium humiditas, inquit Auic. Sed adde, vt iam dictum est in præcedenti Tract. Cap. 7. nisi quid subsit impedimento; nam retineri possunt hæ humiditates, si vel obstructio, vel debilitas virtutis expulsiuæ adsit.

Cum materia frigida multiplicatur, inquit, *cogitatio corrupta.* Si per corruptam, intelligit imminutam, rectè habet, si deprauatam, nequaquam; cum facultates rectrices, à frigore, vel imminuantur, vel tollantur; à calore autem corrumpantur.

Cap. VIII. Ponit signa futuræ Sodæ in ægritudinibus, quæ signa duo sunt; alterum est vrina similis iumentorum vrinæ; alterum est albedo, & subtilitas eiusdem. At sciendum est, quod licet hæc duo dolorem futurum significare queant, non tamen vbi adsit, vel futurus est capitis dolor, tales necessariò esse vrinæ debent; vt notat Gal. 4. Aph. 70.

Cap. IX. Paucitatem comestionis, & potus laudat in omni capitis dolore, præterquam in eo, qui fit à causa calida. At Galenus non ita indistinctè loquutus est; sed specialiter loquens de dolore capitis calido, hæc duo dicit, scilicet, quod si fiat per consensum à ventriculo, ratione acris humoris, tolerare famem est malum, quia hinc acrior redditur humor; si autem à bilioso humore, simpliciter inedia mala est. Animaduertatur autem, Galenum dixisse, inediam, non paucitatem cibi: inedia enim, quæ est omnimoda abstinentia, acuit humores biliosos; at paucitas, si sint cibaria boni succi, in multis biliosis casibus conuenire potest; ut si copia materiæ abundet, vel æger febricitet, vel materia inflammationem pariat.

Cap. X. *In ea Soda, cui rheumatismus associatur, non declines*, inquit, *ad infrigidandum caput.* At si rheumatismus, idest destillatio, & pariter dolor pendeant ex intemperie calida, cur non erit procedendum refrigerantibus? immo nisi talia administrentur, curatio in cassum tentabitur. Quare sententia hæc imperfecta est; nisi forsan intelligas, non statim refrigerandum esse, sed euacuationem, & reuulsionem præmittendam.

Curationem in pueris, eius Sodę, ex qua commissuræ aperiuntur, tradens, notat, farinam auenæ, cum oleo rosaceo, præmissa capitis ablutione per aquam salsam, tanquam medicamentum adstringens, & exiccans, conuenire. At hoc remedium locale, parum præstabit, nisi tollatur causa. Ad hoc autem ego consulo, ut fiat cauterium in occipite; per hoc enim, reuulsa pec-

cante materia, poterunt remedia localia prodesse; quibus peractis, si sanationi aliquis fuerit locus, sperari hæc poterit.

In Soda, quæ fit in capitis parte posteriore, præmittendam esse phlebotomiæ purgationem docet. At hic ordo est præposterus, nisi per phlebotomiam, intelligamus particularem, non uniuersalem, eam scilicet, quæ fit secta vena frontis, iuxta mentem Hippoc. Lib. 5. Aph. 69. dicentis. *Dolenti partem capitis posteriorem, in fronte recta vena incisa prodest.* Quam sententiam limitans Gal. in diuturnis affectibus, innuere potest, vniuersalia præmissa, & iam administrata esse.

Cap. XIII. *Comestio alliorum*, inquit Auic. *est etiam ex eis, quæ conferunt Sodæ frigidæ.* At contra hanc sententiam videtur facere Tex. 90. Lib. 4. Reg. Acut. in quo habetur, allium, capitis grauitatem facere, & si quispiam dolor ante, ex consuetudine infestauerit, irritare. Quem textum licet Gal. paruipendat, in eoque nonnulla corrigat, non tamen in prædictis sententijs eum reijcere debemus; nam experientia testatur, allium plures euaporationes ad caput efferre, indeque in his, qui sunt debilioris cerebri, vel dolorem, vel grauitatem inducere, licet corpus non sit, nec plethoricum, nec, ut animaduertit Gal. cacochymum. Qui autem aliquibus doloribus, dummodo à flatibus non pendeant, ex consuetudine infestari solent, ex alliorum comestione valde molestantur; quia fundunt materias, quę postea ad locum affectum, & dolentem fluunt; hinc dictum est, allium consuetos dolores irritare; quæ sententia, sicuti non fuit examinata à Galeno; ita nec corrigenda erat. Quapropter in dolore capitis, licet ab intemperie frigida, non possum alliorum usum probare, nisi patiens robusti fuerit cerebri, nec assuetus huiusmodi dolori.

Cap. XVI. Illa verba, *& fortasse siccitas facit euenire in substantiam cerebri diminutionem manifestam*, forsitan alludunt ad dictum Hipp. Lib. 6. Epid. Sect. 3. Tex. 1. ubi dicit. *Cerebri consumptio; quare, & caluities, instrumentorum attritio.* Per quam cerebri consumptionem, intelligit eam, quæ ex decursu ætatis fit, in senectute, dum imminuitur, nec inde caluariæ ossa contingere potens, subsidet, in suamque ipsius basin depressus cadit. Hanc imminutionem forsan intelligit Auic. fieri ex immodica cerebri siccitate; sicut enim illa fit ex decursu ætatis, eodem arescente; ita hæc fieri ex morbosa causa potest.

Cap. XVIII. *Maturantia oppilationes, sunt ea, quæ incidunt, abstergunt, & aperiunt.* At ista non ita tuta sunt à principio, nisi materia minuatur. Quare, non in fine, sed à principio, minoratiuo utendum erit.

Cap. XIX. Ad prohibendos vapores, à ventriculo ad cerebrum ascendentes, exhibet à cibo coriandrum siccum. At hoc cum sit vaporosum, & ex Dioscorid. cerebro infestum, sui natura sit, quomodo potest vapores ipsos prohibere? nisi forsan hoc siccum faciat, quia eos discutiat, non quod ascendere prohibeat.

Cap. XXI. Affirmat, limosos vapores, ut plurimum esse calidos, quos conferre, præter rationem, superius in calida intemperie dicebat.

Cap. XXIV. Cruditatibus, & crapula, & ebrietate præsente, *soluere cum hiera, confortata cum scammonea*, non est tutum, cum scammonium à toto ambitu cor-

corporis euacuet; hic autem solus ventriculus exonerandus sit.

Cap. XXVI. Ob percussionem, effluente sanguine ex cerebro, monet, exhibenda esse in potu, cerebella Gallinarum. Sed qua ratione hæc prodesse possunt; nulla sanè. Quare credo, literam esse corruptam; cum hoc forsan transcripserit à Dioscorid. Lib. 2. Cap. 43. ubi habetur, cerebella pullorum, firmare sanguinem, ex membranis vulneratis egredientem; quod, non potatum, sed applicatum loco affecto, facere, ob suam viscididatem, potest.

Cap. XXVII. Quæ in hoc loco referuntur, tanquam ab Hippoc. & Galeno transcripta, nusquam explicata reperiuntur.

Cap. XXXIII. In curatione sodæ, per communitatem à ventriculo, ratione humorum in ipso existentium, si humores sint phlegmatici, & crudi, & euacuationi per vomitum reluctentur, monet, exhibendas hieras magnas, cum decoctione Epithymi. At hieræ magnæ recipiunt validiora medicamenta; & quæ à toto ambitu euacuent, non videntur conuenire, ubi solus sit affectus ventriculus, tum ratione loci affecti; tum etiam, quia ad locum primariò affectum, à toto corpore fieret attractio excrementorum. Subdit, pro curatione sodæ, factæ per communitatem ventriculi, & aliorum viscerum. *Et ad illud quidem, iuvat incisio duarum arteriarum temporis; aut duo cauteria leuia super tempora*. Hæc procurantur, ut facta incisione, aut cauterizatione illorum vasorum, materia, aut vapor ad cerebrum ascendere nequeat; quod in vnico conuenit casu, scilicet, ubi materia per vasa exteriora ad cerebrum perueniat; si enim hoc contingeret per vasa interna, frustra talis curandi ratio administraretur; ut in simili docuit Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 8. agens de vertigine.

Cap. XXXV. Sub oui nomine, agens de cephalea, inquit, secundum Galen. duas esse, ex parte cerebri causas, scilicet, vel eius debilitatem, vel fortitudinem sensus. De prima agit Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 9. & Lib. 2. de Comp. Med. secundum Loc. proprio Cap. de secunda nusquam; quoniam quod valde doleant, & quod ex leui causa molestentur, non est, ratione fortis sensus; sed ratione insignis, ac intensæ imbecillitatis; cuius ratione, dicebat Gal. in cephalea maiorem, quam in cephalalgia esse capitis debilitatem.

Cap. XXXIX. Inquit Auic. *Ægritudo autem, cuius tempus prolongatum est, frigida est, secundum omnem dispositionem*. Vt ostendat scil. in omni hemicrania antiquata, materiam peccantem esse frigidam, & ideo indigere resolutione, & his, quæ valenter calefaciant. Quam sententiam potuit transcribere à Gal. Lib. 2. Aph. 39. dicente, omnes morbos diuturnos esse frigidos; ad quem sensum forsan etiam dictum est ab Hipp. Lib. 6. Epid. Sect. 1. Tex. 7. in Cranone, dolores antiqui, frigidi, noui, calidi, intelligente, per dolores, dispositiones morbum facientes, ut intelligebat Gal. Lib. 2. Aph. 6. At contra hanc sententiam est ipsemet Galenus, & experientia ipsa. Galenus quidem, dum docet, cephaleam esse morbum antiquatum, simul docẽs, eam fieri posse & à calida, & à frigida causa; unde utriusque, tum Lib. 2. de Comp. Med. Secundum Loc. tum Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 9. tradit distincta signa; hoc idem affirmans de hemicrania. Cephaleam etiam, & hemicraniam, calidam dari affirmabat, Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 6. quo loco explicans, qui morbi nu-

triti, in senibus, per coctionem soluantur, enumerat cephaleam, & hemicraniam calidam; & preter hos, inter antiquos morbos, qui per coctionem in senibus solvuntur, enumerat renum calidos affectus, & articulares dolores, ex valde calida causa ortum habentes. Hoc idem, quod de dictis morbis sensit Gal. quotidiana testatur experientia, scil. multos morbos, ex calidis, præter enarratos, antiquari; quales sunt destillationes salsæ, ex cerebri intemperie calida pendentes, urinæ ardores à bile, & à pituita salsa, hepatici affectus, ex intemperie calidiori hepatis, alijque plurimi huiusmodi. Quare non simpliciter videtur affirmandum esse, omnes morbos, cuius tempus prolongatur, frigidos esse. Ad hoc sciendum est, ex morbis, alios per se in aliqua fieri parte; alios per consensum, transmissa aliunde materia. Et alios ex his, qui fiunt per se, fieri ex simplici intemperie; alios autem ex intemperie cum materia. Qui fiunt per se in aliqua parte, & non ex simplici intemperie, sed addita materia, omnes cum protrahuntur, quoniam materiæ peccantis partes calidiores, ex progressu morbi, resolvuntur, redduntur frigidi, si pendeant à causa calida, si à frigida, tanto magis; & ideo in his, cum prolongantur, magis, quam in illis, resoluentium, & calidorum necessarius usus est; quoniam in his, materia, & frigidior, & viscidior inest; qua ratione omnes morbi in fine, resoluentibus, & calefacientibus egent medicamentis; & ad hunc sensum possumus dicere, antiquatos morbos omnes frigidos esse. At ubi morbi in aliqua parte, per consensum fiunt, vel per se, ex simplici intemperie, possunt calidi diutissimè perdurare; nam in illis, aliunde semper noua affluere potest materia calida, quæ calidum affectum fouens, eum diu calidum protrahere potest. Talis potest esse cephalea, & hemicrania ex influxu, vel humorum, vel vaporum calidorum, qui antiquari possunt; quoniam à partibus inferioribus, semper noua fluere potest copia calidi, aut humoris, aut vaporis. In his autem, vigente intemperie, quæ diu durare, immo & simul commori, cum ægrotante sæpe consueuit, simul etiam persistit & morbus, qui ubi in calida intemperie consistat, semper calidus persistit, nisi frigidis auxilijs, aut decursu ætatis minuatur, aut tollatur. Tales possunt esse renum calidi affectus, cerebri, & hepatis, aliorumque membrorum intemperies calidæ, quæ diu protrahi possunt, nisi intemperies tollatur, vel ope medica; vel naturæ beneficio, ut fit in senescentibus; quemadmodum ab Hippo. & Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 5. Tex. 6. proditum. Eiusdem notæ etiam potest esse cephalea, & hemicrania, si capitis debilitas, ex intemperie calida ortum habeat; hæc enim intemperies, senescente homine, quoniam hinc corpus totum refrigeratur, aut minuitur, aut tollitur, cum prius tamen per longa tempora, ob stabilem intemperiem perdurauerit. Cum autem Gal. Lib. 2. Aph. 39. affirmat, omnes antiquos morbos frigidos esse, non ad hunc loquitur sensum; sed habita ad tempora morborum consideratione: nam cum ex morbis grauibus, alij sint acuti, alij chronici. Acuti, potissimum fiant à bile, & calidioribus humoribus; chronici autem à frigidoribus, hinc dictum est ab eo, omnes antiquos, idest chronicos morbos, esse frigidos, non quod sint antiqui, quia diu protrahantur; sed quia propria natura sint chronici, qui dependentes à materia frigida, omnino frigidi esse debent. Vnde qui sint hi

morbi,

morbi, recensens, Com. sequenti, cum plurimos ex his enumerasset, tandem concludens, ait. *Demum, quæcunque alia morborum genera ex frigidis ortum habent, quæ in quibusdam iuuenibus, nedum in senibus difficulter concoquuntur.* Cum verò Hipp. Lib. 6. Epid. Sect. 1. Tex. 7. inquit. *In Cranone veteres dolores frigidi, recentes, calidi*, non sententiam Aphoristicam, & uniuersalem profert; sed particularem, in particulari loco obseruatam, scilicet in Cranone ipso, in quo dolores recentes, in memoriæ subsidium, notauit calidos fuisse; sicuti, qui veteres, frigidos; recentes quidem eos appellans, non qui noui fierent, sed qui non inueterascerent; & veteres, non qui diu durassent, sed qui nunquam breues forent; ita ut eius hæc sit sententia. In Cranone, dolores, qui breui soluebantur, erant calidi; qui autẽ diu protrahebantur, erant frigidi; quod pręter rationem non erat, quoniam illi poterant esse ex acutis, hi autem ex chronicis morbis. Quapropter concludo, hanc Auicennæ sententiam, non simpliciter, sed additis prænarratis, proferendam esse, dictisque sensibus solùm probari posse.

Fen. I. Tract. III. Cap. I.

Cap. I. ET *Karabitus quandoque soluitur per hæmorrhoidas, cum fluunt*, inquit Auic. quasi quod fluxus sanguinis per eas, sit phrenitidis propria solutio, ut videtur sensisse Hippoc. Lib. 6. Aph. 21. dum inquit. *In insanientibus, si varices, vel hæmorrhoides superueniant, insaniæ solutio.* At Gal. in Com. declarauit, per insaniam eo loco, non furorem, qui est à bile, sed melancholicam affectionem intelligendam esse.

Cum inquit, phrenitidem quandoque permutari ad hecticam, non intelligatur de febre hectica, sed de phrenitide hectica; de qua Lib. 1. Prorrh. Tex. & Com. 33.

Cap. II. Loquens de pulsu phreniticorum, inquit. *Et cum sua serrinitate, non euacuatur ab undositate quadam; quoniam cerebrum est substantia humida.* At cum potius phrenitis sequatur menyngum, potissimum tenuis inflammationem, quam ipsius cerebri, ut docet Gal. Aetius, & Paulus, quæ inflammatio potissimum à bile gignitur, tum ratione partis affectæ; tum ratione materiei peccantis, necessario in pulsu durities contingit. Pulsus autem durus vix undosus esse potest; & ideo, licet Gal. Lib. de Pulf. ad Tyrones, dixerit; *habet præterea nonnihil undosi*, hoc non intelligatur perpetuò, ex Auic. sed rarissime hoc posse contingere animaduertatur. Quod explicans Gal. Lib. 4. de Caus. Pulf. Cap. de Pulsu phreniticorum, in hæc verba scripsit. *Porro ut peripneumonicus pulsus, dycrotus fit, quod nihil prorsus habeat duritiei; sic phreniticus rarissime undosus efficitur; propterea quod etiam hic plane vacet mollitie.*

Eodem Cap. ponens differentiam inter phrenitidem factam per communionem membrorum aliorum, & per essentiam in cerebro, inquit, quod *factam per communitatem significat euentus eius subito; cum fit autem in cerebro, accidit paulatim paulatim.* At hoc falsum; quoniam contingunt aliquando nonnullę phrenitides, quę subito fiunt, & tales acutissimę sunt; cuius exemplum habetur Lib. 3. Epid. Sect. 3. Tex. 77. apud Hippocratem.

Quamuis quæstio illa, an virtutes Rectrices loco distinguantur, sit potius logica,& parum ad Artem faciens; quoniam in harum læsionibus, sat est nouisse, cerebrum affectum esse, quo casu, semper ad eundem locum, videlicet ad futuram coronalem remedia applicanda sunt; tamen hoc notasse volui, Galenum in contraria esse sententia,qui opinatur, cerebrum hæc munia obire, mediantibus spiritibus, qui in ipsius ventriculis, maximeque postremo continentur; quamuis non sit contemnendus medius ventriculus, perinde quasi non valentissimus sit, ut docet Lib.3.de Loc. Affect. Cap. 5. Vnde concludens,ait. *Multis enim rationibus inducimur, ut hunc amplectamur, duos vero anteriores deseramus*. Ex quibus patet, Galenum eius esse sententiæ, ut hæ virtutes, mediante spiritu, qui in postremo ventriculo reconditur, perficiantur, & in unico loco omnes contineantur.

Signa phrenitidis veræ recensens, febrem continuam, & fixam in primis, enumerat. At de phreneticorum febre hoc aduertendum est, quod quamuis ab omnibus ferè Scriptoribus, inter signa, necessariò phrenitim consequentia recenseatur febris, aut vehemens, aut acuta, qualem forsan intellexit Auic.per ea verba. *Nihilominus sciendum est,quod phrenitis quandoque cum modica febre generatur*; ut habetur ab Hippocrate, & Gal. Lib.3.Epid. Sect.3. Tex.& Com. 88. nam Hippoc. de Vxore Dealcis phrenitica loquens, dicebat. *Febres ad manum tenues.* Gal. autem in Com. *Sed nunc quidem hæc febricitans acutè, ad vigesimum primum diem se sustentauit, quia modicè febricitaret; perinde ac insinuaret hoc, scripsit, in hac una ægra febres ad manum tenues.* Hæc Gal. Ex quibus liquet, in phrenitide febrem non semper acutam esse.

Et abominatio loquelæ, & pigritia ab ea, inquit Auic. *sunt phrenitidis signa*. At oppositum experientia testatur, plures phreniticos plurimum loqui. Hoc idem testimonio Hipp. probatur, qui Lib. 3. Epid.Sect. 3.Tex. 86. loquens de Apollonio Abderita, dum recenseret statum decimæ quartæ diei, addebat. *Perturbatio, multa verba.* & Tex. 88. de Vxore Dealcis, phrenitica, sub finem historiæ, colligens ægrotantis statum, dicebat. *Aut multum loquebatur, aut tacebat perpetuò.* Quare, non erit signum phrenitidis certum, abominatio loquelæ, ut inquit Auic. quod tamen non negatur posse accidere; ut euenit mulieri Cyzici, de qua loco citato Tex. 87. habetur. *In somnis, ab initio, tacita, & tetrica.* Sed hæc taciturnitas, & loquelæ abominatio contingit his phreniticis,qui simul cum bile,succo melancholico abundent;nam ex huiusmodi delirio, mœrent, timent, & tacent, ut ex Gal. in prædictis locis haberi potest.

Addit Auic. *Et permistio intellectus*. Quod signũ sicuti est pathognomonicum, & necessarium, quoniam sine delirio phrenitis esse nequaquam potest, nec phrenitis quid aliud est, quam delirium cum febre, ita ut conueniat inter omnes Scriptores, debere esse perpetuũ, delirium enim continuum, cum febre,est phrenitis; nam, quæ fiũt deliria in vigore febrium, non constituunt phrenitidem, licet sint cum febre; quoniam declinante febre, cessant, & non durant. At oppositum experientia docet, in phrenitide, delirij intermissionem, ut plurimum adesse. Imo testor ego, qui plurimos curaui phreniticos, rarissimum esse, phreniticos,delirij intermissionem aliquam non habere; hoc

enim

enim vidi tantummodo, nullum habuisse intermissionem, in his, quæ peracutæ, & valdè lethales à principio apparuissent; quarum tamen etiam nonnulli intermissionem habuerunt. Hanc delirij in phreniticis intermissionem, pariter testatur Hipp. pluribus in locis, præcipuè autem Lib. 3. Epid. Sect. 2. Tex. 9. ubi loquens de Occetæ uxore phrenitica, dicebat. *Quinto euaserunt grauiora, multum delirauit, statimque ad mentem rediјt, sitis, vigiliæ*. & Lib. 3. Epid. Sect. 3. Tex. 84. de Apollonio Abderita, phrenitico dicebat. *Ad diem vigesimum quartum leuius habuit, cætero nihil est immutatum, aliquantulum mentis fuit compos*. Et sequenti textu, loquens de muliere Cyzici, dicebat. *Sub undecimum insaniјt, rursum ad mentem rediјt*. Proximo etiam Tex. narrans historiam uxoris Dealcis phreniticæ, dicebat. *Vigesimo multum est loquuta, rediјtque ad mentem*. Sed si delirium in phreniticis, ut ex prædictis patet, potest intermissionem habere, quomodo ab omnibus constituitur perpetuum, & continuum in phrenitide esse? Dicitur continuum, quia continuo perseuerat, nullam intermissionem ex statis periodis certam habens, sicuti habent febrium ardentium deliria; sed continuò affligit per totum ferè morbi decursum; intermittit autem, quoniam in euasuris, ex robore naturæ, morbus aliquam habet remissionem; in perituris autem, quia natura ad interitum raro progreditur, quin aliquem conatum faciat, & salubre aliquod signum inde ostendat.

Cum inquit. *Et plurimum horum circa quartum diem*; nisi alludat ad sententiam Galeni, Lib. 2. de Diebus Crit. in fine, ubi habetur, phreniticos, à prima die non adeo fieri; sed vel in primo quaternario, vel alia die, quo tempore morbus acutiem recipit, ex quo potest phrenitis ultra 14. diem produci, non ita vero consona erit eius sententia; quoniam quamprimum fit phrenitis, subito etiam prædicta succedunt accidentia.

Signum illud. *Ex extremorum frigus, & agitatio*, non est perpetuum, sed tantum in illis euenit phreniticis, qui pessimè habent, & ad interitum properant, cum frigiditas extremorum in acutis morbis sit lethalis.

Addit aliud signum, clara interpretatione dignum, cum inquit. *Et tremor membrorum cum ipso*. Alia litera habet. *Et iectigatio membrorum cum ipso*. De tremore prius, postea de iectigatione agam. Quod tremores fiant in phreniticis, habemus ex pluribus locis; nam in Prorrh. Lib. 1. Tex. 9. hæc habentur. *Phrenitica vehementer trementia finiuntur*. Inferius, Tex. 16. habet. *Phrenitici modico utentes potu, strepitum tentantes, tremorem incurrunt*. In fine autem libri Tex. 33. habetur. *Tremulæ, obscuræ, blandæque, & contrectabiles desipientiæ, valde phreniticæ*. His similes sententias habemus Lib. de Coacis Prænotionibus, quo in loco hæc habentur. *Phrenitici parum bibentes, strepitum valde percipientes, tremuli, aut conuulsi fiunt. In valdè phreniticis, tremores lethales sunt. In phreniticis alba alui egestio, rigor, tremores, mali. Phreniticæ vehementer affectiones tremulæ desinunt*. Habemus etiam historiam Phrenitici in Lib. 7. Epid. qui tremores patiebatur, his verbis. *Fullo, qui in Syro, phreniticus, cum ustione autem tremulus*. Ex quibus locis clarè habemus, tremores phreniticis accidere; quod idem testatus est Gal. in Com. Lib. cit. Prorrh. dum prædicta loca exponeret. Sed, num intelligere debemus, per tremores hos, ad mentem

Gal.

Gal. motus illos tremulos, qui fiunt ob virtutis languorem? dicebat enim Lib. 1. Prorrh. Com. 9. *Exoluta autem virtute, tum vigilijs, tum motionibus multis, simul vero, & neruis supramodum arefactis, tremores fiunt*. Non dixerim Gal. haud rectè sensisse, fieri tremores in phreniticis, cum virtus in eis exoluitur; quoniam ubi languor fit virium animalium, quæ & ex vigilijs, & ex motionibus pluribus, & neruorum exiccatione, ac intemperantia, in his facile exolvuntur, omnino corpus tremorem incurrere potest; dixerim tamen, Galenum forsan mentem authoris non attigisse; quoniam per tremorem, non intellexit Auctor verum tremorem dictum, sed motum convulsivum, qui in phreniticis malè habentibus, solet, exiccatis supra modum membranis cerebri, ac neruis, superuenire; qui motus vulgaribus, & parum peritis Medicis, videtur, & dicitur proprio nomine tremor; quia sicut per tremorem, partes trementes nō volūtariò mouentur, nec firmari possunt; ita per hunc motum, necessario concutiuntur, & agitántur. Hic autem motus à tremore differt; quoniam in tremore, partes trementes, dum decumbunt, nec attolluntur, quiescunt, & non mouentur; in motu autem convulsiuo, licet decumbant, & non attollantur, mouentur, & concutiuntur. In hunc motum solent ut plurimum terminari phrenitides, quæ ad interitum adducunt ægrotantes; quoniam ex his, admodum resiccatis neruis, & membranis, incipiunt contrahi; ex qua contractione dum ea omninò non sunt exiccata, fit motus iste, reluctante adhuc natura ipsi morbo; si autem exiccatio adhuc intendatur, ac in totum partes illas apprehendat, succedit convulsio; cuius merito dicitur, in Lib. de Coac. prænot. *Phrenitici parum bibentes, strepitum valde persentientes, tremuli, aut convulsi fiunt*. Tremuli enim fiunt, si non in totum sint exiccatæ partes illæ; convulsi autem, ubi magis exiccatæ fuerint. Sed cur strepitum valde sentientes, aut tremuli, aut convulsi euadunt? Non sanè, quia hinc timeant; quoniam si his mens ægrotat, horribilia, ac detestabilia distinguere nequeunt, sed quia strepitus, & voces magnæ, ac repentinæ, & ingentes, auditum ferientes, *faciunt eleuare*, ut habet Auic. Cap. 2. huius libri, *cerebrum versus cranium*, in qua eleuatione, & extensione, cum membranæ distrahantur, & simul cerebrum, tanquam percussum moueatur, omnino, pro ratione dispositionis, ex distractione, & convulsione illorum membrorum exiccatorum, euadent patientes, aut tremuli, aut convulsi, idest aut motum convulsivum, aut convulsionem ipsam incurrent. Tremulæ autē dicuntur Tex. 33. hecticæ phrenitides, non quia phrenitici stantes tremant; quoniam præ summo languore decumbunt, nec stare, nec membra eleuare possunt; sed quia, ob summam membranarum, & neruorū exiccationem, motu convulsiuo tentantur, qui sicuti non est validus, quia parum natura reluctatur; ita nullam suscipit intermissionem; quia morbus altius iaciens radices, in habitu factus est. Hic autem motus, qui ab Auctore Lib. Prorrh. & pariter in Lib. de Coac. Prænot. & ab Auic. tremor vocatur, non potest esse phrenitidis, aut pathognomonicū, aut proprium signum; quoniam, ut ex prædictis liquet, non phrenitidis simpliciter, sed sæuæ, ac lethalis signum existit. Et hęc de tremore, secundum primam literam. Si autem legatur, *Iectigatio*, eadem, quæ de tremore dicta sunt, de iectigatione intelligantur; nam iectigatio, quæ à Latinis

nis

nis magis eruditè palpitatio dicitur, eadem ratione fit in phreniticis, videlicet per motum conuulsiuum: nam ſicuti in vera palpitatione, ad tactum, corpus palpitans mouetur; ita in motu isto, ad tactum, ſenſus palpitantis corporis perſentitur. Quod intellexit Hipp. dum Lib. 3. Epid. Sect. 3. Tex. 77. agens de acutiſſima illa phrenitide, dicebat. *Toto palpitabat corpore*, ideſt in toto corpore motum conuulſiuum patiebatur; non enim potuit in tam calido, & acuto morbo, copia flatus crudioris, veram palpitationem inducentis, abundare; ſed fuit motus conuulſiuus, qui poſtea, inualeſcente morbo, in veram conuulſionem permutatus eſt. Vnde ſubiungebat. *Nocte contractus eſt, tertio die cuncta ingraueſcebant*. In hoc eodem ſenſu uſurpauit palpitationis nomen Auctor Lib. Prorrh. Lib. 1. Tex. ultimo, cum dicebat. *Circa umbilicum dolores palpitantes, quod mentis perturbationem oſtendat, quippiam habent*. Nam inflammato ſepto tranſuerſo, vel viſceribus illis internis, & vaſis ſpinam perreptantibus, ſæpe fiunt, & apparent motus conuulſiui in partibus illis, quæ nomine palpitationis dictæ ſunt ab Antiquis, cum proprie eſſent motus conuulſiui. Quare non erat, cur Gal. quæreret, quomodo à cauſa frigida fieret talis palpitatio, cum ſuſpicione delirij. Quapropter concludo, ſiue legatur, *tremor*, ſiue *palpitatio*, per utramque vocem, motum conuulſiuum intelligendum eſſe, qui non eſt proprium phrenitidis ſignum, ſed prauas, & lethales phrenitides tantum ſequitur.

Adducens ſigna præcedentia phrenitidem, dum inquit, *& præcedunt Karabitus, obliuio rei propinquæ, & triſtitia ſine cauſa*, & cætera, multa tranſcribit à Galeno, & cæteris, unum prætermittens, cuius Hipp. bis Lib. 6. Epid. meminit, ſcil. Sect. 3. Tex. 36. & Sect. 6. Tex. 20. in primo loco inquit. *Sputa rotunda delirium indicant, ut in Sileno*. In ſecundo autem hæc habet. *Sputa rotunda delirium ſignificant, ut illi, qui in Plinthio*. Quare ex Hipp. in legitimo opere, clare habemus, ſputa rotunda delirium prænunciare. Sed contra hanc ſententiam duo facere videntur; primo, quoniam Gal. laborans in declaratione, quomodo ſputa rotunda poſſint delirium prænunciare, poſtquam cauſas ſputi rotundi declarauit, hanc ſententiam reijcit, dicens, hoc futuri delirij ſignum idoneum non eſſe. Secundò, quoniam Hipp. Lib. 2. Progn. Tex. 46. ſputa rotunda non mala, mala autem eſſent, ſi delirium portenderent, ſed inutilia eſſe aſſerit. At ſciendum eſt, per ſputa rotunda, in illis locis, intelligere Hipp. non ea, quæ figura rotunda ſunt, ſicuti opinatus eſt Gal. quoniam talia, licet non bona, non tamen ſunt praua; verum tantummodo inutilia, ut dicebat Hipp. de his ſermonem habens loc. cit. Lib. 2. Progn. Tex. 46. nam hæc ſputa, ſolum indicant excerni materiam pituitoſam, vi caloris concretam, quæ cum ſui natura frigida ſit, non poteſt delirium indicare; ſed per ſputa rotunda, intelligit Hippoc. quod non aduertit Galenus, ea ſputa, quæ rotundo ore expuuntur; talia autem præcipuè ſolent expui à phreniticis, & delirantibus, ut experientia ipſa teſtatur. Cur autem talia, & tali modo expuantur à phreniticis, & delirantibus, hæc forſan cauſa eſt; quoniam vi inflammationis, aliqua exprimitur ad fauces ſeroſa humiditas, qualis ex oculis inflammatis fluere ſolet, quam per ſcreatum educere, ſed ſine ratione tentant; quoniam autem talis expreſſio fit ex valida, & ingenti inflammatio-

ne membranarum, aut cerebri. Ideo Lib. 1. Prorrh. Tex. 12. habetur, quod *frequens screatus, in phreniticis, malus est.* Fieri etiã potest hic screatus, per quandam labiorum convulsionem, per quam, sicuti aliquando ad risum cogi; ita quandoq; ad excreationem, & expuitionem irritari videntur. Talis autem screatus, quoniam fit delirante homine, ob cerebri, & membranarum inflammationem, cuius vi, partes labiorum, & gutturis conuelluntur quoquo pacto, ideo Lib. cit. Tex. 6. screatus frequens, inter signa phrenitica recensetur. Hic autem screatus rotundo ore efficitur, tum propter convulsionem, in rotunditatem efformantem; tum quia materia, ac si quid è naribus ad os, infarctum excernendum esset, ob mentis alienationem, rotundo eijcitur ore. Quare sputa hæc rotunda, non quia rotundæ sint figuræ; sed quia rotundo ore excreantur, rotunda dicta, delirium significant, & attestantur, vt sæpissimè in phreniticis, & delirantibus obseruaui.

Cum inquit. *Et desiderant aquam, & bibunt ex ea parum, non multum ex ea bibentes, & neque etiam ex ea plurimum desiderant.* Alludit ad dictionem græcam, per quam phrenitici vocantur ab eis βραχυπόται, ut habetur ex Galen. Lib. 1. Prorrh. Com. 16.

Cap. III. Docet, in principio phrenitidis secandam esse venam, non tantum copiosè, sed etiam vsque ad animi defectum. Quæ sententia, non tantùm contradicit omnibus scribentibus, qui docent, non copiosè faciendam esse venæ sectionem in phrenitide; sed etiam sibi ipsi, qui inferius, in progressu capitis, aliter docuit, monetq; vitandam esse in his venæ sectionem copiosam.

Eodem Cap. docet, oxyrrhodinum niue refrigerandum esse. At hic aduertendum erat, vti docuit Galen. Lib. 2. de Comp. Med. secundum Loca, quæ sint eæ naturæ, quæ tantum refrigerium tolerare nequeunt; non enim omnibus tanta refrigeratio conuenit.

Eodem Cap. Nutrit phreniticos oxymelite, vel vt habet altera litera, *Seianiabin saccharino.* At si acetum neruosas partes offendit, ut docet Gal. 3. Reg. Acut. Com. 39. & si oxymel, vterum, quia sit neruosus, ut ibidem in Tex. & à Galeno habetur, lædit, cur debemus nos cibare phreniticos oxymelite; cum in phrenitide, præcipuè affectæ sint membranæ cerebri, & ex ijs, potissimum tenuior, quæ facile in consensum ducit cerebrum ipsum?

Docens modum cibandi phreniticos, quoad potum, inquit. *Aliena eos ab aqua vehementis frigoris, propriè si fuerit in velamine distinguente, aut in visceribus.* Quoad cibum autem, ait in fine. *Et in hac hora, iuvantur pane similiter infuso in aqua frigida, & iuleb infrigidato cum niue vehementer.* At ista duo ad inuicem contraria sunt; vel prior exceptio in secundo casu erat addenda; aut quemadmodum in fine capitis docet, peccante materia biliosa, omnia sint frigidiora; peccante verò sanguinea, non ita.

Cap. IV. Quid sit cerebri inflammatio, & qualis morbus sit, & quæ curatio ei debeatur, & an hic casus, quem Auicenna à Paulo, & Aetio transcripsit, sit possibilis, alias declaraui. Quare non est quod eadem hic repetam.

Cap. V. Quod de cerebri inflammatione dixi, eadem de erysipelate intelligantur. Quare in hoc, remitto lectorem ad ea, quæ alias in hanc rem scripsi.

Cap.

Cap. VI. Agit de delirio, proueniente à *Dæmonio agitatiuo, vna cum apostemate cholerico calido ipsius cerebri*; cuius causa inquit, est *cholera rubea pura, & adusta*. De hac materia nullus scribentium loquutus est, & solus Auicenna describit hanc phrenitidem à Dæmonio. Quod si per Dæmonium, intelligit spiritus immundos, de quibus in Sacris literis plures habemus historias, huius curatio non pertinet ad Medicos, sed ad Sacerdotes; si autem per Dæmonium, intelligit naturalem affectum, non possum intelligere ego, hunc affectum aliud esse, quam delirium ex phrenitide, & melancholia mistum; cuius exemplum habemus Lib. 3. Epid. Sect. 3. Tex. 88. vt Galenus expressè in Com. declarat.

Hoc affectu incipiente, dicit, spiritum magnum, & frequentem adesse. At ex Gal. spiritus magnus, & rarus, in his delirantibus obseruatur; & si fuit aliquando breuis, in muliere illa phrenitica, cuius supra allegato loco meminit Hippoc. dictus est breuis, ab Hipp. ex continuato magno, & raro, per interuallum magnum, ita vt, remissa illa intensa magnitudine, & raritate, adhuc rarus perseueraret; tamen dictus est breuis, comparatione præcedentis; vel dictus est breuis, quia mulier forsan in morbo præfocata, vt exponit Gal. breuem spiritum habebat necessario, & inde etiam muta aliquando facta est.

Cap. VII. Lethargus, inquit Auicenna, *plurimum generatur à comestione ceparũ*. At si cepa est in quarto ordine excalefacientium, vt docuit Galenus Lib. 7. de Simpl. Med. Fac. Cap. proprio, quomodo potest lethargum inducere, qui est morbus pendens à materia frigida? quinimo potius videtur materiã contrariam, & intemperiem ab eis inferri debere. Sciendum tamen est, cepam, licet in actiuis calidam, adeo in passiuis humidam esse, vt cum multa, & superflua abundet humiditate, hinc duo hæc consequãtur, primum, quod quemadmodum conchilia, & plantæ, crescente luna, crescunt, decrescente autem, nequaquam; ita cepa, decrescente luna, crescat, crescente autem, nequaquam; ratio est, quoniam crescente luna, copiosior abundat in conchilijs, & plantis, quam eadem decrescente, humiditas, quæ cum crescente luna, in cepa, accedat naturali, ac copiosæ eius humiditati, tanta, & tam abundans redditur, vt calorem innatum, & proprium obtundat, quo non vigente, nec operante, nec augmentum etiam fieri potest; quæ humiditas cum postea decrescente luna imminuatur, nec inde calorem insitum, ob sui copiam, obruat, non amplius augmentationi est impedimento; & ideo tunc temporis, decrescente luna, potest crescere, quod luna crescente, facere non potest. Alterum est, quod cepa, ob superfluam, & copiosam humiditatem, quam possidet, licet calida in quarto, est flatuosa, vt docet Galenus loc. cit. si enim hac careret, non modo non esset flatuosa, sed flatus ipsos discuteret, cuiusmodi sunt ea, quæ temperie sicca, & calida prædita. Cum igitur adeo copiosa, & superflua abundet humiditate, ex plurimo eius vsu, potest lethargum inducere; quia ratione excrementitiæ humiditatis, potest succum frigidiorem producere, qui facile ad caput eleuari potest, à caliditate illi coniuncta, cum potissimum cepa sit vaporosa, & copiosas exhalationes ad caput transmittat, quæ simul alias materias frigidiores secum ducere possunt,

sunt, quæ vbi cerebrum repleuerint, lethargum facile producere poterunt.

Adducens sententiam opinantium, omne apostema frigidum, siue phlegmaticum, siue melancholicum, lethargum esse, licet dicat, plures Antiquorum, per lethargum, solum intellexisse apostema phlegmaticum; tamen in eam inclinat sententiam, vt sub nomine lethargi, comprehendat vtrumq; apostema, vt demonstrant ea verba. *Et tuum est, vt in ipso nomines vtrumque*. Sed hæc sententia reprobanda est, cum de essentia lethargi, sit somnus profundus; à materia autem melancholica, non somnus, sed vigilia pendeat.

Cap. VIII. Supponit, lethargum fieri à pituita putrescente. At ex Gal. Lib. de Præsag. ex Pulf. duplex est lethargus, alter cum putredine; alter sine putredine, vt alias etiam notaui.

Eodem Cap. loquens de pulsu lethargicorum, ait. *Et cadit in pulsu eius, cadens, in medio plus; quoniam virtus vitalis in ipsa est sanior*. Quæ sententia, quoniam desumpta est à Galeno Lib. 4. de Caus. Puls. ideo per pulsum in eo cadentem, intelligatur pulsus intermittens. Quod autem virtus vitalis sit sanior in lethargia, quam in peripneumonia, difficile est iudicare; cum à morbis frigidis, validius, quam à calidis, virtus vitalis labefactetur; deinde quod à maiori, & deteriori causa debilitante, fiat pulsus intermittens potius, quàm intercurrens; quos Lib. 2. de Præsag. ex Pulf. ad inuicem comparans Gal. in hæc verba scripsit. *At dissident hac re inter se, quod repugnat intercurrentibus, & decertat cum noxijs causis facultas; in intermittentibus, hoc piget illam facere*. Quare non est sentiendum, pulsum intermittentem in lethargia fieri, quia sanior sit vitalis virtus in ea, quàm in peripneumonia; cum in peripneumonia, intercurrens; in lethargia autem, potius intermittens fiat. Quod si per pulsum in medio cadentem, intelligit Auic. ipsum intercurrentem, non autem intermittentem, è directo opponitur Galeni sententiæ loco citato.

Subiungit Auic. *Et febris cum ea est minor; propter longitudinem ipsius à corde*. At febris minor non est in lethargia, ratione distantiæ à corde; sed ratione materiæ facientis morbum, alias à phrenitide similis sequeretur febris.

Inter alia signa huius morbi, recenset retentionem vrinæ; cuius duplicem assignans rationem, inquit, hanc fieri, *& propter obliuionem, & propter debilitatem lacerti vrinalis*. Obliuio huius quidem sympt. sufficiens est causa; at debilitas lacerti vrinalis, oppositum operatur; hoc enim debilitato, aut resoluto, urinam continere non possumus, ut habetur ex Galeno Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 4.

Necessaria est, inquit, *febris in omni apostemate, facto ab humore putrefacto*. At nisi Apostema sit magnum, vel sit in membro principali, vel cum principali consentiente, non sequitur febris, licet illud Apostema fiat ab humore putrescente, ut docuit Gal. quia limitatur hæc sententia ad Galeni mentem.

Inter signa consequentia lethargum, addit *commistionem rationis*, de qua alias scripsi; ideo ad illum locum confugiens, moneo, in eo lethargo tantum, qui ex putrescente pituita gignitur, posse delirium fieri; in eo autem, qui fit sine putredine, nequaquam; sed tantum in eo adesse virtutum rectricum imminutionem.

Cap. IX. Monet Auic. sæpius excitandum esse patientem à somno, *ne in subeth*

beth profundatur. Quod præceptum summo rigore est obseruandum, non tantum eos interdiu, sed noctu quinetiam sæpius excitando. Quare ego hoc obseruo, quod semper cum maxima vtilitate præstitum vidi, vt non modo per diem, quo tempore vigilandum est; sed etiam per noctem, qua videtur somnus conuenire, & dormiendum tuto esse, sæpius excitentur: non enim permitto, vt noctu dormiant diutius, quam horam integram, singula quaque hora eos excitando, vt interuallum vigiliæ, per singulas horas, quibus dormiendum erit, habeant. Quod præceptum cum ab aliquibus neglectum viderim, per spatium longum, & per plures horas patientes dormire permittentibus, vidi etiam patientes in profundum adeo soporem incidisse, vt amplius euigilare non potuerint.

Habet hæc verba. *Deinde inunge corpus eius cum oleo, & nitro, & semine vrticæ, & semine laureolæ, & pipere, & pyrethro, & similibus.* Quæ omnia transcripsit ab Aetio; sed his vtitur Aetius, sinegmatis loco, post balneum, non autem eo modo, quo Auicenna; cuius ideo corrigas illa verba, *semine laureolæ*, & legas, baccis lauri.

Cap. X. Hydrocephala affectio, in qua humor aquosus contineatur inter caluam, & membranam duriorem, non recipit curationem, secundum Auic. sententiam, quam à Paulo Lib. 6. Cap. 3. transcripsit. At si hæc materia per suturas disparatas resudat extra caluam, vt sæpè fit in pueris, ob ligamentorum mollitiem, cur non potuit, aut medicamentis, aut sectione educi? Quod si non extra caluam resudet, & huius habemus certa indicia, quæ tamen difficillima, cur cauterio occipiti inusto, non possumus sperare huius materiæ euacuationem, & eductionem, potissimum in pueris, quibus ossa sunt tenerrima, & propter mollitiem, corpus maxime transpirabile? Quare non est, vt hos pueros, tanquam deploratos relinquamus, qui omni ingenio, & cura potius tractandi, vt in pluribus ego præstiti, & tentaui, & simul perfeci.

Cap. XI. In hydrocephala, si multa sit materia, præfertur ab Auic. curatio per sectionem; si pauca admodum, per medicamenta discutientia. At ego animaduerto, in pueris, siue multam, siue paucã, dummodo excessus in copia non fuerit, per sola medicamenta curari posse; sicut experientia sæpius comperi, sectione nunquam tentata, cum salute tamen quamplurium. In adultis autem idem quandoque tentaui, nec sine fructu; in aliquibus tamen, reluctante morbo, ad sectionem tutò, & cum patientis salute deueni. Quare laudo sectionem in adultis; in pueris autem non ita probo.

Cap. XII. Agens de affectu ex phrenitide, & lethargo conflato, qui ex duplici humore, videlicet bile, & pituita generatur, à Paulo transcribens, inquit. *Quandoque vtrique humores in tali affectu æquantur; quandoque ipsorum unus alterum vincit, & vincunt tunc eius signa.* At hæc sententia non consentit Galeno, qui docuit, hunc morbum fieri solum, dum causæ æquantur, & humorum alter alterum non superat. Vbi enim, vel bilis, vel pituita superior sit, pro ratione materiæ, appellat eum morbum, vel phrenitidem exquisitam; vel lethargum exquisitum, vt habetur Lib. 1. Prorrh. Com. 1. quo loco hæc sententia expresse per hæc verba legitur. *Quoties igitur vterque humor cerebro molestus fuerit, prehendunt hominem contraria symptomata, ita vt tum vigi-*

let; tum leuiter in somnum feratur. Cum verò, & ad somnum defertur, simul & desipit, mistam ipsi permanere affectionem est putandum. Nonnunquam & in horum alterum res ita deflexit, vt vel bilis, vel pituita superior sit, ægerque reddatur, aut phreniticus exquisitè, aut lethargicus. Hæc Gal.

Cap. XIII. Vomitum probat Auic. in curatione huius morbi, vbi multitudo cibi eius causa fuerit. At si per multitudinem cibi, intelligit prægressam diætam, ex qua potuit, tum bilis, tum pituita accumulari, ad quid prouocare vomitum, ratione illius cibi? Hoc forsan probat; quia rationi consonum est, si multitudo cibi præcessit, etiam multas cruditates, & multam pituitam in ventriculo abundare, quæ prius deturbanda è ventriculo est, antequam alia administrentur medicamenta.

Lib. III. Fen. I. Tract. IV.

Cap. I. Recensens causas Subeth, inquit, somnum hunc non naturalem, primo fieri ab intemperie frigida, introducta; vel à causa externa, vtpotè ab aere frigidiori, sicut exemplum adducit in principio capitis sequentis; vel à medicinis refrigerantibus, quales sunt stupefacientes. At sciendum est, Auic. cum Galeno concordare in secunda, dissentire autem in prima causa; censet enim Gal. vt habetur 2. Lib. Aph. Com. 3. à pura intemperie frigida fieri somnos longos, non autem sopores, quales contingunt in lethargicis passionibus, nisi humor accedat. Hoc idem habet Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 4. dicens. *Si frigus cum humore vehementer intendatur, soporem, stuporemque constituit; sine vero hoc, memoriæ nocet, stultitiamque inducit.* Per quæ verba, soporem, ab intemperie frigida solum inductum, excludit. Similem habet sententiam Lib. 2. Prorrh. Com. 29. agens de nomine, & causis soporis, vbi hæc habentur. *Demonstrauimus quidem, vigilantiam fieri, propter tum siccitatem; tum caliditatem primæ sentientis partis, idest cerebri; somnum verò ex contrarijs, cum scilicet ex humidi vtilis copia grauetur corpus, quomodo ex crapula profundus somnus oritur, quem, carum, si lubet, appellare potes; non discrepante autem affectione, in nomine solum controuersia est. Cum verò cerebrum ob pituitam, tum humectetur, tum refrigeretur in lethargicis affectionibus, coma erit, quod & ipsum, si lubet, carum appellare poteris.* Ex quibus verbis clarè apparet, intemperiei calidæ opposuisse, non puram intemperiem frigidam, sed vna cum materia, cum dicat, hanc refrigerationem à pituita fieri. Hinc Gal. vbique docet, soporem à pituitoso humore produci, non à pura intemperie. Vnde Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 2. loquens de Sopore, Apoplexia, & Epilepsia, dicebat. *Horum trium morborum, frigidus, ac crassus, ac omnino viscidus humor causa est.* Et Lib. 1. de Sympt. Cauf. sub finem, cum loquutus esset de causis naturalis somni, dicebat. *At cum à multo humore frigido grauatur, eum, qui in comaticis, & lethargicis cernitur, somnum affert.* Lib. autem 13. Meth. Cap. 1. docens, quibus indicationibus, in curatione soporis procedere debeamus, docet, ratione crassitiei, incidendum; ratione autem frigiditatis, calefaciendum esse. At si sopor à pura penderet intemperie, nulla daretur indicatio incidendi, sed sola calefaciendi intentio sufficeret. Hoc idem plurimis alijs in locis affirmauit;

mauit; cuius ratione, censeo, soporis veram, & immediatam causam esse intemperiem, non puram, sed cum materia pituitosa, & frigidiori; intemperiem autem frigidam puram, progignere quidem somnos longos, non tamen sopores. At si sola cerebri intemperies frigida, apta est somnos longos parere; igitur quandocunque deperditur memoria, quod contingit, vt ex loco supra citato apparet, ob intemperiem puram frigidam, semper patientes somnolenti, & comatosi erunt, cuius oppositum experientia, & Galen. verba testãtur; ex his enim, qui memoriam amisere, alios vigiles, alios somnolentos, alios, quoad somnum, & vigiliam, naturaliter se habere videmus. Galenus hoc idem docet, causas explicans, cur alij sint in vigilias, alij in somnos proni, alij vero medio modo se habeant. Ad hoc sciendum est, quod quum virtutes rectrices cerebri, non compositionis varietatem, vt docet Gal. Lib. 8. de Vsu Part. Cap. 13. sed bonam sequantur temperiem, quod ex harum læsione, virtutum motiuarum, & sensibilium potius arguitur lęsio in ventriculis, & meatibus cerebri, quam in eius substantia; quoniam cerebrum his virtutibus, per partes instrumentales inseruit. Hinc eadem materia, diuersas has cerebri partes occupans, diuersos producit morbos; cuius merito dictum est ab Hippocr. melancholicum succum, *si in corpus cerebri repat*, idest, si partes instrumentales lędat, *epilepsiam*; *si in mentem*, idest partes similares, & eius substantiam apprehendat, *melancholiam parere*. His stantibus, dico, quum somnus sit passio lædens primo virtutes motiuas, & sensitiuas, memoriæ autem iactura comprehendatur inter læsiones virtutum rectricum, quod frigiditas somnum inducens, potius afficit partes instrumentales cerebri, quam eius substantiam; ea autem, quæ memoriæ iacturam infert, potius occupat substantiam, quam partes instrumentales; hinc in illa, quum ventres magis, quam substantia, vt testatur etiam Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. cit. cerebri afficiantur, neque sensus, neque motus officio fungi possunt patientes; cum per instrumentalium partium rectam dispositionem hæc fiant; in hac verò, qua potius substantia, quam ventres frigida intemperie afficitur, memoriæ iactura sequitur; quoniam rectrices virtutes, temperamenti cerebri præstantiam, & qualitatem sequuntur. Hac igitur ratione, eadem intemperies frigida, modo potest somnum longum, modo memoriæ iacturam parere; somnum quidem, si partes instrumentales, & præcipuè anteriorem ventriculum; memorię iacturam, si substantiam ipsam, & cerebrum occupet; cuius diuersitatis merito, liquet, in memorię iactura, non esse necessarium, ut sopor succedat, ita ut ij qui sunt immemores, sint etiam soporosi; & ideo cum memoriæ iactura à pura pendeat intemperie frigida, nisi vel humida, vel sicca accedat qualitas, naturalem somni, & vigiliæ potest seruare statum. Si autem humiditas, vel substantiæ cerebri, vel humoralis, somnolenti euadent patientes; si vero siccitas similis, vigiles erunt.

Inquit, quandoque somnum profundum, & grauem fieri ex multitudine vermium, & Ascaridum. Lumbrici quidem teretes, ut experientia, & omnes testantũr, possunt somnum talem inducere; at Ascarides nequaquam; cum & ratione loci, & ratione materiæ, & ratione affectus, cum cerebro nihil commune illis sit. Quod idem falsum esse mihi experientia ipsa testata

est; quinimo vigilias, quia pruritum inducunt.

Eodem Cap. agens de loco affecto, & causa Subeth, habet hæc verba, *Et oportet quidem, ne oppilatio perueniens in subeth, sit completa; neque cum multa spissitudine, etsi non fiet nocumentum in anhelitu.* At sciendum, quod in sopore, semper seruatur spiratio secundum naturam; ut docet Galen. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 2. Si autem in anhelitu nocumentum contingat, non amplius Subeth, seu sopor erit, sed, ut ibidem declarat Galen. Apoplexia succedit; & hoc, quia humor ille frigidus, crassus, & viscidus, qui & apoplexiæ, & soporis pariter est causa, non tantum ventres, & præcipuè anteriorem; sed & corpus cerebri obstruit; & ideo iure dictum est ab Auic. quod non oportet in Subeth, oppilationem esse completam, neque cum multa spissitudine, idest, in Subeth, non debet cerebrum omninò obstrui, nec materia obstruens debet esse admodum crassa, & viscida; quia si hæc essent, tunc fieret nocumentum in anhelitu. Sed si hæc fierent, quid tunc esset? non amplius Subeth, nec sopor esset, sed apoplexiæ periculum imminebit.

In fine capitis, inquit. Quod *ex somno sub sole, timendum est capiti; & qui fit sub luna, facit possidere screatum sanguinis, cum rascatione,* idest sputũ sanguinis à capite; *quoniam luna mouet humores.* At cum lunæ lumen, comparatione luminis solis, minus calefaciat, & magis humectet, non sanguinis sputum, qui à calidiori causa mouetur; sed pituitosorum humorum destillatio potius expectanda, ut experientia pluries mihi compertum.

Iuxta Galeni mentem, animaduertit, ex percussione musculorum temporalium, quandoque soporem produci. Sed præter percussionem, sciendum est, eorundem tensionem hoc idem præstare posse, ut contingit in exarticulatione maxillarum, si non restituantur; ut testatur Hipp. Lib. 2. de Art. Tex. 21. & 22. ubi hæc habet. *Si autem non redierint, ex febribus continuis, & segni sopore, vitæ periculum impendet. Musculi enim, cum præter naturam alterantur, & intenduntur, soporiferi sunt.* Non tantum autem hoc fit ratione tensionis musculorum temporalium; sed etiam attollentium maxillam inferiorem: quatuor enim sunt musculi, ab hac causa extensionem patientes, duo ex utraque parte, ut ibidem in Com. Galen. declarat.

Cap. II. Inter signa Subeth à pura intemperie frigida, recensens pulsus differentiam, hanc consequentem, inquit. *Et pulsus est extensus, tendens ad duritiem, cum raritate vehementi.* At Gal. qui de Pulsibus, proprijs libris exactè egit, aliter de hoc pulsu loquutus est; nam Lib. 4. de Præsag. ex Pulſ. loquens de pulsibus, qui fiunt cerebro affecto, inquit. *Sin frigiditas morbosa cerebrum afficiat, cum illi cor consentiat, tardiores, atque rariores æquo pulsus erunt; at si absque materia, sola intemperies cerebri fit, citra tensionem.* Quare his Galen. addit tarditatem, & negat tensionem, consentiens in raritate tantum.

Illa dictio, paulatim, addita, in differentia syncopes à Subeth, in neutro significatu undequaque vera est; nam si respicit syncopen, falsum est, eam fieri paulatim semper, plurimæ enim subitæ sunt; immo syncopes natura est, ut virtutum fit subitus casus. Si autem respicit mutationem coloris, nec semper est vera; quoniam multi syncope correpti, statim, non paulatim pallescunt. Quare, vel hæc dictio expungatur; vel intelligatur, quandoque hoc fieri, non semper.

In-

Inter Medicinas narcoticas, & Subeth inducentes, enumerat lac, in stomacho caseatum. Sed non existimet quis, hoc ita simpliciter eum asserere; quoniam, quod lac caseatum possit strangulationem, refrigerationem, & syncopen inducere, plures testati sunt; sed quod inferat subeth, nullus dixit; immo nec ipse Auic. Cap. proprio de lacte in stomacho coagulato, de hoc ullum fecit verbum.

Eodem Cap. ponit signa Subeth, facti à sanguine. At in hoc Auic. à Galeno, & cæteris scribentibus, qui neutiquã meminere sanguinis, dissentit. Nec videtur possibile, fieri soporem, seu subeth, à sanguine, ob eius propriã temperiem calidam; si autem ratione humiditatis, qui poterit somnum inferre? Non sopor certe, sed somnus, vel longus, vel grauis tantum produci poterit, non ita profundus, ut vix excitari ab eo patientes queant.

Cap. III. Emplastrum illud ex Scylla, quod in pura intemperie frigida administrat, cum sit rubificans, non videtur conuenire; cum hic calefacientia tantum, non metasyncritica, & euocantia indicentur.

Cap. IV. Inter causas superfluæ vigiliæ, recenset apostemata melancholica, & cancerosa in partibus cerebri. At de hac causa iure dubitari potest; tum quoniam, licet manifestum sit, melancholicum succum posse alluere, & inde vel instrumentaliter, vel substantialiter lædere cerebrum, non tamen ita certum est, posse fieri ab eo tumorem in cerebro cancerosum; tum quia cerebrũ, cum sit membrum nobile, & multis elegantibus instrumentalibus partibus dotatum, non videtur posse talem tumorem tolerare; tum etiam, quia nullus alius Auctor de his egit tumoribus. Immo Galenus non ausus est affirmare, cerebrum pati posse scirrhum; unde Lib. 4. de Præsag. ex Pul. Cap. de Puls. qui fiunt, menyngibus affectis, dicebat. *Cerebrum, & pulmo fortassis, ne admittant quidem scirrhum; duris enim corporibus, & spissis, hic affectus, non raris, & mollibus familiaris est.* Si autem difficile est, cerebrum scirrhosos affectus pati, tanto minus cancros pati poterit.

Habet hæc verba. *Et dolor quidem, qui decrepitis accidit, ex sahara, est propter nitrositatem humorum eorum, & salsedinem ipsorum, & siccitatem substantiæ cerebri eorum.* Ad quam sententiam, notetur locus Gal. Lib. 3. Aph. Com. ult. ubi habet, senum proprium esse vigilare; quoniam totus eorum habitus est exiccatus; hoc autem euenire, dum integra sanitate fruuntur. Quoniam autem senes, licet quoad solidas corporis partes sint ficciores, plurimis tamen solent abundare excrementis pituitosis, ob debilitatem caloris, si talia excrementa aggregentur in cerebro inquit, ipsos senes fieri somnolentos. Hæc autem excrementa cum sint pituitosa, non mirum est, ab his somnum induci; quæ tamen si calidiora euadant, ratione putredinis, & nitrositatis, poterunt producere vigiliam, ut inquit Auic. Quare cum hęc excrementa possint esse naturalia, & non naturalia; si erunt naturalia, ad mentem Galeni, fiunt senes somnolenti; si autem nonnaturalia, ratione nitrositatis, & salsedinis, ad mentem Auic. euadent senes peruigiles.

Cap. VII. *Et quidam existimauerunt*, inquit Auic. *quod declinatio ad diminutionem, est propter diminutionem substantiæ cerebri; & hoc quidem non est longinquum apud me.* At modus, & ratio huius sententię ab Auic. declaranda erat; quo-

niam ita simpliciter prolata, & dubia est, imò nec vera. Quare, suppleamus nos. Cerebri imminutio, alia est naturalis; alia est prçter naturam; & quæ naturalis est, vel est in summo, vel remissa existit. Quæ naturalis est, ex decursu fit ætatis; ut habetur ex Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 3. Com. 1. Nam cerebrum, sicuti & totius corporis omnes partes solidæ, annorum decursu, semper siccius redditur; quoniam corporis nostri humiditas, quæ ab ortu erat plurima, per ætates sibi inuicem succedentes, quotidie absumitur; absumpta autem hac humiditate, ætatis lapsu, euenit, ut cerebrum, quod in iuventute molle erat, & humidum, exiccetur; exiccatum autem imminuitur, qua imminutione facta, quoniam cerebrum siccescens, ac subsidens, recedit à caluaria, sequitur caluities; quoniam cutis nimium siccata, ex remoto cerebro, fomitem amplius non habet, quo capillos firmare, aut nouos producere queat. Hæc autem imminutio, quoniam ex naturali annorum decursu procedit, nec est in summo, quum adhuc in his multa supersit humiditas, nequaquam cerebri virtutibus noxia est; at procedente ætate, si homo ad ultimum perueniat senium, quoniam in eo facta est, eius, quæ superat, humiditatis ingens consumptio, indeque cerebrum admodum imminutum, & arefactum est, hinc fit primo, ut neruorum exortus exsiccari necesse sit; quibus arescentibus, non perinde, ut prius, videre, audire, nec quid aliud per sensus, & voluntarios motus, valenter, cum hinc infirma, debilia, exoluta omnia instrumenta facta sint, perficere potest; secundo, ut virtures rectrices non admodum polleant; nam si intellectus, neque virtutes cerebri, quæ bonam temperiem, ut ex Galeno dictum est, sequuntur, cerebro arefacto, non possunt non debilitari, & noxam ingentem pati; cuius debilitatis, & noxæ merito, cum hinc parum sapiant in decrepita ætate, & in ultimo senio constituti, vulgare illud dictum est, quod bis pueri senes fiant. Hæc autem imminutio, licet sit naturalis, quoniam est in summo, arefacto admodum cerebro, nihilominus virtutibus rectricibus noxia est. Et hæc de naturali cerebri imminutione. Quæ autem præter naturam contingit, fit pariter exiccato cerebro, sed non à causa naturali, ut quæ fit ex senio; verum, vel à nonnaturali, vel præter naturam. Nonnaturalis est vigilia superflua, inedia. Præter naturam, ut immoderatæ euacuationes, & huiusmodi exteriora, quæ vel subito, vel violenter cerebrum exiccantia, illud imminuant. Hoc autem imminuto, virtutes quinetiam rectrices imminuentur; quoniam ex hac imminutione cerebri, eius substantia arescit, qua arescente, temperies naturalis corrumpitur; cuius ratione dictum est à Galeno Lib. 1. Progn. Com. 13. *In acutis, delirium ex inopia, esse cum periculo*. Quod autem vigiliæ, utpotè nimium cerebrum exiccantes, possint virtutibus rectricibus noxam inferre, testimonium habemus Hipp. & Gal. Lib. 7. Aph. 18. Quod idem etiam ex superfluis euacuationibus, & potissimum sanguinis, euenire possit, ex ijsdem patet Lib. cit. Aph. 9. Quod verò ex inedia hoc quinetiam contingat, quotidiana comprobare potest experientia, qua vidimus plures, ieiunijs, & abstinentiæ, supra proprias vires operam dantes, desipuisse. Quod extrinseca quoque admodum exiccantia idem faciant, mihi comprobauit experientia nonnullorum, qui ad memoriæ facultatem, vel excitandam; vel augendam, medicamentis sic-

cioribus

cioribus utentes, desipuerunt, qui à me postea, ratione diminutionis intellectus, non amplius memoriæ diminutionem patientes, sanati sunt. Quibus sic habentibus, concludo, nō omnem cerebri imminutionem, diminutionem virtutum rectricum inferre, sed solum quæ est præter naturam; vel naturalis quidem, at in summo.

Distinguit lęsionem rectricum virtutum, secundum diuersitatem partium, & ventriculorum cerebri. At de hoc etiam loquuti sumus.

Cap. IX. Inquit, urinam oleaginosam, significare in febribus, *permistionem rationis*. Sed quum urina oleaginosa sit duplex, ut notat Galenus Lib. 3. Epid. Sect. 3. Com. 74. Altera, quæ verè pinguis est, & pinguedinem secum defert; altera, quæ non pinguis, sed colore, & crassamento oleum repræsentat, videndum de utraque quid senserit Hipp. & Galenus. Primam Hipp. Lib. 2. Progn. Tex. 35. inquit, tantum colliquationem indicare. Hoc idem docuit Gal. loc. cit. Lib. 3. Epid. & Lib. de Vrinis Cap. proprio. & Lib. 1. De Crisibus Cap. 12. ac alijs etiam pluribus in locis. Secundam autem Com. 74. cit. Lib. Epid. inquit Galen. sæpè se vidisse, nullo ægri detrimento redditam; immo verò, è contrario, in morborum concoctione, inferius subiungebat, has urinas duplices esse; nam vel ad candidiorem tendunt colorem, exoluto colore pallido, & tunc humorum denotant cruditatem; vel ad vehementer pallidum declinant, & tunc biliosum indicant colorem; in neutra verò harum urinarum prauitas est; si quid verò mali, est propter febris vim, ex qua tamen, si reliqua sint salubria, breui liberantur ægrotantes; concluditque, siue urinæ oleosæ sint, in prima; siue in secunda significatione, quod non sunt quidem salubres, nec tamen admodum perniciosæ. Hæc de Vrinis oleaginosis collegi, ex Hipp. & Gal. quorum nullus tamen asseruit, has delirium significare. Quare quomodo hoc Auic. afferat alij declarent.

Eodem Cap. asserit, *permistionem rationis*, factam ex cholera rubea, esse deteriorem ea, quæ fit à cholera citrina, cum inflammatione, & calore. Sed quicquid dicat Auic. de sua cholera rubea, sciendum est, choleram rubeam esse mitiorem citrina supercalefacta; quoniam rubea, est tanquam serum sanguinis, & non generatur per adustionem, nec unquam ad malum, ut sæpius obseruaui, euacuatur à natura. Quare ab ea delirium causatum, esse non poterit deterius eo, qui fit à cholera citrina, cum inflammatione, & calore factum.

Subiungit, fieri *permistionem rationis* aliquando à phlegmate putrefacto, & acuto. Quæ sententia vera quidem in lethargo, à putrescente pituita genito. Sed quod possit hoc fieri sine febre, & sine cerebri apostemate, non videtur verisimile; cum à tali humore non sit aptum cerebrum deduci in delirium; & ideo non sine ratione, in Cap. curationis, ab Auic. ipso postea prætermissa est cura huius affectus, cuius causam si veram censuisset, eius certè in curatione meminisset. Symptomata autem, quæ consequi talem affectum monuit, videlicet, quod isti existimant se esse aues, & bestias, non à pituit a sed ab humore melancholico induci possunt. Si autem ipsis grauantur capita, & in eis adsit Subeth, hoc contingit, quia simul cum melancholico humore, adest pituita cerebrum occupans.

Cap.

Cap. X. In curatione eius delirij, quod fit ratione bilis, quæcunque, & qualiscunque fuerit, non meminit sectionis venæ; quæ tamen in hoc Cap. est necessaria, ad refrigerandum tùm cerebrum; tùm hepar.

Cap. XI. Si Galen. audiuisset Auicennam dicentem. *Et oportet, ut ex illis perueniatur ad excitandum cor, cum medicinis sibi proprijs*, eius curandi modum derideret; cum affecto cerebro, habeat intentionem curandi cordis.

Agit de Amentia, prout fit tantum cerebro per se affecto. At fit etiam aliquando per consensum ab ore ventriculi; ut docet Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 5. ubi habet, aliquando amentiam generari, ob vitiosum humorem in ore ventriculi hærentem.

Cap. XII. Agens de corruptione memoriæ, & adducens signa frigiditatis, inquit. *Et si illic fuerit pura frigiditas, erit stupor, & vertigo*. Quæ duo signa nec posita fuere à Galeno, nec experientiæ respondent; ubi enim fit frigiditas pura, alijs qualitatibus temperatè se habentibus, nec stupor, nec vertigo, nisi quid aliud contingat, præter intemperiem, accidunt.

Eodem Cap. subiungit. *Et fortasse erit ex siccitate, cum caliditate; & erit cum ea permistio sensus*. Si intelligit Auic. posse memoriam per se labefactari ab intemperie calida, oppositum omnino eius, quod profitetur demonstrare Galen. proponit. Signum autem, quod cum ea sit permistio rationis, docet nos, talem affectum non posse dici memoriæ læsionem; nam ex delirio, læditur memoria, non per se, hac enim læsa per se, cæteræ virtutes non læduntur.

Cap. XIV. Inquit. *Superfluitas quoque vigiliarum resoluit spiritum, & debilitat eum, & cum hoc, replet cerebrum vaporibus*. At immodica vigilia, ex Gal. Lib. 7. Aph. 18. non solùm non replet cerebrum, sed etiam maximè exiccat, ita ut ex hac immodica siccitate, possit convulsio, & desipientia succedere.

Cap. XV. Asserit Auicenna, maniam posse fieri ex cholera adusta, generata ex phlegmate. At quomodo phlegma adustum potest conuerti in bilem adustam? Illud certè in tophum, per adustionem, conuertitur; non verò in aliud humoris genus.

Cap. XVI. Maniæ signa recensens, inter alia, hoc addit, quod si coagulatur sanguis in mamilla mulieris, maniam prænunciari ex hoc signo. In qua sententia animaduertendum est, Hipp. Lib. 2. Epid. in fine, dixisse, quod *in vtraque mamma vena crassa habetur, propter quam, maximam prudentiæ partem habet*. In ultimis autem verbis prædicti Lib. inquit, quod quum quis furere, vel insanire incipit, signum hoc præcedit, quod ei in mammis sanguis colligitur. Hanc sententiam coarctauit Hipp. Lib. 5. Aph. 40. ad mulieres solas, dicens. *Quibuscunque mulieribus sanguis ad mammas colligitur, furorem significat*. Rationem huius reddens Gal. in com. dicebat, hoc tunc contingere, cum feruidus, & redundans sanguis per totum labitur corpus, præcipuè autem petit caput, in quo motu, quum etiam pars ad mammas deferatur, non tamen ab eis ad alteram naturam, tum propter feruorem; tum propter exuperantiam permutari potest. Ab his locis transcripsit Auicenna hoc signum; non tamen, nisi litera sit corrupta, rem perfectè est assequutus; quoniam nec Hipp. nec Gal. dixerunt, sanguinē in mammis coagulari, quod nec fieri quidem potest, nisi à veneno; vel quum sanguis abundauerit excrementis

mentis crudis, frigidis, & craſſioribus, ſicuti alias declaraui; ſed tunc non erit ſanguis feruidus, cuius ratione inducitur mania. Quapropter legendum fuerit, ſi ſaluandus eſt Auic. non, *coagulatur*, ſed colligitur.

Cap. XVII. Mirum eſt, quod Auicenna, quum damnet prouocantia urinam, probet uſum radicis, & ſeminis fœniculi; quum hæc ſint diuretica. Niſi forſan, hæc agere in mania, per quandam analogiam credat.

Cap. XVIII. Inter eos, qui ad melancholiam pręparati ſunt, recenſet balbos, dicens. *Ex eis verò qui ad ipſam ſunt præparati, ſunt Trauli, & ſyllabam multoties repetentes, antequam dictionem proferant, & naturam habent faciliter iraſcibilem*. Ex quibus verbis, duo de balbis habemus; alterum, quod ad melancholiam, ex propria natura parati ſunt. Alterum, quod facile iraſcibiles exiſtunt. At contra hanc ſententiam habemus expreſſam Galeni doctrinam Lib. 6. Aph. 32. quo loco declarans, multis de cauſis hominem balbutire, tandem proponit eos, qui ſeruato habitu naturali, balbutiunt, ſolius immodicę humiditatis ratione, neruos irrigantis, balbutire. Talis autem humiditas immodica, eſt ratione cerebri humidioris, à quo, cum veriſimile ſit, etiam multas humiditates defluere, hinc linguę imbecillitas ſubſequitur, & ſimul in inferiorem ventrem ſuperfluę humiditatis delatio; ob quam, dictum erat ab Hippoc. *Balbi, ab alui profluvio maximè tentantur*. Si autem balbi, naturalem ſtatum ſeruantes, ſunt tales, ratione humiditatis copioſę, quomodo poſſunt eſſe parati ad melancholiam, & faciles ad iram; cum illa ſequatur ſiccam temperiem; hęc verò calidæ temperaturæ ſuccedat? Ad hoc ſciendum eſt, balbutiem duplicem eſſe; aliam, quę fit, ſiue homines tardè, ſiue velociter loquantur, & in omni ſermonis modo, dum proferunt literas quaſdam, inter quas potiſſimum recenſetur, r. Alia autem fit in his, qui velociter, & citiſſime loquendo, in ſermone ſæpe prohibentur, quominus perfectam locutionem poſſint obire. Prima balbuties ſequitur pituitoſos; cum hæc proueniat ratione ſuperfluæ humiditatis cerebri, linguæ neruos irrigantis, & debilitantis; ſecunda verò ſequitur bilioſos, ex quibus aliqui ſunt celeri lingua, velociter loquentes, & tanquam ex impetu ſermonem proferentes; ex qua velocitate, & impetu fit ut hæreant ſæpe, & impediantur in locutione. Hæc velocitas, & hic impetus fit in his, ex irritante bile, & ex celeri imaginatiua; cuius merito dicebat Hipp. Lib. 2. Epid. Sect. 6. Tex. 1. *Si caput magnum, & oculi parui, balbi, iracundi*. Ratio eſt, quoniam ex magnitudine capitis, colligimus copioſam cerebri ſubſtantiam; ex oculorum paruitate, eam non abſumptam eſſe in generatione partium aliarum. Quare imaginatio erit fortis; balbuties autem addita, quæ non ex humiditate, ſed ex calore partes irritante prouenit, clare indicat, hos iracundos eſſe. Quoniam autem in bilioſis, & iracundis, ſæpe ex ira, & calore, & ſimilibus cauſis aduruntur humores, unde melancholici fiunt, dicebat Tex. tertio. *Balbi, celeri lingua, melancholici, bilioſi, inconuenienter aſpicientes, iracundi*. Cur verò aduruntur in his humores, explicabat Tex. 20. dicens. *Quorum pectora ardentia ſunt, balbi, furentes, calui*. Cum enim ira ſit ſanguinis circa cor accenſio, in his, quorum pectora ſunt ardentia, ſcilicet, quorum thoracis viſcera calidiori ſunt temperie, facile ſanguis accenditur, & torretur; ex qua aduſtione quum

ge-

generetur, non amplius succus melancholicus naturalis, sed atra bilis; hinc Lib. eodem, Sect. 5. Tex. 5. dicebat. *Morbos habent, balbus, aut calvus, aut gracili voce, aut hirsutus vehementer, atrabilarius*. In his enim omnibus summa siccitas arguitur, cui si insuper accedat calida temperies, facile inde humorum exustio succedit. Quare concludo, balbutiem, non eam quæ pituitosos; sed eam quæ biliosos sequitur, duo hæc parere, scilicet præparationem ad melancholiam, & facilitatem ad iram; qua mente, sentio hanc sententiam ab Auic. velut ab Hipp. transcriptam, prolatam fuisse.

Adducens differentias melancholiæ, cerebro per se affecto, aliam dicit esse ab intemperie frigida, & sicca sine materia; aliam cum materia. At quod detur melancholia à pura intemperie sine materia, est præter Galeni mentem, cæterorumque Auctorum opinionem, qui omnes docuere, melancholiam semper fieri à materia melancholica, si fiat per se cerebro affecto; à vapore autem melancholico, si fiat per consensum à membris inferioribus. Nec videtur verisimile, quod à sola intemperie frigida & sicca quis possit fieri melancholicus; quoniam à pura intemperie frigida non potest fieri delirium, ut pluries, & pluribus locis docuit Gal. A siccitate autem immodica, licet aliqua desipientia, ut habet 7. Aph. 18. fieri possit, non tamen melancholica accidentia; quæ enim sunt propria melancholicis, vel humoribus, vel euaporationibus succedent. Si tamen Auic. sententia ullo modo sit probanda, ea tantum ratione fuerit, non quia pura intemperies frigida, & sicca, immediatè, sed mediatè tantum producendo melancholicum humorem, possit melancholiam procreare.

Exponens causas eius melancholiæ, quæ fit à frigiditate, & siccitate sine materia, inquit. *Quod eius causa est malitia complexionis melancholicæ in corde, cum materia, aut sine materia, cui communicat in ipsa cerebrum; quoniam spiritus animalis continuus est spiritui vitali, & ex substantia ipsius*. At ubi rediguntur spiritus vitales ad naturam melancholiæ, ratione cordis, hoc contingit; vel ratione caliditatis in eo existentis, & adurentis; & tunc, si ex his inficitur cerebrum, non fit hoc per intemperiem frigidam, & siccam; sed propter naturam illorum spirituum melancholicorum, & per vapores eiusdem naturæ ad cerebrum tendentes; vel ratione frigiditatis, & siccitatis cordis, & tunc, quomodo possit in his, ratione spirituum vitalium, infici cerebrum, non facile est explicare; cum vitales, per ulteriorem alterationem, animales euadant. Quare, quomodo hic consensus adeo celebratus ab Auicenna, sit verus, non est facile explicare, nisi his, qui cum Aristotele, contra Galen. sentiunt, in corde omnes virtutes, sedem, & originem habere. Huius autem sententiæ fuisse Auic. indicant subsequentia verba, dum vult docere, hunc eundem affectum posse ab alijs causis refrigerantibus, & exiccantibus fieri, ubi hæc habet. *Cum tamen non sit possibile, ut fiat absque communitate cordis; immo fortasse, magnitudo causæ in ipso, erit ex corde; & propter hoc necessarium est, ut consequatur cura cordis, cum cura cerebri, in hac ægritudine*, & cætera, quæ sequuntur.

Subiungit Auic. *Et scias, quod quando cordis sanguis est tersus, subtilis, clarus, lætificans, resistit corruptioni cerebri, & rectificat ipsum; immo non est mirum, si sit, secundum plurimum, principium illius ex corde; licet non confirmetur hæc ægritudo, nisi*

in cerebro. Sed hæc sententia contradicit Galeno, & experientiæ. Galeno quidem, quia semper docuit, solo affecto cerebro, non corde, virtutes rectrices lædi posse. Experientiæ autem, quoniam in ea melancholia, quæ producitur ab humore nigro, tantum cerebrum occupante, spiritus vitalis, licet perfectissimus, & nec ullo modo læsus sit, nequaquam tamen resistit læsioni cerebri. Nec verum est, hanc affectionem, ut plurimum, habere principium ex corde; immo rarissimum hoc est, quum tamen, ut plurimum fiat à solo cerebro, ex melancholia, vel illud solum occupante; vel in toto corporis ambitu exuperante; vel à vapore melancholico, eleuato ab hypochondriorum partibus, ut in hypochondriaca melancholia clarissimè apparet.

Declarans inferius, materiam facientem melancholiam, dicit, quandoque hanc esse *phlegma, cum conuertitur in choleram nigram, propter spissitudinem; aut propter aliquam adustionem*. Quam sententiam nisi nouissem ab excellentiss. viris iam falsam declaratam esse, exponerem, quomodo à phlegmate per se, quamuis crassissimo, & adusto, non possit melancholicus affectus introduci.

Explicans, quæ melancholia sit magis salubris, ait, quod est ea, quæ fit ex *fæce sanguinis, & cum qua fit gaudium*. Sed difficile est explicare, quomodo in melancholia sit gaudium; quum in ea debeat esse perseuerans timor, ac mœstitia, iuxta mentem Hipp. & Galen.

Paratos in melancholiam dicit esse eos, qui valde rubicundas facies habent, vel *brunos, & pilosos*. At præter hirsutos, & nigros, addebat Galen. rufo colore homines primo, post hos, flauos affatim quandoque in melancholicam intemperiem incidere.

Ait. *Ex melancholicis quidam rident; & propriè ij, quorum melancholia est sanguinea; quoniam imaginantur quod placet, & delectat eos*. At difficile est imaginari risum, & delectationem, cum timore, & mestitia continua, quæ sunt characterismus huius morbi. Præterea, quid per melancholiam sanguineam intelligat, est declarandum; nam alterum horum intelligendum est, scilicet vel sanguis crassior, qui tamen non est sub forma melancholiæ, à quo desipientia, non melancholia inducitur; vel fex sanguinis, & ab hac omnia accidentia melancholica, cum timore, & mestitia, non cum risu, & delectatione dependent. Quod si Hipp. Lib. 6. Aph. 53. meminerit desipientiæ cum risu, nequaquam tamen meminit melancholiæ cum risu; nisi melancholia largius, & non propriè sumatur ab Auic. videlicet, ut omne delirij genus includit; vel nisi intelligat affectum compositum ex melancholia, & desipientia, ut in fine Capitis videtur asserere, dicens. *Et dicimus, quod cholera nigra, faciens melancholiam, cum est à sanguine, est cum gaudio, & risu, & non concomitatur ipsam tristitia vehemens*.

Cap. XIX. Paulus, Aetius, & Antiquiores Medici docuerunt, in melancholiæ curatione maximum habere usum acetum acerrimum, & præcipuè scylliticum, contra Hipp. mentem, qui in affectibus melancholicis hoc damnauerat. Hunc usum reprobat, nisi, inquit, *sit fiducia, quod materia sit generata ex cholera adusta; quoniam est calida*. Sed tunc casus non est melancholiæ, sed insaniæ; ut habetur ex Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 5.

Cap. XX. Nulli dubium, quod in hoc Cap. Auic. agat de Lycanthropia, ideq; de Lupina Insania, licet dicat, hunc affectum apud Arabes, non à lupo, sed à quadam bestiola, diuersis motibus super aquam sine ordine, innatante, nomen habuisse; nam fere ad verbum, omnia de hoc affectu transcribit ab Aetio, & Paulo, ex Capite de Lupina Insania; quæ inde fit, quoniam, quum mores animi corporis temperaturam sequantur, permuteturque in hoc morbo hominis temperatura, in lupi temperaturam, ob atræ bilis in toto corpore abundantiam, hac de causa etiam hominis mores in lupi nos conuerti necesse est; unde fit, ut & noctu vagentur, & cadauera venentur, & sepulchra circumeant, ac omnia, ut lupi, faciant.

Cap. XXI. Iuxta mentem Aetij, & Pauli, qui hæc ex Marcello transcripsere, secat venam usque ad animi deliquium. Sed quæ potest esse huius ratio? Nam, non videtur in his talis conuenire euacuatio; cum isti sint emaciati, cauos oculos habentes, exiccati; & tandem undequaque extenuati, in quibus à venę sectione cauendum esse docet Gal. Lib. 1. ad Glauc. Cap. de Cura Febr. cum accidentibus, hæc habens. *Eodem modo, & quicunque supra modum crassi sunt, & macilenti; nam & his venam incidere cauendum est, aliasq; euacuationes integras vereri oportet.* Hoc idem innuebat Lib. 2. de Elementis Cap. 3. dicens. *Quod si medicinæ purgantes, sola ratione euacuationis, iuvant, cur non secamus venas omnium hominum, siue sint tenues, siue crassi, siue morbo regio, siue atra bile laborent? Sed horum quidem plurimis, qui sufficienter sunt extenuati, non parum profuit noxij humoris euacuatio; si quis vero his sanguinem auferre tentasset, statim occidisset.* Si autem in extenuatis, Gal. tam suspecta, & tam periculosa est sanguinis missio, cur in Lycanthropia, in qua patiētes sunt valdè emaciati, & valdè extenuati, non solum secant venam, sed etiam mittunt sanguinem usque ad animi deliquium? Faciunt hoc, meo quidem iudicio, propter magnitudinem morbi, videlicet, ut corpus inde suscipiat maximam mutationem, simulque, ut uniuersus habitus, à succo atrabilari, qui in venis abundans, cerebrum inficit, expurgetur. Nec obstat, quod in extenuatis prohibeat Galen. sanguinis missionem; quoniam de febrientibus, qui vi caloris ignei facile dissolui possunt, loquebatur; Lupina autem Insania detenti non febriunt. Præterea, in extenuatis illis non conuenit sanguinis missio, in quibus est extenuatio corporis, cum proportione humorum in venis existentium; ita ut, sicuti corporis membra sunt emaciata, ita pariter venæ sint exinanitæ; in illis autem extenuatis, in quibus talis non est proportio, sed solum membra sunt extenuata, venæ autem sint sanguine refertæ, in his, non tantum sanguinis missio non prohibetur, verum etiam laudatur. Nam cum in his non sequatur extenuatio, nisi ex debilitata carnosi generis facultate, una cum vitioso in arterijs, venisque abundante sanguine, cuius vitiosi sanguinis ratione, non fit à natura, nec attractio, nec recta nutritio, non modo non est dimittenda eiusdem euacuatio; verum etiam copiosè administranda venit; cuius merito Galen. non sine ratione, in ea muliercula, cuius meminit Lib. 6. Epid. Sect. 3. Com. 29. licet extenuatissima, cum vitioso huiusmodi sanguine, ob mensium retentionem, abundaret, non solum secuit venam, sed etiam misit sanguinem copiosissimè, ultra quatuor libras,

tribus

tribus diebus. Quod quum in his, qui lupina insania detenti sunt, locum habeat videlicet, quod in his, cum corporis extenuatione, non sit proportionata sanguinis moles, cum plurimus adsit in venis, atrabilarius, non solum conuenit in his sanguinem mittere, sed etiam copiosè; quod usque ad animi deliquium agendum erit, ubi vires constent, ad inducendam in corpore maximam permutationem; ut inde facilius permutato habitu, & educto sanguine peccante, resipiscant. Siccitas autem, quæ timeri potest ex venæ sectione, recta victus ratione postea administrata, corrigenda fuerit.

Lib. III. Fen. I. Tract. V.

Cap. I. Vertigo, est imaginatio, quod omnia exteriora, & ipse etiam patiens in gyrum circunuoluantur. Hæc imaginationis læsio inde prouenit, quoniam spiritus animales, in ventriculis cerebri contenti, inæquali, & inordinato agitantur motu, ob spiritum flatuosum, ipsos spiritus inæqualiter, & inordinatè commouentem. Huius spiritus flatuosi generatio, quandoque est in cerebro ipso, vel propter eius intemperiem inæqualem, vel propter præsentiam materiæ flatuosæ; quandoque est in membris inferioribus, à quibus ad cerebrum attollitur. Quare, hoc ordine causarum fiet vertigo, ut prius generetur hic spiritus flatuosus, vel in partibus inferioribus; vel in cerebro ipso. Hic spiritus flatuosus, receptus in ventriculis cerebri, inæqualiter, & inordinate spiritus animales commouet, & conturbat; ad hanc commotionem, & conturbationem, sequitur praua hæc imaginatio, quod omnia in gyrum circunuoluantur, eodem pacto, & eadem omninò ratione, qua ab alijs sensibus omnia talia iudicantur, qualia in ipsis sensorijs deprehenduntur, ut in cornea, ante pupillam, citrina existente, omnia visus citrina videat; humore dulci lingua delibuta, omnia dulcis saporis censentur; succo fœtido odoratus instrumentis imbutis, omnia fœtida sentiuntur; aere externo in sensu auditus incluso, sonus similis exterioribus persentitur. Quod idem in vertigine ipsa contingit: nam cum imaginatio recta fiat, existentibus bene dispositis spiritibus animalibus, spiritus enim sunt primum, & præcipuum animæ instrumentum, si male hi disponuntur, rationem eorum dispositionis sequitur imaginatio; unde, cum in vertigine, in gyrum circunvoluantur, & turbulento motu, à spiritu flatuoso agitentur; ita pariter imaginatio censet omnia in gyrum circunuolui, & turbulento motu moueri. Hæc imaginatio est symptoma in læsione virtutis rectricis imaginatiuæ; quę læsio, cum sit symptoma, debet habere morbum, à quo pendeat, & cui curatio debeatur. Quis igitur erit morbus iste, à quo talis imaginatio inducitur? anne obstructio, vel inæqualis intemperies, vel repleta cauitas, ut quidam sensere? Minimè verò; quoniam obstructio non concurrit ad hunc affectum producendum, nisi tanquam causa prohibens euaporationem spiritus flatuosi; nec inæqualis temperies concurrit, nisi tanquam causa generans spiritum flatuosum; repleta verò cauitas, si sit respectu circunstantium viarum, eo incidit cum obstructione; si autem respectu ventriculorum, non est sufficiens causa; quoniam licet ventriculi cerebri repleantur spiritu flatuoso, non

tamen sequitur vertigo, nisi, cum actu, spiritus ille flatuosus spiritum animalem conturbat, & in gyrum commouet. Si autem in ordine harum causarum, nulla est, quæ vertiginis affectum constituat, nisi illa animalis spiritus conturbatio, & inordinatus motus, non abs re videtur constituendus, ut alias scripsi, huius symptomatis morbus, malus spirituum animalium situs, & dispositio. At contra hanc sententiam duo maximè facere videntur. Primò, quod talis spirituum situs, & dispositio, non habet permanentiam; morbus autem est affectus præter naturam, permanentiam habens. Secundò, quod spiritus animalis non sunt partes corporis nostri viuentis, & ideo in his non potest esse morbus. Ad primum, sciendum est, illum affectum in corpore nostro morbum dici, ut declarat Gal. Lib. de Sympt. Diff. & Lib. 2. Meth. & alibi, qui primo, & per se, idest immediatè actionem vitiat; quæ hunc præcedunt, non morbum, sed morbi causas; quæ vero succedunt, symptomata dici. Cum talis autem sit malus spirituum animalium, in vertigine, situs, qui primò scilicet, & immediatè actionem virtutis imaginatiuæ vitiet, nulli dubium, quin hic sit morbus, & quæ hunc præcedunt, sint omnia, causæ; ipsa autem imaginationis læsio, sit symptoma. Si autem iste situs est morbus; igitur, dices, debet permanentiam habere; quoniam, sicuti sanitas, quæ morbo est contraria, est affectio per se stabilis; ita pariter & morbus debet esse affectus per se stabilis. At sciendum, permanentiam, respectu morbi, non dicere diuturnitatem; sed essentiam, ad cuius confirmationem, & permanentiam, corrumpitur actio, ita ut, tandiu actio vitietur, quandiu morbus durat, quo remoto, actio in pristinum statum restituitur; quod tempus, siue longũ, siue breue, siue momentaneum existat, non facit, nec tollit morbi essentiam; cuius ratione scriptum à Gal. Lib. 2. Meth. Cap. 3. *Nam contrarium sanitati affectum, à quo lædi actionem dicimus, morbum tantum appellamus, siue diuturnus hic, siue breuis sit, siue momento duret.* Quare, in vertigine, dico, malum illum spirituum situm, permanentiam habere, non quia sit diuturnus, & diuturno tempore duret; sed quia, dum durat, vitiat actionem, habens essentiam in facto esse, non in fieri: nam spiritus flatuosus, dum commouet, & excitat spiritum animalem, ad motum illum inordinatum, est causa agens, cuius essentia est in fieri; post motus tamen excitationem, dum per illum motum male collocantur spiritus in cerebri ventriculis, non amplius res est in fieri, sed in facto esse; cum ratione motus, non amplius moueantur, sed moti sint; moti autem ex naturali statu, in statu præter naturam collocantur, qui situs habet rationem facti, & ideo dicitur morbus; sicuti in epilepsia contingit, in qua, dum fit accessio, obstruuntur ventriculi cerebri; quæ obstructio, licet aliquãdo sit momentanea, dicitur tamen morbus; quia tandiu durat accessio, quandiù durat obstructio, quæ habet essentiam in facto esse; quia licet ab alia causa excitetur, tamen firmata in ventriculis, non amplius habet esse in fieri; & ideo morbus iure dici, licet momentaneus, potest. Ad secundum dico, quod spiritus, corporis nostri partes sunt, si non sentientes, tamen principales; si non solidæ, saltem spirituosæ; quæ spirituosæ partes, inter principales corporis nostri recensentur ab Hipp. Lib. 2. Epid. Sect. 8. dum has tres esse constituit, Continentia, scilicet, Contenta, & Impetum facientia, quæ sunt,

spi-

ſpiritus ipſi. Si igitur ſpiritus ſunt partes corporis noſtri principales, & præterea primum animæ, ut ſæpius monet Gal. inſtrumentum, quid prohibet, his læſis, eiſdem inhærete morbos? Scio hoc difficile perſuaderi poſſe; quoniam nuſquam hoc Gal. expreſſe docuit; cuius nihilominus ſi dicta perpendamus, credo hoc facile, ex eius dictis conijci poſſe; cum, modò læſiones ſpirituum, ſtatuat cauſas ſymptomatum, modò ſpiritus pati alterationes, modo, diuerſitatem ſubſtantiæ, modo in qualitate, & numero diminui docet; quæ omnia, præter ea, quæ ratione cauſæ fiunt, ad morbos reducuntur. In quam rem, videas Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 5. qui dum ſyncopes cauſas immediatas explicat, alteram inquit eſſe, dum ſpiritus, vel imminuuntur, vel alterantur. Quare imminutio, vel alteratio ſpiritus, erit ſyncopes cauſa, ac proinde morbus; quoniam morbus eſt ille affectus, à quo primum, & per ſe actio læditur; quæ autem imminuunt, & alterant ſpiritus, ut expreſsè docet Gal. ſunt morbi cauſæ, non morbus ipſe. Cum igitur in ſyncope, habeamus ſymptoma, quod eſt viriũ præceps lapſus; ſymptoma verò ſequatur morbum, quem præcedit cauſa, non eſt negandum, quod imminutio, & alteratio ſpiritus ſit morbus, quæ ſunt cauſæ ſyncopes. Quæ autem imminuunt, vel alterant ſpiritus, omnia in genere cauſarum, non morborum recenſenda. De quo conſulatur etiam Gal. Lib. 1. de Sympt. Cauſ. Cap. 1. quo loco, cauſam diuerſitatis in viſione, refert in ſpiritum, qui pro varietate ipſorum, eſt cauſa, ut modo longius, modo propius, modo perfectè, quandoque imperfectius videat homo. Hæc autem cauſa, eſt affectus permanens, qui modo eſt morbus, modo eſt ſanitas. Experientia etiam compertum eſt, ſpiritu animali exinanito, ut habetur ex eodem Gal. Lib. 7. de Placit. Hipp. & Pl. Cap. 3. ſtupidum reddi animal, motu, & ſenſu erepto tantiſper, quoad iterum collectus reſtituatur. Si autem hoc; igitur huius ſymptomatis cauſa, erit hæc praua ſpirituum diſpoſitio; quæ ſicuti horum ſymptomatum eſt cauſa, per inanitionem; ita etiam per eorundem regenerationem, iterum animal, & ſenſus, & motus operationes obire poteſt. Eadem mente poſſent alia Galeni loca deduci. Sed hæc ſufficiant in præſens, cum hoc mihi abundè facere, ad declarandum, poſſe in ſpiritibus reſidere morbos, videatur; ad cuius ſimilitudinem, dixi, in vertigine, cauſam læſæ imaginationis, qua opinantur patientes omnia circumuolui, eſſe prauum, & malum ſitum ſpiritus animalis, ex flatuoſo illo ſpiritu, in cerebro eum commouente; adeo ut cauſa morbi, ſit ſpiritus ille flatuoſus, dum commouet ſpiritum animalem; Morbus, mala ſpirituum diſpoſitio, & ſitus; Symptoma verò, praua, & corrupta illa imaginatio. Quæcunque autem præcedunt illum vaporem, & ſpiritum flatuoſum, non in genere morbi, ſed cauſæ recenſentur; quoniam hoc caſu, non ut morbi, ſed ut generant ſpiritum illum flatuoſum, concurrunt; quorum omnium concurſus, nunquam vertiginem parerent, niſi ſubſequeretur malus ille ſpirituum ſitus, quo poſito, ponitur vertigo, & quo remoto, remouetur; & ideo cum immediatè ab hoc pendeat, morbus erit. Nec eſt quod dicas, hunc deprauatum ſpiritus animalis ſitum, eſſe ſymptoma, ab illis præcedentibus cauſis dependens; quoniam, cum tria ſint tantummodo ſymptomatum genera, vel in actione læſa ſcilicet, vel in excretorum, aut retentorum exceſſu,

vel in qualitatibus immutatis, ad nullum horum reduci potest. Non enim iste situs est in genere actionis læsæ, sed eius est causa. Nec est in genere excretorum, vel retentorum; quoniam ex hoc situ, nihil præter naturæ ordinem, vel excernitur, vel retinetur. Non in genere qualitatis immutatæ, quoniam talis situs sub nullum sensorium cadit. Quare, si non est symptoma, & sit affectus, primo, & per se actionem virtutis imaginatricis vitians, nulli dubiũ, talem spirituum situm, esse morbum, & quidem in situ. At, quomodo dicitur morbus in situ, num morbus ipsius spiritus tantum? Nequaquam; quoniam si spiritus sunt primum animæ instrumentum, non sunt anima ipsa, ratione cuius, corpus, mediantibus spiritibus operatur; operatio enim est corporis cum anima, mediante spiritu; unde, in virtutum rectricum operatione, cerebrum est id, quod dum viuescit ab anima, mediantibus spiritibus operatur. Operatur autem per propriam substantiam, dum rectè disposita est, tum quoad partem similarem, tum quoad organicam; ad quam rectam dispositionem, requiritur etiam iusta spirituum quantitas, qualitas, & situs; ex quibus si unum deficiat, omnia etiam in suo opere deficere necesse est. Vnde & ad malam temperiem, & ad malam formationem, & ad spirituum, vel quantitatem non proportionatam, vel malam qualitatem, vel pravum situm, semper virtutes rectrices vitiantur. Qua propter concludo, quod licet dixerim, vertiginem esse morbum in situ, spectantem ad spirituum dispositionē; non tamen assero, morbum hunc solius spiritus; sed esse morbum cerebri in suis operationibus, ob malum spiritus animantis situm, vitiati. Et ideo hic morbus tandem erit in parte sentiente, sed consequens ad læsionem in spiritu.

Declarans vertiginis essentiam ait, quod *fit, cum cerebrum, & corpus vertiginosi resolvuntur*. Quare subiungit, *non regit se ita, ut firmetur, immo cadit*. Circa quod, annotandum est, quod casus, in vertiginosis, non est signum pathognomonicum; cum plurimis accidat vertigo, absque eo quod decidant; sed hoc est indicium vehementis vertiginis: in hac enim obtenebrantur oculi, & cadunt ægrotantes, quod in priori non contingit; cuius ratione, differt vertigo simpliciter dicta, à vertigine tenebricosa appellata.

Cap. II. Et scias, inquit, Auic. in fine huius capitis, *quod Scotomia, & vertigo, cum prolongatur, tunc ægritudo est frigida*. At iam declarauimus, non simpliciter verum esse, omnem antiquatum morbum, frigidum esse. Quod idem assero de vertigine; nam si vertigo fit à sanguine, antiquari potest, & tamen morbus erit à causa calida.

Cap. III. Quamuis Auic. forsan, ob difficultatem operationis, eligat potius venarum, quam arteriarum post aures sectionem; attamen de modo sectionis arteriarum, ad Galeni, & Græcorum mentem, ut magis utilis, cum per arterias potius, quam per venas, spiritus, & vapores permeent, animaduerto, triplici modo ab eis consueuisse hanc operationem administrari. Alias enim scindebant arterias, alias discindebant; alias exscindebant. Differt autem, scindere, discindere, & exscindere; quoniam scindere, est simpliciter phlebotomare arterias; discindere, est transuersum totum corpus arteriæ secare, quo casu, retrahuntur arteriarum sectarum partes, nec amplius

san-

ſanguis per eas poteſt deferri; exſcindere vero, eſt in medio ſcindere. Qui tres modi vtiles ſunt, ſed difficiles; quoniam periculum eſt, ſi miniſter non ſit admodum peritus, ne ad aneuriſma, vel ad gangrænam, locus, ex arteriæ ſectione, deueniat; cuius periculi ratione, potuit Auic. ab ea abſtinere.

Pro curatione vertiginis, factæ à ſanguine, aut humore contento in corpore, inquit, primo ſecandam eſſe cephalicam; ſecando eam venam *quietam*, quæ eſt poſt aurem. Quietam autem hanc appellat, forſan, ad differentiam arteriæ, quæ nunquam quieſcit; non enim videtur Auic. velle in hoc conſentire Galeno, licet hunc modum curandi ab eo tranſcripſerit; cum Galenus, arteriarum poſt aures, quoniam arterias ſpiritus copioſior, & facilius, quam venas permeat, non venarum ſectionem eligat; Auic. autem venarum, non arteriarum ſectionem probet; cuius diuerſitatis forſan fuit hæc cauſa, quod difficillima eſt hæc ſectionis arteriarum operatio, & multo tutior, quam ea, quæ in venis adminiſtratur.

Subiungit, optimam eſſe ſectionem huius venæ quietæ, in curatione omnium ſpecierum vertiginis materialium, & inquit, quod quandocunque *hæc vena cauterizatur, & propriè in ea, cuius cauſa eſt aſcenſio vaporum ex corpore, quacunque via eleuantur*. In hac etiam ſententia diſcrepat Auic. à Galeni mente, qui Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 8. docuit, ſectionem vaſorum poſt aures, prodeſſe tantum poſſe, vbi ſpiritus per exteriores arterias ſurſum feratur; quod ſi hic ſpiritus per internas feratur, ex tali ſectione nullum præſtari iuuamentum teſtatur; & ideo inquit, *non omnes ex hac ſectione ſanantur; quoniam non omnibus, per exteriores partes ſurſum ad cerebrum ſpiritus fertur*.

Cap. IV. Agit de pandiculatione; licet Interpres, qui in hoc errauit, pro, pandiculatione, traduxerit, palpitatio; huiuſque curationem ponens, inquit, *Oportet euacuari humorem ſanguineum, & cholericum*. At cum dupliciter pandiculatio contingat, ſcilicet, vel in principijs febrium; vel ſine febre. Prima, curationem febris, non propriam curam requirit; ſecunda autem, cum ex halituoſis excrementis, vt docet Gal. Lib. 2. de Cauſ. Sympt. Cap. 5. pendeat, taliaque conſueuit natura, ſponte per illum motum excernere, & diſſoluere, vt apparet in puerili, & iuuenili ætate continuò fieri, non eſt, quod pro eius curatione, ad ſectionem venæ, & ad corporis purgationem, quæ ſunt remedia in morbis magnis requiſita, deſcendamus; niſi forſan caſu phrenitidis, cuius ratione, non autem pandiculationis gratia, talia remedia conueniunt.

Cap. V. Agens de Incubo, inquit, ipſum prænunciare, vel Apoplexiam, vel Epilepſiam, vel Maniam. Quod intelligendum eſt, niſi ſit à cauſa præcedente, ſicuti à crapula, à comeſſatione, à nimia ventriculi repletione; ab his enim, niſi affectus perſeueret, nihil mali impendet; ſicuti videmus continuò hoc fieri in pueris inordinatè viuentibus.

Cap. VI. Inquit, Incubum quandoque fieri ratione frigiditatis externæ, & conſtringentis cerebrum ipſum, cuius ratione, impediatur tranſitus ſpiritui animali. At ſi frigiditas hoc apta eſſet facere, imprimeretur in cerebro; impreſſa verò non poſſet facile remoueri. At Incubus ſtatim fit, & breuiſſimo tempore ſoluitur; intemperies autem non ita ſubito introduci,

nec ita statim remoueri potest; cuius ratione, demonstrabat Gal. Lib. de Loc. Aff. non posse Epilepsiam, aut Apoplexiam ab intemperie produci.

Cap. VII. Inter materias, inducentes epilepsiam, bilem ipsam recenset. At hoc est præter mentem Galeni, qui docuit, à pituita, & melancholico succo hanc solùm fieri; & aliquando etiam à sanguine; bilis autem nusquam meminit; & iure quidem, quoniam hæc materia in cerebro non potest adeò aggregari, vt in eo obstructionem facere queat. Nisi forsan Auic. hoc in loco intelligendus sit, non de ea tantum epilepsia, quæ per oppilationem fit; sed etiam de ea, quæ fit ratione prauæ qualitatis, stimulantis cerebrum. At hoc sensu, plura alia, tanquam apta epilepsiam inducere enumeranda erant.

Eodem Cap. inquit, Hippocratem dixisse, quod plurimæ oues patiuntur epilepsiam, & quod, *cum in cerebris suis anatomizantur, inuenitur in eis humiditas mala fœtida*. At Hipp. Lib. de Sacro Morbo, paulò aliter hanc sententiam expressit; nam hoc, non de ouibus, sed de capris affirmauit, videlicet, quod, frequenter epilepsia apprehendantur; cum enim niteretur ostendere, morbum hunc pendere ex humiditate, & pituita cerebrum irrigante, inquit. *Cognouerit autem hoc ipsum quis, & maxime ex ouibus, hoc modo correptis, & præsertim ex capris; hæ enim frequentissime corripiuntur. Si ipsarum caput dissecueris, reperies cerebrum humidum esse, & sudore refertum, & male olens*. Hæc Hipp. Quæ mala, & superflua humiditas, forsan est causa, vt ad basin cerebri caprarum generentur aliquando vermes, qui, secundum Delphicum Oraculum, si veste substrata, antequam terram attingant, colligantur, huic morbo valde aduersantur, vt narrat Alex. Trall. Cap. proprio, ex Democrate Atheniensi. Quæ eadem superflua, & praua humiditas, est etiam potens causa, vt capræ non omnino sanæ censeantur; vnde non sine ratione Marcus Varro Lib. 2. de Re Rustica Cap. 3. dicebat. *Capras sanas, sanus nemo promittit*. & paulo post subdebat. *Quid dicam de earum sanitate; quia nunquam sunt sanæ*. Hoc de capris dixisse volui, vt epilepsiam, morbum earum, non ouium proprium esse indicarem, ad Hipp. mentem; qui si ouium meminerit, eas tantum, quæ morbo correptæ sunt, meminerat; de capris autem id subiunxit præcipuè, quoniam hæ potissimum hoc morbo frequenter corripiuntur.

In fine Cap. inquit. *Sicuti Apoplexia conuertitur ad paralysin; similiter, plurimum epilepsia conuertitur ad paralysin*. Sed si litera, prout est, affirmatiuè legitur, voluit Auic. à Galeno dissentire, qui Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 2. dicebat, morbum comitialem, esse medium inter soporem, & Apoplexiam; dicebatque, conuulsionem vniuerso inferre corpori, non tamen in paralysin finiri. De qua re alias scripsi, demonstrans, etiam ad Hipp. & Galeni mentem, aliquando epilepsiam in paralysin terminari. Sed hoc rarum est, & non plurimum, vt inquit Auic. & forsan Gal. quando dixit comitialem morbum non finiri in paralysin, intellexit de solutione morbi, quæ solutio in apoplexia consueta est, per paralysin, quæ in epilepsia non est insueta.

Epilepsiam quandoque fieri propter vermes, aut propter Ascarides, inquit Auic. At quod de vermibus dictat experientia, non attestatur de Ascaridibus. Nec ratio etiam huic rei adstipulatur. Vermes, etiam teretes, irrepunt omnia intestina, & totum ventriculum, & mordent, & prauas mit-

tunt euaporationes, at ascarides in recto intestino firmantur, nec mordicant, nec prauas mittunt euaporationes, sed tantum pruritum inferunt.

Cap. VIII. Docet, Epilepsiam fieri *ex nocumento adueniente ventriculo anteriori cerebri*. At ex Gal. in Epilepsia, non tantum anterioris cerebri partes, sed & cæteræ omnes patiuntur; vt docet Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 2. comparans cerebri morbos frigidos inter se, vbi habet. *In sopore, anteriores partes magis; in catalepsi, magis posteriores; in Apoplexia autem, & Epilepsia, vtrasque affici*. Quare, nō anteriori cerebri ventriculo tantum hic affectus adscribendus est, sed omnibus; immo cum omnibus competat, si quæ sit differentia, per quam magis vnus, quam alter læsus sit cerebri ventriculus, maior semper debet adscribi læsio posteriori, quam medio, & magis medio, quam anteriori; cum in eo præcipuè spiritus animalis, qui per epilepsiam prohibetur, quominus ex ventriculis cerebri possit effundi, primum, tum omnium sensibiliū, tum motiuarum, & rectricum facultatum instrumentum resideat, & vigeat; vt docet Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 5. vbi habet; Quod quamuis ventriculus medius non contemnendus sit, tamen induci se, vt postremum tantum amplectamur, duos autem anteriores deseramus, tanquam eum potissimum, in quo sit sedes animalis spiritus, qui per epilepsiam prohibetur exire ad operationes proprias.

Loquens Auic. de Epilepsia per consensum, ex aura, ab inferioribus partibus ascendente, inquit. *Cum ergo peruenit ad cor, & cerebrum ipsius, incurrit Epilepsiam*. Sed ad quid, meminisse cordis; cum epilepsia, non cordis, sed cerebri passio existat?

Quoniam de epilepsia loquens Auic. inquit. *Et nos testificamur, nos vidisse res mirabiles huius capituli*. Referam & ego huiusce generis notabilem casum. Habui mulierem Epilepticam præ manibus, omnia ex præscripto naturæ, quoad muliebria, habentem, cuius ratione, adeo erat fęcunda, vt singulo ferè anno infantem pareret; quæ vbi in quacunque corporis parte, acu, vel alia re acuta pungeretur, statim epileptica cadebat. Huius cutim exquisiti maximè sensus existimaui, prauo aliquo succo ali, qui ex punctura, & dolore agitatus, statim cerebro malam aliquam qualitatem communicaret, & inde Epileptica concideret.

Auic. ad mentem Hipp. docet, *in pueris, quandoque alleuiari, & remoueri, cum pubertate*, beneficio scil. ætatis. Quæ epilepsia, si post 25 annum, quem Hipp. vltimum pubertatis terminum existimauit, fiat in iuuenibus, cerebro per se, & primariò affecto, inquit Auic. concomitatur patientes vsque ad mortem. At hæc sententia indistincta est, nec mentem Hipp. explicat, experientiæque refragatur. Quapropter illam explicemus. Epilepsia fit in pueris duplici ratione; scilicet vel ob humiditatem cerebri superfluam, ab ortu contractam, cuius ratione, infantes statim epilepsia inuadit; vel ob errata, quorum ratione, genita plurima materia pituitosa, ac debili factocerebro, inde ingruat Epilepsia. Cum primo fit modo, solo beneficio ætatis, nam annorum decursu semper magis corpus exiccatur, alleuiari, & tolli potest; cum autem secundo, beneficium ætatis, ad morbum tollendum non est sufficiens; sed requiritur etiam manus medica, quæ arte affectus præter naturam,

turam, & ex erratis inductos tollat. Hoc docebat Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 5. cum Comitialis affectus in infantibus, causam esse naturalem intemperiem, scilicet cum cerebrum valde humidum est, monuisset, dicens. *Accidit autem hic idem affectus pueris, ob errata, medici curationem postulans; quando vero ob humiditatem oritur, plane infantes statim inuadit, desinitque ætatis conuersione, nullum nobis negotium facessens. Quapropter, quoscunque pueros, non à prima statim ætate, cum adhuc sunt infantuli; sed annorum progressu vexare inceperit, procul dubio, ob peccata in victus ratione commissa, aut ob aliam quampiam externam causam exortus est, in quibus, ætatis conuersionem præstolari non conuenit, sed factum morbosum affectum discutere.* Hæc Galen. Ex quibus patet, quæ epilepsia, ætatis solo decursu, in pueris sanari, & quæ non sanari queat. Sanantur enim illæ, quæ ex vitio ab ortu contracto fiunt; quæ vero ex erratis eueniunt, non ita; sed præter hæc, requirunt etiam manum medicam. Si autem epilepsia non infantibus, sed adolescentibus in pubertate accidat, hi etiam beneficio ætatis leuari possunt, si cætera, quæ facienda erant, simul ad hoc concurrunt. Vnde Lib. 2. Aph. 45. dicebat Hipp. *Qui morbo comitiali laborant, si iuuenes fuerint, mutationibus, maxime ætatis, & regionum, & victus, liberantur.* addas, & medicamentis oportunè adhibitis. Si autem epilepsia, nec ante pubertatem, nec in pubertate ipsa; idest post 25. annum superueniat, inquit Hipp. Lib. 5. Aph. 7. *Commoriuntur.* Sed qua ratione dictum est hoc loco, ab Hipp. Comitialem morbum, ante pubertatem, vel in pubertate apprehendentem, mutationem, idest solutionem accipere; qui vero anno 25 superuenerit, commori? Non sane, quia post 25 annum nullus sanetur epilepticus; cum experientia, & veritas oppositum attestentur; multi enim exacto 25 anno, & in adultiori ætate, si recta ratione curentur, sanantur. Sed quoniam Hipp. respiciens sanationem epilepsię, quę beneficio ętatis haberi potest, sensit; vt rei euentus demonstrat, eos epilepticos, qui tales euadunt ante pubertatem, vel in ipso pubertatis tempore, mutationem, idest sanationem ex pubertatis tempore, cum corpus inde magis exsiccetur, recipere; eos vero, qui post pubertatis ętatem, idest 25 anno exacto, nam pubertatem vsque ad 25 annum perdurare censet Hipp. euadunt, commori; idest quoad rationem tantum ętatis, commori; cum ab annorum decursu, non amplius, quoad morbum, beneficium recipiant, licet alia ratione sanari possint. Hanc esse mentem Hipp. explicat Gal. in Com. dum monet, non omnibus ex puberi ętate sanari passionem, nisi alia omnia rectè gesserint; & vltra pubertatem, non in omnibus perseuerare, si rectam victus, & medicamentorum rationem adhibeant; verum hi non habent ex ętate sanationem, sed quantum ad eam spectat, passio consenescit, & inde commoritur. Quare dico, hanc Hipp. sententiam, quod epilepsia post 25 superueniens commoriatur, non intelligi eo sensu, vt nullo pacto sanari queat; cum oppositum experientia, & Gal. testentur; sed intelligendam esse, respectu sanationis, quæ beneficio decursus ętatis habetur; cum ante pubertatem, mutatio ętatis ad solutionem huius morbi; post pubertatem autem, idest post 25 annum, nihil amplius conducere queat.

Cap. IX. Tradens Epilepsię signa ex stomacho, inquit. *Signa sunt, tremor in*

ore stomachi, & pracipuè cum tardatur cibus. Paulo post, subdit. *Et hic humor secundum plurimum, est phlegmaticus, qui causat talem Epilepsiam; cuius signa sunt, quod accidat epilepsia in horis repletionis, & alleuiatur, cum vacuitas adest*. Quare loquitur, confundens hæc signa. Galenus autem Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 5. tantum meminit Grammatici, qui comitialem morbum incurrebat, ratione ventriculi, cum inediam pateretur; reliquos, ex diuersis ventriculi indispositionibus hoc idem pati affirmabat; quos, ventriculi os debile, maximeque sensificum habere credendum est; his enim duobus absentibus, difficillimum est, epilepsiam à Stomacho induci.

Cap. X. Ab Alexandro Tralliano, qui proprio Cap. de Comitiali morbo, dicebat. *Iam apium vitandum est, ceu naturaliter comitiales offendens*. Exscribit Auic. dicens. *Apium propriè sua proprietate, quam habet in epilepsia, eam mouere*. Et tamen Gal. in Consilio pro puero epileptico, apium gustare concedit. Nisi forsan Auicenna, per Apium, intelligat petroselinum, quod prohibetur etiam à Gal. in epilepsia, eodem in loco.

Epilepsiam fieri in Autumno, asserit Auic. ob corruptionem humorum. At Galenus hoc retulit in diuersas, & repentinas aeris transmutationes, Vnde Lib. 3. Aph. Com. 22. dicebat, loquens de morbis autumnalibus. *Morbi vero comitiales accidunt his, qui naturam habent ad hanc passionem procliuem, propter repentinam ad contraria transmutationem; calor enim, media die; frigus vero in prima, & vltima eiusdem parte fit*. Nihil autem adeo comitiales accessiones, sicut talis varietas aptum est generare.

Cap. XI. Inquit. *Et ille, cuius consuetudo non tolerat, vt semel reficiatur, diuidat cibum suum, qui est minor refectione sua, in tres partes, & sumat duas tertias in prandio, & tertiam eius in cœna, post exercitium subtile*. Quæ sententia omnino opponitur Galeno, in Consilio pro puero epileptico; in quo docet, tertiam partem panis, cum obsonijs, in prandio; duas autem reliquas partes, cum valentioribus obsonijs, sicuti cum carne, in cœna sumendas esse, hocque ex proposito, & consulendi forma, in particulari casu monet.

Eodem Cap. laudat in epilepsia carnes caprinas; quia sint siccæ, & parum humiditatis habeant. Sed cum caprinæ carnes praui sint succi, bubulisque deteriores, vt habetur ex Hipp. Lib. 4. Reg. Acut. Tex. 100. cumque, vt in Com. à Galeno habetur, sint concoctu difficiles, & bubulis flatuosiores, acriores, & quæ ructus, qui prauam qualitatem habent, sæpius moueant, omnino ablegandæ sunt, & prohibendæ epilepticis; & eo magis, eum constet ex Hipp. vt superius diximus, capras hoc morbo præsertim affici, easque nequaquam ex Marci Varronis sententia, sanas vocari posse; constetque, capras cum hoc morbo tantam sympathiam habere, vt earum diuersæ partes epilepticos arguant, epilepsiæque accessiones, & conuulsiones moueant. Hinc si quis epilepticus, *induat caprinum corium recenter excorticatum, & infundatur in aqua*, vt ipsemet Auic. Cap. 8. testatur, qui hoc ab Alexandro transcribit, incurrit epilepsiam; quam etiam arguit caprinum iecur, vel suffumigatum, vel comestum, vt docet Aetius, & habet etiam Galenus Lib. 11. de Simpl. Med. & vt similiter ipsemet Auicenna testatur Cap. 10. idem asserens de eius cornu suffumigato. Quare censeo ego, tum quia difficiles

concoctu

concocta sunt carnes caprinæ; tum quia sunt praui succi, & prauos vapores, & ructus mouent; tum quia sunt morbosæ; tum etiam, quia aptæ sunt epilepticos, per plures earum partes, in epilepticas accessiones, & conuulsiones deducere, consultum esse eis, qui morbo comitiali obnoxij sunt, abstinere ab his carnibus; quæ licet, propter earum siccitatem, videantur posse conuenire; tamen, quoniam tot, quot ennarraui, obstant, clarum est nequaquam concedendas esse.

Ab oleribus omnibus abstinendum esse docet. *Si tamen*, inquit *excusari non potest*, quia aliqua patiens assumat, *administretur ei fumus terræ, & endiuia.* Postea subdit. *Et eis quidem conceditur lactuca; ego verò non plurimum eam laudo.* Perquæ verba, tacitè voluit notare Galenum, qui lactucam, in Consilio pro puero epileptico concedit. Sed aduertendum est, Gal. cum inter olera assumenda lactucam recensuisset, subiunxisse; *non tamen idem semper capiat volo; verum alias, aliud moderate.* Adeo vt lactuca raro, & parcè vti consulat; sicuti, & cæteris oleribus, non sanè, quod hæc omnino probet; sed quoniam consulens pro puero, multa condonabat, ne furtim, & intempestiuè postea ab ipso sumpta, maius inducerent malum; vt inferius exprimit, cum loquitur de æstiuis fructibus, quos licet prauos, consulit aliquando exhibendos; quoniam, inquit, *victus ratio non præscribitur Philosopho, sed puero, quorum natura est plurima desiderare, eaque intense; qui autem palam ab aliqua re, quam valde appetunt, prohibentur, hi, cùm data est facultas, plus nimio ingurgitare se consueuerunt.* Quamobrem concludit. *Pueris ego plura esculenta concedere Soleo, ex ijs, quæ non valde nocent, vt palam illis, & moderatè vtantur*, potius quam vt diximus, propter vehemens desiderium, furtim ex his, & voraciter assumere festinent.

Subiungebat. *Et conceditur eis coriandrum; propterea quia prohibet vaporem à cerebro; Ego vero vitupero eis ipsum.* Hic Alex. Trall. qui ea intentione coriandrum epilepticis concedit, notare noluit; & iure, quoniam, ut alias scripsi, coriandri semina tentant caput.

A raphano etiam epilepticos abstinere monet; quem concedit Gal. si parcè, & rarò assumatur, dicens. *Sed ex raphanis, haud quaquam illum degustare prohibeo; verum quodam intercedente spatio.*

Docens in fine Capitis, curare epilepsiam ex stomacho, monet, euacuandum esse ventriculum pulpa colocynthidis, & cum stœchade, habet hæc verba. *Quando vera epilepsia est ex stomacho, tunc conuenientiora, quibus fit euacuatio, sunt, pulpa colocynthidæ, & stæchados; & fiat in anno illud multoties.* Quæ sententia adeò aliena est à Gal. cæterorumque scribentinm mente, & ipsi rationi adeo refragatur, vt iure dubitandum sit, literam esse corruptam. Nam Gal. in tali curatione, vt apparet Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 5. assumit hieram, & non transcendit. Quam sententiam probantes Aetius, Paulus, Alex. & Orib. omnes, in hunc vsum hieram administrandam esse docuerunt. Nec Gal. vnquam in euacuatione ventriculi, adhibet medicamenta magna; vt apparet Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loc. & præcipuè Lib. 7. Meth. Cap. 11. vbi curare docet ventriculi affectiones, in quibus vitiosi humores, vel in eius cauitate; vel in eiusdem tunicis continentur; in quibus locis, vel

aloetica, vel hieram ipsam, vel absinthij cremorem, vel vomitum ex raphano, vel similia leuiora probat. Vehementiora autem prætermisit; quoniam hæc lædunt ventriculum, materiamque ab vniuerso corpore ad ipsum trahunt, locumque affectum magis afficiunt; in quibus, si vllum est medicamentum, quod ventriculo aduersetur, est ipsa colocynthis, vt norunt omnes practici, & vt Mesue, & Dioscorides docent. Quare, si litera stat, prout legitur, non admittenda hæc Auicennæ sententia; sed relegandi iuniores, pro curatione huiusmodi epilepsiæ, ad Gal. loca iam allegata, videlicet Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 5. & Lib. de Comp. Med. Secundum Loca; necnon Lib. 7. Meth. Cap. 11. vbi ex professo docet euacuare humores in ventriculo hærentes.

Cap. XII. Docet Apoplexiam duplici ex causa generari, scilicet vel per constrictionem meatuum cerebri; vel propter eorundem obstructionem; constrictionem autem hanc, inquit, à qualitate perueniente ad ipsum cerebrum, & illud idem constipante, & constringente, sicut est frigus forte, causari. At Gal. ex professo Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 7. docebat, Apoplexiam ab intemperie fieri non posse; sed tantum à repletione, & obstructione ventriculorum cerebri, his uerbis. *Apoplexia autem, quod subito eueniat, aut frigidum succum, aut crassum, aut uiscidum; qui principes cerebri uentriculos affatim implet, non totius substantia intemperiem causam esse manifestum est*. Sed forsan uidit Auic. locum Galeni Lib. de Diff. Morb. Cap. 5. in quo habetur, extrema frigora tales inducere aliquando, in refrigeratis corporibus, quales in Apoplexia accidere solent, passiones; hincque potuit arguere, frigus extremum, quia aptum est constipare cerebrum, posse apoplexiam inducere. Sed talis passio, in refrigeratis corporibus, non subito, sed sensim introducitur. Præterea Galenus ibidem satis expresse habet, talem passionem nō esse apoplexiam; sed affectum apoplexiæ similem; inquit enim paulo inferius, passionem prædictam huic morbo adaptans. *Alij simile quid his, qui morbo attonito laborant, patiuntur*.

Hanc eandem constipationem, seu *clausionem*, vt notat ipse Auic. videtur posse fieri ab aliqua re mordicante, vt demonstrant illa verba. *Clausio autem est, vt ad cerebrum perueniat, quod ipsum dolere faciat, aut impediat, & moueatur motu contractionis ab eo*. At hæc sententia ex diametro opponitur Hippoc. & Gal. qui talem causam, epilepsiam inducere, non apoplexiam docuerunt; à vapore enim, seu à materia mordicante cerebrum, generatur sanè epilepsia, vt docuit Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 7. hoc idem, exemplo ventriculi ostendens.

Repletio, altera duarum causarum apoplexiæ, inquit, aut *apostemans, aut non apostemans*. Quod detur repletio apostemans, Apoplexiæ causa, censeo Auic. transcripsisse à Galeno Lib. 2. Aph. 42. An autem recte mentem Galeni, in hoc assequutus sit, alias scripsi, declarans, Galenum, per dispositionem inflammationi similem, non intellexisse, nec veram inflammationem, nec verum erysipelas, nec quid aliud, quod tumorem vere faciat; quoniam in his, materia transmittitur à venis magnis, ad minores, à minoribus in porositates membrorum se insinuat; at in illa Apoplexia, cuius meminit Gal. materia retinetur ad intra vasa; sicuti ex pluribus Gal. locis probaui;

batu; nec in hac vnquam, quantum ad affectum, apoplexiam producente, febris adest; nec huius vsquam meminit Gal. nec Hipp. At in apostemate cerebri, necessariò febris, & admodum vehemens coniungitur.

Duplicem esse materiam Apoplexiæ, sine apostemate, docet, alteram, sanguinem; alteram, pituitam. De sanguine alias scripsi, quantum obtineat, Auic. sententia; de pituita verò nulla est controuersia; omnes enim in hoc consentiunt. At non meminit humoris melancholici, à quo nunquam Apoplexia oritur; prout docet Gal. ex Hipp. Lib. 6. Aph. Com. 56. & 57.

Auicenna affirmat, aliquando accidere, vt homo *apoplexiam incurrat, & in eo non appareat aliquid anhelitus*, ac si mortuus sit; & tamen postea *reuiuiscat, & sanetur*. Hocque testatur sæpius se vidisse. Cuius tamen oppositum docuit Hipp. Lib. 2. Aph. 42. dicens, *impossibile esse soluere apoplexiam fortem*. Fortissima autem, & acutissima ea est, vt docet Gal. in Com. in qua prohibetur anhelitus. Quare, vel dicendum est, Auic. falso iudicio, alterum pro altero morbo vsurpasse; vel saltem Aph. Hipp. intelligendum, vt plurimùm; sicuti pleraque dogmata medicinalia.

Apoplexia, inquit, *rarò accidit à caliditate*. Sed quid rarò, cum nusquam hoc fiat; nisi per caliditatem, intelligat causam externam, non internam; sicuti dat exemplum Gal. Lib. 3. Aph. Com. 20. de exercitatione, corpore plethorico existente.

Subiungit. *Cum autem dilatatur materia paralysis in vtriusque lateribus, prouenit Apoplexia; sicut cum constringitur materia Apoplexiæ ad latus vnum, accidit paralysis*. Hanc sententiam transcripsit à Galeno Lib. 4. de Loc. Aff. Capit. 2. vbi hæc habet. *Cumque hoc in loco, vtraque cerebri pars, tam dextra, quam sinistra afficitur, ne apoplexia hominem rapiat, periculum; vbi verò altera tantum, in paralysin finiri solet*. Quare id quod Galenus, cum periculo, posuit, affirmauit ille, quodque Galenus, ex alio morbo, futuri coniectura obseruauit, ille certo fieri comprobat.

Cum fuerit cum Apoplexia febris, tunc inquit *erit illic apostema, secūdum plurimum*. At Gal. nusquam meminit febris in Apoplexia, nec est de eius ratione, vt alias declaraui, febris inquam concomitantis, & prouenientis ab ipsa Apoplexia; quoniam de superueniente febre loquutus est, quam testatur Hipp. Lib. 6. Aph. 51. salubriter superuenire posse, vt ibidem in Com. declarat Gal.

Cap. XIII. Iuxtà literam antiquam, habemus, *Apoplecticos clamare*, seu habere *vocem strangulati*. Quod adeò experientiæ refragatur, vt altera litera sit præferenda, qua habetur, *Apoplecticum habere oregmonem*. Quod tamen nequaquam verum est de omnibus; sed solum in forti apoplexia, vt docet Gal. Lib. 6. Aph. Com. 51. In fortissima enim, anhelitus in totum prohibetur, vt habet Lib. 2. Aph. Com. 42. Et ideo in hac, nec stertor, nec oregmon apparere potest; in cæteris autem, nec ex Gal. in supradicto loco, stertor adest. Quare, signum hoc ab Auic. propositum incertum, nec determinatum erit; & forsan, si legatur, *habet vocem strangulati*, hoc transcripsit à Paulo, dicente, *uoce intermortua*. Sed apud Paulum, hoc significat, sine voce; quolibet autem sensu intelligatur Auic. rectè sensit.

Illam

Illam, quæ fit ex communitate membri, cognosces, inquit, *ex principijs, quæ tibi iterata sunt*. At quum ex Gal. non possit fieri Apoplexia, nisi obstructis ventriculis cerebri, erit impossibile, vt per consensum alterius membri sequatur. Nisi hæc sententia hoc sensu intelligatur, videlicet, quod per communitatem membri fiat Apoplexia; idest, per materiam, quæ in alio membro genita fuerit, quæ postea ad caput repens, cerebri ventriculos obstruat, atque apoplexiam induceat. Quæ sententia, licet vera, non tamen hoc sensu prolata est ab Auctore, vt apparet ex sequenti Cap. quo curam docet, dicens. *Et illius, quæ fit ex communitate, est regimen membri, cui communicat*.

Cap. XIV. In cura phlegmaticæ apoplexiæ, exhibet pilulas, ad euacuandam materiam pituitosam. At, sicut alias scripsi, cum omni motu destituantur Apoplectici, nec pilulas deglutire possunt, nisi maximam partem sint releuati, quo casu, non amplius Apoplectici, sed paralytici vocandi veniunt.

Si cum ea apoplexia, quæ facta est ex phlegmate, inueniuntur signa sanguinis, phlebotometur, inquit Auic. Sed si etiam non sint signa abundantiæ sanguinis, in morbis acutis, vbi vires constent, semper secanda est vena; neque hoc consulendum est, pro ratione humorum; sed pro ratione uirium, & morbi, ut sexcenties docuit Galenus.

Pilam ponendam in ore apoplectici docet, *ut non destruantur dentes eius adinuicem*. Sed hoc in epilepsia admittitur quidem, non uerò in Apoplexia, in qua nullus adest motus, & omnia membra sunt relaxata, & languida, ita ut nec maxilla quinetiam inferior, in his contrahi, & constringi queat.

Loquens de Apoplecticis conualescentibus, inquit. *Deinde fac eos balneari post tres hebdomadas*. Hanc sententiam transcripsit à Paulo, qui hæc habet. *Post uigesimum primum diem, balneo ægroti credentur*. idest possunt balneari, idque pro consuetudine hominum illius seculi, transacto hoc tempore; non autem, quod medicus debeat eos, pro ratione morbi, in balneum ducere, vt intellexit Auic. quoniam in non assuetis, balneum est perniciosum, vtpotè aptum genus neruosum humectare, & laxare.

Fen. II. Caput Primum.

Cap. I. Docens distinguere intemperiem humidam à sicca, inquit, quod in intemperie humida, *membrum inunctionem non desiccat*; vbi autem sit intemperies sicca, subdit. *Velociter membrum vnctionem exiccat*. At Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 5. docebat, intemperiem membrorum siccam, & humidam, ægrius, quam calidam, & frigidam corrigi; quoniam hæ actiuis, illæ materialibus, & imbecillis qualitatibus tolluntur; potissimum autem *difficilior est casus*, inquit, *vbi sit humectandum*. Ratio est, quoniam qualitas humida ægerrimè omnium in corpore exiccato recipitur. Quod idem inferius Cap. 10. affirmans dicebat. *Scire vero licet, harum omnium pessimam esse, inter simplices, siccam*. Si autem difficillimè corrigitur intemperies sicca, quæ si tolli debet, per qualitatem imbecillem, & materialem, quæ in agendo est segnis, est tollenda. Igitur membrum exiccatum, non velociter, nec citò vnctionem exiccare aptum erit. Quare conditio ista ab Auic. proposita,

non ita explicanda erit; cum membra exiccata nequaquam facile humiditates suscipiant; quod non tantum Galenus affirmauit, sed etiam experientia ipsa comprobat. Nisi forsan sententia Galeni intelligatur de solidis; Auicennæ autem, de carnosis; & præterea, si pars siccata incalescat.

Agens, eodem Cap. de ægritudinibus complexionalibus neruorum, meminit tantum frigidarum. At etiam ex calidis, malè afficiuntur, & ægrè habent nerui; vt docet Hipp. & Gal. Lib. 5. Aph. 16. vbi docent, neruorum incontinentiam à calido generari; nam, inquit Gal. hi fiunt imbecilles, eorum substantia à calore dissoluta.

Cap. II. Inquit, duplici ex causa generatur Paralysis, scilicet, vel quia spiritus animalis ad membra non penetrat; *vel, si penetrat, quia membra non suscipiunt eius impresionem, propter complexionis corruptionem. Complexio autem corrupta, aut est calida, aut est frigida, aut humida, aut sicca.* Ex his autem, calidam, & siccam non posse inducere Paralysin; *Calidum enim, nisi consequatur finem*, idest destruat membrum ipsum, non prohibet impressionem sensus; nec etiam siccum, vt apparet in extenuatis, & hecticis, in quibus calor est in habitu, in membris solidis, quæ etiam substantialiter exiccata sunt; & tamen in his seruatur motus, & sensus; sicuti etiam apparet in febribus ardentibus, in quibus dum torrentur ægri ab ingenti calore, tamen nec sensum, nec motum amittunt. Per quam sententiam, voluit Auic. tacitè reprehendere Alex. Trall. qui ex professo docet, ab intemperie calida, & sicca fieri paralysin; & rectè quidem; quoniam calidum, & siccum, nec spiritibus aduersantur, eos extinguendo, prout frigidum; nec membrorum adeo virtutem debilitando, vt spiritus animales suscipere nequeant; vt exemplo patet febrium ardentium, & hecticarum, quæ marasmodes. Historia autem, quam narrat Alex. potuit vt vera admitti, non quia ex intemperie simplici calida, & sicca membrorum orta fuerit paralysis; sed quia ob talem intemperiem, humores melancholici, & crassiores geniti eandem inducere potuerint, vel obstruendo, vel constipando membrum ipsum; cuius ratione mirum non sit, si cibaria acriora, & medicamenta etiam calefacientia, potuerint in huiusmodi capite noxia esse.

Inferius inquit. *Et scias, quod multoties expellitur materia humida ad extremitates, propter dominium caliditatis in corpore.* Hoc notandum est; quoniam non videtur conueniens, ex caliditate oriri paralysin. Attamen casus est possibilis, & qui experientia teste, aliquando accidit; quoniam ex caliditate aliquando liquefiunt materiæ pituitosæ, quæ motum ex caliditate nactæ, ad neruosas partes decurrentes, obstructione paralysin inducunt. Hinc dicebat Aetius. *At in his, qui derepente resoluti sunt, velut ex ardore, præstat irrigatio ex lanis succidis, & oleo, & aceto.* Subdebat Auic. hoc idem fieri ex *timore, pauore, ira, delicys, & angustia* Quoniam ex subitis motibus commouentur etiam humores, ex quibus, si qui ad neruosum decumbunt genus, possunt etiam paralysin inferre.

Cap. III. Positis signis Paralysis ab Apostemate calido, & à duro, ponens signa eius, quæ fit ab Apostemate molli, *vel fluxo*, seu, vt melius dicam, ab œdemate, inquit, non euacuari talem paralysin *à febre leui.* Sed materia est frigida, &

da, & in membro frigido, & non putrescit. Quare mirum, quomodo dicat febrem huic omnino anneċti; cum etiam ab œdemate, per se nunquam fiat febris, vt omnes scribentes docent.

Cap. IV. Curam neruorum ægritudinum tradens, primum hoc præceptum proponit, quod in curatione Paralysis, stuporis, tremoris, conuulsionis, & iectigationis, prima intentio sit, ad partem posteriorem cerebri, eiusque præcipua sit habenda cura. Quod præceptum non negligendum quidem est, vbi materia à cerebro demandetur, cerebrumque morbi origo sit. Attamen, quoniam membra particularia possunt particulariter, & ex particulari causa, non concurrente cerebro, paralysin, sicuti & alios prædictos affectus incurrere, vt docet Gal. & 1. & 4. de Loc. Aff. ideo regula hæc inutilis non seruanda; quoniam superfluum esset, ac vanum, caput, vbi non sit affectum, vel vt causa morbi non concurrat, euacuare, vel alterare; sed ea, quam tradit Gal. scilicet, vt originis nerui affecti, quisquis ille fuerit, cura habeatur, vt ipsemet, exemplo Pausaniæ Sophistæ docuit. Si autem Aetius, à quo forsan Auic. hanc sententiam transcripsit, Cap. de resolutione, dixit. *Vniuersa vero curatio à capite initium sumat; hoc enim radix est, & principium totius affectionis*. Animaduertatur, quod Aetius in hoc Cap. loquitur tantum de Paralysi, quæ dimidiam totius corporis partem occupat; non autem particularia membra; de qua postea agens, sequentibus cap. non meminit amplius curationis capitis.

Hieræ vsum, *commistum cum aliquo, quod sit sicut castoreum, exhibitum vsque ad drachmas sex*, commendat. Quam sententiam transcripsit à Paulo; sed Alex. rem clarius explicat, & medicamenti confectionem, vsum, & rationem docet.

Cum docuerit, Paralysin à materia, curari per calorifica, subdit. *Quandoque plures eorum iuuari à medicamentis, quæ infrigidant, & confortant, & prohibent materiam fluere*. Qui casus est addendus, vt superius notaui. Sed in hoc, acri iudicio vtendum est, nec Medicus dormitans sit; hocque intelligatur, ratione præseruationis, non curationis.

Aduertendum autem, Auic. in hoc Cap. pro cura Paralysis, non meminisse sectionis venæ; cuius tamen Paulus, Aetius, & Alex. meminere, eamque, pro ratione morbi administrandam esse docuere.

Cap. V. *Infantes*, inquit Auic. *facile liberantur à spasmo sicco, propter eorum complexionalem humiditatẽ*. At si ex Hipp. Lib. 2. Aph. 34. patientes minus periclitantur ex morbis, qui naturæ, & habitui proportionantur. Igitur pueri minus periclitantur ex spasmo à repletione; cum humiditas sit eis proportionata; & quoniam, vi caloris innati, & roboris virtutum naturalium, possint facilius, quam adulti, humiditates spasmi causam, discutere, & resoluere. Magis autem periclitabuntur, & difficilius sanabuntur pueri à spasmo ex siccitate; tum quoniam hic est improportionatus naturæ, & habitui eorum; tum etiam, quia difficilius corrigitur intemperies sicca, quàm humida. Nec est quod dicas, humiditatem reliqui habitus posse corrigere neruorum siccitatem; cum ea sit copiosa in pueris; quoniam, quæ causa potuit absumere humiditatem neruorum, absumpsisset etiam, proportione, reliquam

 humidi-

humiditatem, quæ in corpore abundabat.

Inter causas Spasmi, statim, in principio Capitis, enumerat caliditatem; quæ sicuti nusquam à Gal. nec Hipp. inter causas conuulsionis recensetur, ita nec verè est causa; quoniam spasmus tantum fit, vel à repletione; vel ab inanitione, idest à siccitate; vel à prauitate, seu qualitatis, seu materiæ lędentis neruos ipsos. Caliditas autem per se, nihil tale inducit. Quod si videatur caliditas, vt in febribus ardentibus, spasmum producere, hoc faciet siccando; siccatæ enim, ex intensa, & immoderata caliditate neruosæ partes, contrahuntur, & conuelluntur; quæ tamen non contrahuntur, nec conuelluntur vnquam ab intenso calore, antequam ab eo absumptæ sint neruorum humiditates. Quapropter, clare liquet, calorem non esse spasmi causam, nisi eo modo, quo crapulæ, ex opposito, inducunt spasmum ex repletione, generando humores pituitosos, & crassos; & ideo non causa immediata spasmi, sed mediata erit. Et forsan hoc innuebat inferius Auicenna, per hæc verba. *Et caliditas iuuat supra consecutionem, per resolutionem humiditatis*. Vel dicamus, caliditatem quinetiam esse spasmi causam, non per siccitatem; sed per repletionem, dum calor materias fundit, & eas ad neruos præcipitat; sicuti inferius exemplo probat Auic. aliquando contingere in febribus ardentibus, vbi plenum sit corpus. Quamuis autem caliditas, non per se faciat spasmum; frigiditas tamen hoc facere potest, indurans neruos, prout per summum frigus, gelu induratur; vti habetur ex Gal. Lib. 12. Meth. in fine. & Lib. 5. Aph. 17. & 20. quo casu, potest dici conuulsio ex inanitione, propter duritiem; vel ex repletione, ob humiditatem concretam.

Cap. VI. Signa spasmi, facti à repletione exponens, inquit, quod in hoc non *bibitur velociter, quod super ipsum ponitur ex oleo*. At hoc signum commune est etiam spasmo ab inanitione; quoniam membra valde siccata, difficillimè humectantia medicamenta admittunt; & hinc eorum curatio, vel difficilis, vel impossibilis redditur. Quare iudicium hoc vanum erit, nec poterit de spasmo à repletione coniecturam facere; quinimo, forsan velocius imbibitur in spasmo à repletione oleum, & cætera humectantia, quàm in spasmo ab inanitione: si enim velociter in hoc imbiberentur huiusmodi medicamenta, facilis eorum esset curatio.

Ex Hipp. declarans, quare melius sit, quod accidat febris post spasmum, quam quod febri superueniat spasmus, ad mentem Gal. exponit, quod in primo casu, est à repletione, & hunc soluere apta est febris; in secundo autem casu, inquit, quod spasmus, qui prouenit ex febre, est siccus, qui rarò recipit curam. Sed hic notandum est, quod ex febre non semper succedit spasmus siccus. Et hoc maxime animaduertant iuniores, vt rectam curandi rationem inire queant; quoniam, ratione diuersitatis spasmi, diuersa etiam requiruntur medicamenta; nam aliquandò, in febribus adurentibus, vbi refertum sit corpus pituitosis, & crudis succis, funduntur humores, qui ad partes superiores, & principia neruorum decurrentes, conuulsionem sæpe inducunt, sicuti etiam superius notaui ex Auic. atque in tali casu, solent quandoque lotia, ex crassis, & rubentibus, immutari in tenuia, & alba, propter ascensum materiei ad caput, vt docet Auic. & talis spasmus, non ex

inanitione

inanitione, sed ex repletione causam habet; imbibitis enim his humoribus in partibus neruosis, succedit contractio, & conuulsio, & inde spasmus.

Cap. VII. Ex his, quæ faciunt ad tollendam conuulsionem ex repletione, laudat præcipue *euentum febris acutæ*. At febres acutæ; cum periculo non careant, non ita tutæ sunt, si superueniant ægrotanti conuulsione correpto. Hippoc. autem, vt habetur Lib. 5. Aph. 70. laudat quartanam superuenientem, quæ non est ex acutis. Quare non intendant iuniores prouocare acutam febrem.

Si fuerit spasmus ex febre, curetur, inquit, *cum humectatione vehementi cerebri, & neruorum, & lacertorum, cum medicamentis vehementis humectationis*. At hæc curatio conuenit tantum in spasmo ex inanitione, à febre supra modum exsiccante; vbi autem fit spasmus, de quo superius loquuti sumus, ex materijs fusis, & decumbentibus ad neruos, ob febrem, eos fundentes, & mouentes, requiruntur roborantia neruos, & resoluentia medicamenta, non humectantia; & tunc, pro ratione præsentis febris, medicamenta erunt, cum ratione, & temperamento administranda.

Cap. VIII. Transcripsit Auicenna, ex Paulo potissimum, caput istud; qui iuxta opinionem Pelopis, asserebat, tetanum, eiusque differentias, fieri, repletis musculis spiritu, & aere crasso, nebulosoque; & ideo dicebat Auic. ponens differentiam inter spasmum particularem, & vniuersalem, idest inter spasmum, membrum determinatum occupantem, & illum, qui vel Tetanos, vel emprosthotonos, vel opisthotonos, sic dicebat. *Diuersitas vero eius*, inquit, *ab eo est, quoniam spasmus, nisi rarò, fit à ventositate; Alcuzez autem plurimùm fit à ventositate extensiua; imo Alcuzez, qui est compositus ex duobus spasmis, quandoque fit plurimum ex ventositate, cum dominatur in corpore*. Quæ sententia, nec Hipp. nec Gal. consona est, qui semper docuerunt, prædictos vniuersales spasmos, à repletione factos, vel à pituita, vel à melancholico succo, vel à sanguine inflammante fieri; quod licet non neget Auic. tamen ad mentem Pelopis, & Pauli, docet, vt plurimum hos affectus à flatu, & *ventositate* pendere; cum plurimùm, ex Gal. & Hipp. fiat à prædictis succis. An autem consueuerint etiam fieri à flatu, de Hipp. quidem, testimonium non habeo, nisi in spurijs Lib. vt Lib. de Flatibus. De Galeno autem, scio quidem, vt alias notaui etiam, convulsionem, ad eiusdē mentem Lib. 2. de Caus. Sympt. Cap. 2. fieri à flatuoso spiritu posse; attamen hoc nunquam de Tetano, nec de cæteris eius differentijs affirmauit. Quare hæc sententia Pelopis, excepta à Paulo, & ab Auic. mihi valde suspecta est; & potissimùm, cum nouerim, hos affectus esse acutos, & lethales parere morbos, vt omnes scribentes docent; qui tamen si fierent à flatu, tales non forent, quod ratione causæ, facilè discuti possent, & resolui affectus; flatus enim non ita discussioni, & resolutioni rebelles sunt, prout materiæ crassiores, quæ cum difficulter resoluantur, dolores, qui valde partes convulsas diuexant, sunt causa præcipitis virium lapsus, cum ægrotantium interitu.

Cum Alcuzez communis incipit, os, inquit, *clauditur, rubet facies, & dolor augetur*. Subiungit postea. *Et non deglutit, quod ipse sorbet*. Hoc autem signum

transcribit à Paulo, qui docens, qua ratione ipsis tetanicis, & ceteris distensionibus, potus exhibendus sit, ait. *Potus vero ipse, præter alia, tum paulatim, tum modicè assumitur; nam dum ægri potionem transmittunt, in nares ipsam propellunt*. Quæ sententia, indiscriminatim non est recipienda; non enim deglutitio in omnibus tetanicis, vt ego obseruaui, impeditur; sed tantum in his, qui lethaliter se habent; quod optimè notauit Hipp. Lib. de Morb. 3. dicens. *Cumque periturus est, sorbitionem potam, pituitamque per nares reiectat*. Et Lib. de Passionibus 2. in fine, dicebat. *Cum vero lethalis est, cibaria, & pocula, quæ sumit, per nares reiectat*, & Lib. de diebus Decretorijs, dicebat. *Cum vero mortalis est, cibaria, & pocula, quæ sumit, per nares quandoque prorumpunt*. Vnde patet, deglutitionem non impediri, nisi in his, qui perniciosè, & lethaliter habent; conualituri enim hoc non patiuntur.

Differentia inter Tetanum, & Spasmum, in principio, est, quod *Spasmus incipit in lacertis, cum motu; Tetani vero principium, in lacertis est, cum quiete*. *Cum quiete*, hic intelligatur, quoad sensum visus, idest, quoad apparentiam; quoniam, vt Galenus docuit, in Lib. de Musculorum motu, contractiones musculorum, & tensiones, sunt motus; videtur autem cum quiete, in tetano; quia cum nulla pars cedat, & omnes pariter contrahantur, videntur quiescere musculi.

Cap. IX. Opisthotonos, & Emprosthotonos *communicant*, inquit, *in præfocatione*. Intelliges, in difficultate respirationis, *& vigilijs, & dolore*, & ceteris symptomatibus ab eo enarratis. At ex Hipp. scias, licet communicent in eisdem affectibus, non tamen omnibus inesse periculum æquale; nam distensio ad anteriora, vt habet Lib. de Passionibus, in fine, est minus lethalis.

Hos eosdem affectus, inquit, communicare *in casu à lectis*. Parum aptè hoc transcripsit, sententiam Pauli exponere volens, dicentis. *Cerebrique à conuulsionibus periculum est, ne lecto ægri decidant*. Quod Paulus ab Hipp. exscripsit, qui Lib. de Diebus Decret. dicebat. *Quidam autem tam vehementer conuelluntur, vt qui adsunt, vix, quin de cubili cadant, tenere possint*. Quod idem docebat, in fine Lib. de Passionibus, dicens. *Qui adeo conuellitur, distenditurque, vt qui adsunt, vix eum contineant, quin de cubili saliat*. Quam sententiam præcipuè amplexus est Hipp. de distensione ad posteriora; quamuis hanc transtulerit Paulus ad eam quæ fit ad anteriora.

Cap. X. Docens cibandi modum, inquit, quod *buccella parua valde, & pultes subtiles sunt exhibendæ; quoniam transglutire est eis peruersum, & ad nares spuma resilit*. Transcribit à Paulo; sed vt dixi, hoc non contingit, nisi in his, qui perniciose, & lethaliter apprehenduntur; modus tamen cibandi seruandus est, ne ex malo lædantur.

Cap. XI. Tremoris causam assignans, inquit. *Huius autem causa, aut est in virtute; aut in instrumentis; aut in vtrisque simul*. Ex parte virtutis est, *cum debilis est*; quam debilitatem, ex pluribus causis, quas ipse narrat, assequitur. Ex parte vero instrumenti, vel cum instrumentum patiatur *mollificationem*, seu viam in paralysin; vel cum obstruitur à materia; vel cum exsiccatur. Ex vtrisque autem, vel cum instrumento tale accidat nocumentum, quod

com-

communicetur etiam virtuti; quod fit, aut ex vehementi eius intemperie, aut punctura animantis, aut humore prauo; vel cum virtus per se est debilis, & cum ea debilitate simul instrumentum proprium habeat nocumentum, ita vt in vtrisque simul sit læsio. At ex Gal. & Lib. de Rigore, Trem. Convul. & Palp. Cap. 5. & Lib. 3. Epid. Sect. 1. Com. 2. & 4. vnica est causa tremoris, scilicet ipsa virium imbecillitas; hancque, illo Com. 2. dicebat, causam esse continentem tremoris. Si autem continens; ergo vnica hæc erit causa, nec vt docet Auicen. instrumentorum læsio, debet, vt causa tremoris, & tanquam à prædicta distincta, assignari; potissimum, cum velit, ex parte instrumenti, virtute tantum constante, posse fieri tremorem, vt ex secundo membro eius diuisionis habetur; quod tamen non est possibile, nisi vbi per læsionem instrumenti lædatur virtus. Vnde hanc rem Gal. Com. illo 4. citato pulcherrimè explicans, dicebat. *Ex infirmitate virium semper tremorem fieri ostendimus, quæ quando sua sponte interim sunt infirmæ, atque propter affectum animi, aut etiam haudquaquam per se affectæ, ab onere graui hoc patiuntur, tres eius causarum esse diximus differentias, instrumentorum intemperiem, voluntati attributorum, affectum animi, grauitatem oneris.* Hanc verò rem magis coarctans Com. illo secundo dicebat. *Cum itaque tremores causam habeant, vt ita dicam, continentem, virium imbecillitatem; illæ uero afficiantur, aut per se, aut propter humorum redundantiam grauantem.* Intelligit autem hoc loco Galenus, *per se*, idest, quando vires ex se sunt debiles, ex quacunque causa hæc debilitas contigerit, scilicet, vel ob animi accidentia, vel ob instrumentorum intemperiem, vel ob superfluam euacuationem, vel ob vitalis roboris exolutionem, vel ob immoderatam intemperiem, vel ob quamcunque aliam causam resoluentem; quam optimè expressit Libro Citato de Rig. & Trem. Cap. 5. Has igitur intelligit per se debiles; quoniam vbi vires ab onere, vel à copia grauantur, per se quidem sunt fortes; debiles tamen, propter grauitatem redduntur. Vnde Com. illo 4. in 3. Epid. dicebat Gal. *Fit ergo tremor, non tantum in musculis affectis, & neruis; sed etiam ualentibus, ubi quis, ultra uires, onus attollere moliatur, aut manibus baiulando, aut humeris imponendo; quod idem, sicuti à causa externa fit, ita etiam ab interna, uidelicet ab humorum copia grauante fieri potest.* Quare concludens, assero, ex Gal. vnicam esse tremoris causam, ipsam virium imbecillitatem; quæ quidem vires sint debiles, vel ex se, vel propter onus grauans; asseroque, instrumentorum læsionem nunquam tremorem inducere, nisi vbi vires alterutro dictorum modorum læserit. Vnde patet, membrum illud diuisionis ab Auic. positæ, superfluum esse.

Patet etiam, alteram ex principalibus, tremoris causam omissam ab Auic. esse, videlicet, vbi vires vel à copia humorum, vel à pondere graui grauentur, tremorem fieri. Quæ causa in hoc consistit, quod vires grauatæ debiles reddantur, cui debilitati postea succedit tremor.

Galenum in expositione 26. Aph. Lib. 6. tanquam præter rationem, non admitentem sententiam Hipp. arguit. At Galenus non excludit dictum Hipp. sed præter rem positum pronunciauit.

Cap. XII. Curationem Tremoris docens, eius scil. cuius causam superius diximus eum omisisse, curam prætermisit, videlicet illius, qui à copia humorum

morum grauante, & opprimente vires oritur. Huius autem curationem docet Gal. Lib. de Rigore, Tremore, Conuulſ. & Palpit. Cap. 5. exemplo deſumpto ab Hipp. Lib. 2. Epid. Sect. 4. in fine.

Cap. XIII. *Ex parte instrumenti*, inquit, *causatur quandoque stupor, quoniam corrumpitur eius complexio, propter frigus uehemens*. Propter ſcil. diuerſas cauſas, inter quas, præ cæteris, exemplum adducit *tactus piſcis, qui nominatur berille*. Hic autem piſcis torpedo eſt, quæ per tactum quidem, torpidam piſcatoris manum reddit; at nequaquam per intemperiem, non dixerim frigidam, ſed nec per vllam àliam; at ſolum per venenatam qualitatem, qua, talem affectum, quem ex antipathia, ad ſenſum tactus habuit, inducere apta eſt; quod patet, quia hunc effectum, non tantum per tactum; ſed etiam haſta mediante, & ſubito, cum nulla intemperies ſtatim introduci poſſit, producere apta eſt; vnde dicebat Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. *Sunt qui putant, res quasdam, ſolo tactu, per qualitatis vim, ea quæ eis ſunt vicina, alterare poſſe; idque plane videri in marina torpedine, vtpotè cui tam vehemens ſit potentia, vt per piſcatoris tridentem, tranſmiſſa ad manum, alteratione, derepente totam reddat torpidam*.

Docens fieri ſtuporem ex parte inſtrumenti, quia eius complexio corrumpatur, ob vehementem caliditatem, exemplo vtitur eius, *qui remanſit in balneo uehementis caliditatis*. Quibus, credo Auic. alludere ad dictum Hipp. Lib. 5. Aph. 16. vbi docet, à calido, *neruorum incontinentiam* fieri. At, per neruorum incontinentiam, intelligitur imbecillitas. Vnde hanc exponens Gal. dicebat. *Nam, & hi fiunt imbecilles, eorum ſubſtantia à calore diſſoluta*. Ad imbecillitatem autem neruorum, non ſequitur neceſſariò ſtupor, vt apparet clare in conualeſcentibus ex morbo graui, in quibus neruorum adeſt imbecillitas, non tamen ſtupor. Quare à calore non cenſeo fieri ſtuporem, niſi vbi membra à calore diſſoluantur.

Stuporem dicit eſſe morbum inſtrumentalem, inferentem nocumentum in ſenſu tactus; quod nocumentum eſt, aut *per destructionem, aut per diminutionem ipſius tactus*. At deſtructio ſenſus tactus non infert ſtuporem, ſed paralyſin; ſola enim diminutio ſenſus tactus, vel tactus cum motu, conſtituit ſtuporem; ſicuti vbique docet Gal. Ad cuius ſimilitudinem, rectricum virtutum diminutionem, pariter ſtuporem vocamus, & ſtupidos illos dicimus, qui has virtutes rectrices non integras, ſed imminutas habent. Talem affectum appellat Hipp. *mentis torporem*, Lib. 5. Aph. 16. qui νάρκωσις Græcè dictus eſt.

Paulus declarans, quæ pars faciei ſit affecta, in tortura oris ex reſolutione, animaduertit, partem contortam, ſanam eſſe; alteram autem ægram. Hunc Auic. videtur reprehendere velle, & immeritò quidem, cũ Paulus verũ expreſſerit; in tortura enim faciei, vbi fit ex repletione, pars ſana eſt contorta; vbi autem fit ex conuulſione, pars contorta ea eſt, quæ conuellitur. Sed litera Auic. eſt ſatis intricata, & forſan ab Interprete male traducta.

In Tortura faciei, monet, non adhibenda eſſe clyſteria vſque ad quartum, vel ſeptimum; quod ſi aluus ſicca ſit, monet, in ſecunda die adminiſtrandum eſſe clyſterem ſatis lenem. Sed quæ huius præcepti poteſt eſſe ratio?

tio? Quoniam forsan timet, ne ex clysteribus acribus præcipitetur materia deorsum, vnde maius malum, quam tortura faciei succedat. At vanum est, imaginari, reuellentia inferius administrata, posse talem præcipitationem parere; quoniam talia non commouent materiam actu morbum facientem, sed illam quæ ipsam fouere possit.

Cap. XVII. Inquit Auicen. *Si inuenis signa sanguinis, phlebotoma uenam, quæ est sub lingua*. At hic notandum est, hanc euacuationem particularem esse, cui vniuersalia præmittenda sunt; vt docet Gal. pluribus in locis, præcipuè autem Lib. 2. ad Glauc. Hæc vnquam ab his particularibus euacuationibus curam incipiendam esse, quando potius ad locum affectum materiæ copia attraheretur, quam euacuaretur. Quod ideo animaduerto, tum quia hæc nobilis pars est læsa, facies enim est affecta, in qua omnis deformitas vitanda, & tollenda est; tum quia tortura faciei sæpe portendit aliquem grauem morbum, vel paralysin scil. vel epilepsiam, vel apoplexiam, secandas esse prius venas maiores; ac proinde faciendam esse vniuersalem euacuationem, antequam ad particularium venarum sectionem deueniamus; sicuti ordinatim docet Aetius, qui præmittens venæ sectionem, & purgationem, postea priuatim ad sectionem venarum sub lingua descendit. Si autem Paulus huius ordinis non meminerit, causa est; quia in particularium resolutionum curatione, solum particularia remedia recensebat, vniuersalibus prætermissis. Ad quem sensum exponendus est etiam Auic. alioquin in hac re lapsus.

Cap. XVIII. De Saltu, & Ictigatione, quam Medici Palpitationem appellant, agens, enumerat hanc affectionem inter neruorum affectus. Et licet sentiat, musculis, & carni etiam esse communem; sentire, tamen videtur eum esse proprium neruis. Attamen Gal. Lib. de Palpitat. Cap. 5. in principio, hoc negabat, dicens. *Palpitationi autem non sunt cuncta obnoxia; neruum siquidem, os, membranam, & id genus alia, nunquam palpitare uideas, quod cauo uacent, quo elata distendi, & comprimi depressa queant*. Accidit quidem neruis peculiaris affectus, per quem salire videantur, appellatus à Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 4. dum recenset eos morbos, qui non habent signum particulare, Saltus, & de cuius causis egit eodem Lib. Cap. 7. docens cur concutiantur nerui. At hic non est palpitationis casus; sed est motus convulsivus, de quo alias egi.

Monet, hos patientes, dum curantur, in *tenebrosa domo* locandos esse. At cum tenebræ minus moueant, quam lumen, dum huius morbi sanationem tentamus, potius erunt locandi patientes in lumine, quam in tenebris; cum hinc maior resolutio, quàm ex tenebrosis locis sit speranda.

Lib. III. Fen. III. Tract. I.

Cap. II. EXponens oculi dispositiones, ex eius operationibus, inquit. *Si oculus longinqua comprehendat, appropinquantia autem parua non uideat; qui tamen postea uidet, si ab oculo per distantiam longitudinis remoueantur, tunc spiritus eius est multum conturbatus, non clarus, neque subtilis*. At Gal. Lib. 1. de Sympt. Caus. Cap. 1. hanc eandem rem declarans, dicebat. *Quod si*

humidus

humidus simul, multusque est spiritus, longissime quidem videt, sed non exactè. Si autem exactè non videt, quomodo appropinquantia parua, quæ prope non videt, si remoueantur, postea videre poterit. Respondet Auic. *quoniam spiritus talis non subtiliatur, neque clarificatur, nisi motu longo*. At si per motum longum subtiliatur, & clarificatur spiritus humidus, & conturbatus; igitur parua nec poterit, nisi ad remotam distantiam videre; quod experimento repugnat, & poterit remota, ac ea quæ procul absunt, cum per motum longum attenuatus, & clarificatus erit spiritus, exactè videre; cuius oppositum docuit Gal. dicens, cum tali spiritu oculum quidem longissimè; non tamen exactè videre posse.

Cap. III. Docens dispositiones oculi, quæ fiunt per ventriculi consensum, inquit. *Si fuerint illic Phantasiæ causa stomachi, minorabuntur vacuitate, & multiplicabuntur in saturitate*. Si per saturitatem intelligit Auic. repletionem à cibo, non semper vera eius sententia; quoniam à bilioso humore, & materia mordicante, in ore ventriculi existente, possunt tales imagines generari; vt docet Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 1. & hoc potest esse sine cibi præsentia; & in his valde proficuus est hieræ vsus; si autem per saturitatem, intelligit cruditates, & præsentiam materiei prauæ, ad mentem Gal. Loc. cit. rem ipsam rectè exposuit.

Cap. IV. Monet, *permutari materiam ab oculo, per particularem euacuationem; vel per viam nasi; vel per venas propinquas oculo, sicut sunt duæ venæ lacrymales*. Sectionis harum venarum meminit etiam Galen. Lib. Cur. per Sanguinis Missionem Cap. 14. Meminit etiam Aetius Lib. 7. Cap. 28. in curatione suppurationis vnguis. Et Cap. 29. in cura Pustularum: & alibi etiam. Verum animaduerto, cum maxima præmeditatione ad hanc euacuationem deueniendum esse; quoniam, nisi in totum firmata sit fluxio, corpusque exquisitè euacuatum, talis euacuatio maiorum malorum causa esse consueuit; nam hinc, propter nimiam loci affecti viciniam, solent attrahi nouæ fluxiones, quæ, loco iam ex priori morbo conflictato superuenientes, eum in deteriorem redigunt statum; vnde vidi ego, his venis apertis, ex hirudinum appositione, tam copiosam, & grauem denuo superuenisse fluxionem, vt huic postea cæcitas successerit. Quare, non sint faciles iuniores in administratione huius remedij; sed summa cum præmeditatione, nec nisi necessitate vrgente, hoc agant. Hoc autem poterit præcipuè conuenire in cura antiquorum morborum, vt notat Auic. Cap. 9. in cura ophtalmiæ chronicæ, & antiquatæ.

Cap. V. Docens conseruationem sanitatis oculorum, inquit, præ cęteris, vitanda esse omnia ea, ex quibus generatur vapor multus; quod exemplo probans ait. *Sicuti est caulis, & lens*. At hæc sententia, ex diametro opponitur Gal. qui Lib. 2. de Comp. Med secundum Loca, docens, in examine dictorum Apollonij, curare dolorem ex ebrietate, & recensens cibaria, apta, & innoxia, monebat, brassicam, & lentem, vt potè quæ vapores exiccent, conuenire, dicens. *Ex oleribus, est lactuca, vtpotè boni succi, & refrigeratoria; & brassica, vt quæ vapores exiccet; sic & ex leguminibus, lens est*. Si autem hæc duo vapores exiccant, quomodo inquit Auic. quod ex his vapor mul-

tus

tus generatur? At de vsu lentis, & brassicæ, quoad conseruationem sanitatis oculorum, est hoc sciendum, quod vtraque hæc, biscocta, assumpta, sani oculi, visionem quia immodicè siccant, hebetare apta sunt; si autem oculus sit humidior, ac proinde non ita exactè discernat, hæc frequenti vsu, propter eorundem siccitatem, hebetudini oculorum conferre poterunt: superflua enim humiditate absumpta, spiritus tenuiores, subtiliores, clarioresque reddentur. Vnde Gal. Lib. 1. de Alimentorum Facul. Cap. de Lente, cum damnasset eam, quia crassum, & prauum succum gigneret, indeque apta esset melancholicas passiones, sicuti elephantiasin, cancrum, & similia producere, subiungebat. *Eandem ob causam, visum integrum, & inculpatum hebetat, ipsum immoderatè exiccans; ei vero, qui contrario modo se habet, confert.* Et Lib. 2. Cap. de Brassica, huic eidem fundamento innixus, dicebat. *Lens itaque, & brassica, inter se, mensura, siccant, ob idque visum hebetant, nisi forte totus oculus humidior fuerit, quam naturalis oculus postulet.* Quapropter hinc habeatur, quid de vsu lentis, & brassicæ, pro oculi visione, sit statuendum.

Immergere faciem in aqua clara, & aperire oculos, inquit Auic. *abstergit oculum, & acuit visum.* Hoc remedium consulit Aetius, adhibendum esse in Mydriasi, seu dilatatione pupillæ, hac forsan ratione; quoniam ab aqua illa, constringitur pupilla, & omnes oculi membranæ robustiores redduntur. Hoc remedium transcripsit Auic. ad conseruationem generalem oculi; quoniam roboratis membranis, & humoribus confortatis, ex aqua admota, difficilius omne excrementi genus suscipiunt. Talem immersionem, in Mydriasi, laudauit Paulus faciendam in marina aqua; cuius defectu, approbat muriam, vel poseam. Ratio est, quoniam Paulus curationem Mydriasis, ex superflua humiditate, tradens, exiccationi humoris superflui intentus erat. In oculo autem sano, probatur aqua simplex, & purissima; ex qua immersione, audiui non nullos visum diutius conseruasse acutissimum. Dimittatur autem marina, & salsa; quoniam hinc nimis mordicatur oculus.

Cap. VI. Docens, in quibus constitutionibus lippitudines, seu ophtalmiæ vagantur, inquit, ex Hipp. Lib. 3. Aph. 12. quod, *quando hyems est calida, & meridionalis, & postea subsequitur Ver septentrionale, & siccum, tunc fiunt ophtalmiæ.* Sed aduertenda est Hipp. sententia, qui ait, *lippitudines siccas fieri.* Siccas autem vocat eas, vt docet Gal. in Com. quæ sunt sine fluxu; cuius generis monet etiam Hipp. inferius Aph. 14. ad hyemem succedere, post aquiloniam, & siccam, tum æstatem, tum autumnum.

Cap. VIII. Docens curare oculi ex frigore conturbationem, Ταραξιν à Græcis dictam, inquit, conuenire balneum, non repleto existente corpore, & fomentum ex decocto chamęmillæ. postea subdit. *Et somnus longus, post vinum, est ex curis iuuantibus, siue sit ex sole, aut ex frigore aut ex aliis.* At vinum, ex Galen. Lib. 6. Aph. Com. 31. conuenit in his, quibus sanguinis copia crassioris in oculorum venulis continetur, sine vlla corporis plethorica dispositione, vt quod diffundere sanguinem, atque dimouere possit, & motus vehementia obstructiones aperire. Ex Aetio autem, conuenit vinum his, in quibus transmutatione, renutritione, ac humectatione, & calefactione,

ctione, moderataque euacuatione indigemus. His autem stantibus, quomodo potest vinum prodesse, præter quam in ophtalmia, quæ ex frigore accidit, vt etiam in his, quæ vi solis, aut altera ex causa generantur?

Et ophtalmia, inquit, *cuius causa est scabies, & est lenis, fricetur scabies in primis, deinde curatur ophtalmia; & quandoque remouetur, post fricationem scabiei, per se ipsam*. Parum aptè traduxit hunc locum, ex Gal. Lib. 4. de Comp. Med. secundum Loca, vbi agit de aspritudinibus palpebrarum; nam vbi dicit, *fricetur scabies*, debet dicere, deprimatur, vt apparet ex his Galeni verbis. *Verum in illis, audemus, ad inflammationis propria pharmaca, miscere parum, quod de extergentibus, velut est collyrium ex vino, aspritudinibus accommodatum, quo primum ea quæ palpebris succreuerint, deprimantur; vbi vero inflammatio oculorum mitior euaserit, aspritudines repurgentur*. Quare, non erit fricandus locus, vt sonant Auic. verba; sed per deprimentia curandus; fricatio enim magis exasperaret inflammationem, vnde ophtalmiæ incrementum accideret.

Cap. IX. Deueniens ad Ophtalmiam, ortum habentem manifestè intrinsecū capite, & enumerans liquores lenitiuos, inter eos enumerat oleum ros. At sciendum est, oleum omne, etsi optime lauetur, mordicare oculos; cuius ratione, Græci, in hunc vsum id non vsurparunt; immo Galen. Lib. 13. Meth. Cap. 22. comparans inflammationem cerebri, cum inflammatione oculorum, proponit, ad primam, vtile oleum rosaceum; quod reijciens in posteriori, deueniebat ad lenitiuos liquores.

Post vsum stypticorum, & *propriè, quum eis admista fuerint narcotica*, inquit. *Quandoque conuenit destillatio aquæ zuccari, & aquæ mellis*. At hæc duo medicamenta sunt admodum abstersiua, ac proinde admodum mordicant. Quare, nisi vrgeat excrementorum crassiorum copia in oculo, quæ efficaci indigeant abstersione, in cura ophtalmiæ, non veniant in vsum, & potissimum simplicia; si enim temperentur, aliquis eorum poterit esse vsus.

Materia euacuata, & dolore quiescente, *administra*, inquit, *collyrium vnius diei, commistum cum eo, quod sit sicut vitellus oui*. Hoc totum, & quod sequitur, transcripsit à Gal. Lib. 4. de Comp. Med. secundum Loca Cap. de Ophtalmia, quo loco inquit Galen. *Vt plurimum vero albus oui liquor, cum accommodatis pharmacis, lippitudines curare sufficit, per collyria videlicet monohemera*, hoc est vnius diei, *appellata*. Quare legatur, albumen oui, non vitellus oui.

Cap. X. Declinante inflammatione, exhibet *post cibum, vinum antiquum purum*. At Gal. vt dixi exhibet vinum, in ophtalmia à crassiori sanguine. Aetius, in frigidiori. Auicen. autem etiam exhibet in calidiori, licet declinante. Quare hic locus consideretur, nec sine magna consideratione, vinum, pro resolutione, in hoc casu exhibeatur; periculum enim est, ne ab eo iterum inflammatio irritetur. Quod si vinum exhibeatur, saltem non sit potens, sed moderatum.

Erysipelatis oculi curationem tradens, post euacuationes, docet faciendum esse *emplastrum ex corticibus granatorum, decoctis cum melle*, & *fouendum esse oculum spongia calida*; & formandum esse aliud Emplastrum *ex farina orobi, & frumenti, decocta, cum syrupo mellis, & cum radice lilij trita*. At hæc remedia cuique

cuique patet, non conuenire in erysipelate; cum admodum calefacientia, & exiccantia sint. Sunt autem hæc remedia carbunculorum propria. Primum est Aetij Cap. 30. dicentis. *Malicorium itaque ex malis punicis acidis, cum lenticula feruefacimus, & derasa interna parte, cum modico melle terimus.* Altera duo sunt Pauli, vbi loquitur de carbunculo oculi, dicentis. *Deinde spongiâ foto, erui farinam, vel triticeam, ex aqua mulsâ decocto obducere, instar cataplasmatis; nonnunquam & iridem detritam applicare.* Quapropter, vel errauit Auic. adhibens hæc medicamenta admodum calefacientia, & exiccantia, in curatione erysipelatis; vel, pro erysipelate, legendus est, carbunculus, qui perurens inflammatio existit, maiori calore, quam erysipelas, crustam inducens.

Cap. XI. Curans Ophtalmiam frigidam, inquit: *Initium curæ sit à repercussiuis, quæ non sunt infrigidantia valde; sed sint illa, in quibus est subtiliatio, sicut myrrha, & sarcocolla.* Verum, cum myrrha sit calida, & sicca in secundo gradu, vt habetur Lib. 8. de Simp. Med. Cap. proprio; ac discutiat, & exsiccet, citra adstrictionem, vt habetur Lib. 4. de Comp. Med. Secundum Loca Cap. de Ocularium medicamentorum viribus, mirum est, quomodo, pro repercussiuo medicamento, in principio ophtalmiæ, licet frigidæ, adhibeatur; quod idem de Sarcocolla dicendum; cum sit discussorium, & concoctorium medicamentum, vt patet locis citatis. Talia autem in principijs fluxionum nequaquam conueniunt; cum potius tunc temporis attrahere, quàm repercutere valeant.

Linimentum illud ad palpebras, in principio Ophtalmiæ frigidæ, ex Theriaca, Sulfure, & Arsenico, est adeò importunum, & præter rationem descriptum, vt existimem literam corruptam esse.

Cap. XII. Pro curanda Chymosi, quam ipse appellat Guardenegi, componit Emplastrum ex *vitello oui, & adipe Vrsi, quod superponatur oculo*; postea subdit: *Et cum dolor sit fortis, infundatur in præputijs uvæ.* At mirum est quomodo assumat Vrsi adipem, ad leniendum oculi dolorem; audeatque in tanta inflammatione, in oculum infundere; cum hic adeps sit acrior, & calidior, & tenuiorum adeo partium; vt ad Alopecias curandas vsurpetur; vt habetur ex Galen. Lib. 11. de Simp. Med. Fac. Cap. de Ping. & adipe. Et Lib. 1. de Med. Comp. Secundum Loca. Si autem talis adeps, est huius temperamenti, & qualitatis, quomodo non poterit dolorem, & inflammationem non exacerbare.

Cap. XIII. Si cum Ophtalmia ventosa, fuerit, vel plenitudo, vel cacochymia, erit prius totius corporis habenda ratio, quàm ad particularia descendamus auxilia. Quæ Methodus, licet ab Auic. omissa, erit consideranda.

Fen III. Tract. II. Cap. I.

Cap. I. Vesicæ oculorum, quæ à Græcis φλυκταίναι, à Latinis, pustulæ dicuntur, *diuersificantur*, inquit, *propter suauitatem, & acuitatem, & corrosionem suam.* Hoc autem dixit; quia materia pustularum causa, ali-

quando acris est, & corrosiua, & hæc calidior existit; aliquando autem nec acris, nec corrosiua est; & talis, vel est sanguis, vel materia frigida. Hanc suauem appellauit, quia non mordicat; illas autem, quoniam mordicant, dixit acres, & corrosiuas; quæ per hæc signa distinguuntur, quod ex frigida materia, non sequatur oculi inflammatio, vt experientia sæpe constat; cum videamus plures pustulas in cornea ipsa, sine inflammatione. A sanguine autem, succedit quidem, sed non adeo dolens, prout à materia acri, & corrodente. Quæ omnia sunt aduertenda, tum pro clara differentiarum cognitione; tum pro rectæ curationis intentione.

Cap. II. Componit, pro curatione vesicatum oculi, medicamentum, quod recipit maximam quantitatem opij. Pro quo, duo aduertenda sunt. Alterum, quod medicamenta opiata, in curatione pustularum, nunquam veniunt in vsum, nisi vrgente maximo dolore, à materia calida, & acri. Alterum, quod vbi ad opiata sit deueniendum, tanta opij quantitas non sit adhibenda; quoniam tolleret quidem dolorem, sed etiam exiccaret.

Quando multiplicatur, idest, non cedit medicamentis hic affectus, inquit, *curetur cum ferro*. Quæ autem, & quomodo debeat fieri cum ferro talis curatio, non docet. Nisi forsan intelligat modum curandi pustulas, in reliquo corpore efflorescentes, à Paulo, Lib. 4. Cap. 10. traditum, quo docet, acu perforandas esse acuto; sed in oculo omnis perforatio, & omne vlcus metuendum est, & potissimum, vbi pustula fuerit profundior, quo casu minus medicamentis cedit; tunc enim ex perforatione imminet periculum prolapsus Vueæ; vel effusionis humoris albuginei. Quare detestor hunc curandi modum; atque in tali casu, rem ipsam potius naturæ committerem, quam deuenirem ad perforationem; vel validioribus saltem agerem medicamentis, absque metu; quoniam hic morbus absque magna difficultate superari sit aptus. Galenus quidem Lib. 14. Meth. in fine, ad educendum pus, sub cornea delitescens, meminit sectionis faciendæ paulo supra Iridem, loco, vbi committuntur inter se vniuersæ tunicæ. Sed diuersus est casus; nam hic materia est copiosior, & crassior, & minus medicamentis cedit; atque locus perforandus est magis tutus. At pustulæ fiunt in omni parte corneæ, & quandoque ante pupillam; quo loco, omnis perforatio timenda est. Quare tutius est medicamentis, quam ferro agere, eoque magis, cum hic affectus non sit rebellis. Auctor etiam Lib. de Oculis nomine Galeni, docet Cap. 10. vltimæ particulæ, quod vbi pustulæ non dissoluantur, apponenda esse calida, & aperitiua, sicuti Sagapenum, Euphorbium, & similia. Sed quis auderet immittere in oculum euphorbium, & quæ huiusce sunt classis? hinc enim oculus arderet, & inflammatio sæuiret, cum periculo cæcitatis. Quare hæc considerentur, nec talia medicamenta administrentur.

Cap. III. Agit de Vlceribus corneæ, & septem enumerat; quorum quatuor sunt superficialia; tria profunda. Hæc autem, barbaro nomine, appellat, ad similitudinem Græcorum. Primum quod vocat *Alhassue*, vel *Chetemon*, seu caligo Aetij. Dicitur autem caligo, vel fumus, hoc vlcus; quia apparet in cornea velut fumus, & tale vlcus difficulter cognoscitur; vix enim appa-

ret,

ret, & non videtur vlcus, ſed apparet in cornea veluti fumus, & primo aſpectu non cognoſcitur eſſe vlcus; ſed ſi diligenter aſpiciatur, per latera apparebit vlcus, & color eius eſt quaſi cæruleus, & ſola prima corneæ ſuperficies vlcerata eſt, ſecundum, quod, abuocatur *Nubes*, & *Nephelion*, ſeu *Nubecula* Aetij; hoc priori paulo profundius eſt, ac proinde albo colore præditũ, & paulo anguſtius; dixi paulo, quoniam vtraque hæc vlcera hoc commune habent, quod ſatis ampla ſunt. Tertium, quod appellat *Coronale*, eſt Ἄργεμον Græcorum, quod ſuboritur circa Iridem, & circa lineam illam, quæ diſtinguit nigrum oculi à parte alba. Vtramque verò hanc partem, hoc vlcus tangit, & non eſt profundum, & pro diuerſitate membranarum, quas inſidet, diuerſum habet colorem; hinc ſuper corneam eſt album, & ſuper adnatam, rubeum. Dicitur autem *Coronale* ab Auic. quia præcipuè occupat illam coronam, quæ diſtinguit album à nigro. Quartum, quod *Aduſtivum*, *& Lanoſum* appellat, eſt ἐπίκαυμα Aetij; & hoc vlcus habet ſuperficiem exaſperatam, & inæqualem, ita vt videatur habere contractas aliquot rugas; vt contingit in charta membranea; cum exuſtionem ſenſerit; cuius ſimilitudinis ratione dictum ab Auic. Lanoſum; quoniam illa ſuperficialis inæqualitas, repræſentat veluti vlceri ſuppoſitum, minimum quid lanæ. Hæc de ſuperficialibus vlceribus, quæ optime diſtinguenda, & cognoſcenda ſunt.

Ex profundis autem vlceribus, pravum vocat *Annulum*, quod eſt Βόθριον Græcorum, Foſſula à Latinis dictum, hoc eſt anguſtum, valde profundum, puncturæ ſimile, & purum, ideſt ſine ſanie, & rotundum eſt; Hinc ab Auic. *Annulus* dictus eſt. Secundum, quod appellat Lilinice, vel *luluma*, eſt Κοίλωμα Græcorum, vlcus cavum, profundum, & rotundum, ſed minus cavum quam primum, & magis latum; purum tamen etiam eſt, & peruenit ad tertiam laminam. Tertium, quod appellat Alficume, vel aduſtivum vlcus, eſt ἔγκαυμα Aetij, & ἐπίκαυμα Pauli, quod eſt vlcus cum cruſta, & eſchara in cornea; hoc enim vlcere cornea, exuſta apparet, & cruſta adeſt, qua decidente, periculum imminet ne effluant humores. Tales igitur, & tot ſunt vlcerum corneæ differentiæ, quas ad maiorem intelligentiam recenſere volui.

Cap. IV. Tradens ſigna vlcerum, inquit, quod, *quando vlcus ſuper corneam eſt, apparet ex hoc, quod eſt punctum album*. At ex Aetio, à quo hæc tranſcripſit Auic. in prima ſuperficialium vlcerum differentia, non apparet albus, ſed cæruleus color; quod etiam vox & ſignificatio nominis indicat; per fumum enim non poteſt apparere albedo; quare non erit regula vniuerſalis.

Cap. V. Diluit Collyria, vbi abſtergendum eſt, cum aqua fœnugræci, aut mucilagine ſem. lini, aut cum lacte mulieris; cum autem mundificatur vlcus, deſcendens ad ſiccantia collyria, ſine mordicatione, ea diluit cum albumine oui. Hæc diuerſitas animaduertenda eſt; quod ſcil. vbi ſit abſtergendum, nunquam veniat in vſum albumen oui; quia oppoſitum omnino, obducendo, non extergendo operaretur, planè iuxta Galen. ſententiam Lib. 4. de Comp. ſecundum Loca, à quo forſan hanc curandi rationem tranſcripſit Auic. dum monebat, pro curatione vlcerum, ad diluenda collyria, præferendum eſſe lac ipſum, omittendumq; albumen oui, ad euitandam obductoriam vim, quæ in ipſis ouis reperitur; atque defectu lactis, aſſumen-

dum fœnugræci decoctum, vtpotè quod detersoriam vim quandam habeat, qua oua carent.

Cap. VI. Agit de vlceribus corneæ penetrantibus, cum prolapsione Vueæ; quorum quinque ponit differentias Prima est. *Formicalis*. Secunda, *Muscalis*. Tertia *Vualis*. Quarta *Vesicalis*. Quinta *Clauali*s dicitur. Quæ omnia distinguuntur, pro ratione maioris, vel minoris prolapsionis Vueæ. Græci autem, à quibus transcripsit Auicenna, tres tantum species posuere, scilicet Myocephalon, Staphyloma, & Clavum. Myocephalon autem distinxit Auicenna, in formicalem, & muscalem; quoniam vbi sit minima portio Vueæ procidentis, quæ repræsentet tantum caput formicæ, hanc vocat Formicalem; quæ si paulo maior fuerit, & ad similitudinem capitis muscæ, appellat Muscalem. Staphyloma etiam in duas differentias distinxit; cum enim maior prædictis duabus Vueæ portio prociderit, & acinum uvæ repræsentet, dicitur à Græcis Staphyloma; ab Auic. autem Vua; quæ si adhuc magis procidat, Vesicalis appellatur. Tertia species à Græcis Elos, seu clavus, dicta, Claualis similiter ab Auicen. nominatur, quam integrè nec descripsit, nec cognouit; inquit enim ipse. *Si autem egrediatur Vua valde, ita ut separetur inter palpebras, & cooperturam, nominatur Claualis*. Adeo vt, ratione magnitudinis tantum, hanc differentiam à superioribus distinguat. At ad constituendum Clavum, non tantum requiritur magnitudo prolapsionis; sed etiam, vt in prolapsione ipsa, Vuea circumcirca callosa fiat; quod expresse docuerunt Paulus, & Aetius.

Quemadmodum Aetius duplicem modum generationis Staphylomatis docuit, alterum scilicet, per rupturam integram Corneæ; alterum per eleuationem, & protuberantiam aliquarum laminarum eiusdem tunicæ, ob humorem inter eas abundantius collectum; ita etiam Auicenna has duas differentias posuit; sed in explicatione rem ipsam male explicauit, hęc habēs. *Et quandoque fit in quibusdam partibus Corneæ, & est eminentia ex ea, spissa, & est apud corrosionem quorundam corticum eius*. Nam est eminentia quidem aliquarum tunicarum ipsius corneę; sed quod fiat per corrosionem, falsum est: si enim adesset corrosio, fieret vlcus, quod non est in hoc affectu, cum sit ex genere pustularum non vlceratarum; sed fit tantum ob humorem intra tunicas Corneę collectum, & eas ab inuicem separantem, & eleuantem; quod forsan, per corrosionem, debemus legere, separationem.

Cap. VII. Vniuersalia, quę in curatione prolapsionis Vueę, & perforationis Corneę pręmittenda sunt, docens, inter cetera, hęc habet. *Et post euacuationem, administretur baln um, ex aqua dulci, & propriè quando est in complexione acuitas, præter quod moretur in aere balnei, nisi parum*. Hic aduertatur, balneum prodesse quidem posse, ratione causę, videlicet, vbi acuti adsint humores, eos contemperando; sed ratione affectus, suspectum esse; cum enim ex Balneo, vt habetur 10. Meth. Cap. 10. meatus aperiantur, tensa relaxentur, densata fundantur, membranęq; ex liquatis humoribus distendantur, hinc vasa facile aperiantur, cuius ratione, in sanguinis profusionibus balneum ab alijs damnatur; laudaturque tantum in illis, quibus sanguinem fluere desideramus, non videtur admodum probandum esse in his

casi-

casibus; cum forsan ex dilatatione, & tensione membranarum maius possit succedere incommodum, quam vtilitas ex moderatione humorum acrium; atque eo magis videtur suspectum, cum in his affectibus adstringentia indicentur medicamenta; balneum autem relaxare aptum sit.

Et scias, inquit, *quod necessarium est tibi, quando incipit vlcus in eminentia, vt facias adhærere oculo ligaturam, quæ sustentetur*. At Lib. 3. Cap. 36. Aetius loquens de Vlceribus, dicebat. *Sed & deligationes oculorum in vlceribus, vitandæ sunt, quibus aliqui vtuntur, volentes humiliare cicatrices*. Deligatus enim ex vlceribus oculus, & immobilis factus, sępe palpebris adiungitur.

Delinquunt, ait, *quidam qui abscindunt eminentias*. Hic tacitè reprehendit Aetium, docentem, quomodo chirurgia tollantur Staphylomata; quę actio licet difficilis, & dolens, tentanda tamen est; sed non eo modo, quo docuit Aetius; quem non forsan sine ratione damnauit Auic. Sed fuerunt aliqui, qui sola ligatura ex filo sericino, staphyloma abstulerunt, quo ablato, & cicatrice inducta, tota oculi turpitudo sublata fuit.

Cap. VIII. Agit de *Bothor* in oculo. Sed si per *bothor*, intelligit pustulas, vt indicant verba eius, de his egit Cap. 1. Si autem Variolas, egit Lib. 4. Fen. 1. Tract. 4. Cap. 11.

Cap. X. Agit de Suppuratione oculi, Ὑπόπυον à Gręcis dicta, transcribens à Paulo; qui tamen imperfectè rem hanc descripsit, cum nec causarum, nec differentiarum omnium meminerit; prout Aetius diligentius fecit, qui in hac parte pręcipue obseruandus est. Cum autem inquit Auic. transcribens à Paulo *Et similatur locus corneæ, vngulæ*. Non perfectè rem ipsam attigit; vbi enim pus inter tunicas corneę illapsum, & in circulo Iridis figuratum fuerit, tantum vngulam resectam repręsentat, & tunc Vnguis dicitur; non verò vbi Corneę partem nigram occupauerit; nec enim tunc vnguem repręsentat, nec vnguis dicitur, vt rei ipsius experientia, & Aetius ipse docet.

Cap. XI. Vnicam curandi suppuratos oculos, transcribens à Paulo, formam poscit. At pręter hanc, docuit etiam Galen. Lib. vlt. Meth. sub finem, posse duplici curatione sanari; quarum altera est per concussionem capitis; altera per diuisionem Corneę, paulò supra locum, quo committuntur tunicę vniuersę, quam Iridem, seu Coronam appellant.

Cap. XII. Ex Paulo, signa Cancri exponens, ponit non propria, sed communia etiam vehementi inflammationi. Vnicum autem est animaduertendum signum, positum ab Aetio Cap. 31. nempe, vbi sint vasa circunstantia, quasi varicosa; in cancro enim adest semper ista inæqualitas, & venarum circunstantium tumor, & exaltatio, à sanguine melancholico in eis contento.

Cap. XIV. Exiturarum, in lacrymalibus oculi angulis contingentium, tres ponit differentias. Prima est ea, quæ dura est, & dolens, & non facit collectionem. Secunda, quæ facit collectionem, sed nondum disrumpitur. Tertia, quæ facta collectione, disrupta est, & inde vt plurimum fistula sequitur. Hanc vltimam vocat *garab:* secundam appellat Balzilum. Ex his duabus, illam Paulus, à quo transcripsit Auic. diuersa appellatione, nominat Ægylo-

pen; istam autem, Anchylopen. Sed sciendum est, Anchylopen Pauli differre ab Anchylope Aetij; quoniam Anchylops Pauli, est abscessus inter maiorem oculi angulum, & nares, priusquam in vlcus, facta collectione, erumpat. At Anchylops Aetij, est collectio ibidem facta humoris mellei, aut pultarij, in propria vesica contenti, ad similitudinem Atheromatis, aut Meliceridis; qui, Chirurgia, vt reliqua corporis Atheromata, & Melicerides curatur. Hoc notasse volui, vt habeatur notitia differentiæ Anchylopis Pauli, quem vocat Auicen. Balzilum, ab Anchylope Aetij; & vt animaduertam, de hoc Anchylope Aetij non tractasse Auic. cum omnes exituræ, de quibus hic agit, sint dolentes. Anchylops autem Aetij nullum inducat dolorem.

Cap. XV. Cum Vlcus ex Ægylope, ad os penetrat, docet, ad finem Capitis, quid agendum sit, & inquit; in his casibus, ad chirurgiam deueniendum esse, secundum tres modos. Primus est, quod aperto vlcere, & secto, & remota carne praua, vbi os sit sanum, fricetur, & remoueatur eius nigredo, si apparet; & postea medicinis consolidatiuis repleatur locus affectus, & his agatur. Secundus est, vt perforetur os ipsum, vt sanies, & fluxio ipsa, ad nasum, & os deriuetur. Tertius, vt cauterio, & candente igne os ipsum aduratur, quo desquametur, & separetur, & caro bona regeneretur. At de primo modo sciendum est, à Galeno non probari, cum medicamentis potius, quam chirurgia agendum sit. Vnde Lib. 5. de Comp. Med. Secundum Loca, Archigenem, qui ad chirurgicam operationem statim deuenit, Galenum non probasse; inquit enim. *Archigenes verò, paucis enumeratis, deinde ad curationem ipsorum per chirurgiam progreditur; quanquam res ipsa, non manuariæ operæ, sed pharmacis secundum genus sit subiecta.* De secundo modo sciendum est, Archigenem, vt loco prædicto refert Galenus, fuisse inuentorem huius perforationis; dicebat enim. *Quod si neque sic sanentur, diuiso angulo, & cum tenui perforato terebello, continuis foraminibus disparato, capitale Emplastrum adhibeto; discedent enim squamæ, & sanabuntur.* Sed hic non apparet, quod perforatio ista debeat esse penetrans, sicut docet Auic. de qua perforatione penetrante ad nasum, hoc etiam aduertendum est, quod non admittitur à Paulo Lib. 6. Cap. 22. Quare relinquatur, & in vsum non admittatur. De tertio autem modo omnes conueniunt.

Cap. XVI. Carnis in magno oculi angulo incrementum curare docens, inquit. *Additio verò curatur medicinis incisionis.* At erat aduertendum id, quod monet Aetius Lib. 7. Cap. 61. tale incrementum, Encanthis, à Græcis dictum, duplicem habere naturam. Alterum enim est benignum; alterum malignum. Benignum dolore vacat, & molle, ac laxum est; malignum verò durum, & inæquale, & dolores pungentes infert; hoc, quia est cancrosus tumor, non est tractandum à medico, nisi cura cancri, & ea chirurgia, quam docet Aetius Cap. 62. Illud autem proprijs medicamentis, & his, quæ ad Encanthidem describuntur, curari poterit.

Cap. XVII. Denominationem Albuginum, videlicet, quod subtilior, *Nebula*; crassior autem simpliciter appelletur *Albugo*, transcripsit à Paulo, qui cicatrices, pro vt diuersæ sunt in tenuitate, vel subtilitate, ita etiam diuer-

so

ſo vocat nomine; & ideo, ad mentem Pauli, credendum eſt, Auic. per Albugines, cicatrices ipſas intellexiſſe. At ſciendum eſt, in Cornea ipſa, Albugines, non tantum ex cicatrice derelicta, ex vlcere ſanato; ſed etiam ex pituita tunicis corneæ infarcta, nullo præſente vlcere, generari; hancque ſæpius in morbis oculorum; illam rarò, nec niſi præcedente vlcere videri, quæ non tantum difficulter remouetur, ſed ægre etiam aliquando imminuitur; in qua, agendum his, quæ ad cicatrices ab Auctoribus deſcribuntur, habito, tum eorũ delecto; tum pro differentia cicatricis; tum pro diuerſitate ſubiecti, & tolerantiæ ægrotantis. Illa autem & facilius medicamentis cedit, & aliquando ſedem non habet ſtabilem (vt aliquando ego viderim, eam locum permutaſſe, materia illa pituitoſa à natura in alium tranſpoſita) & ſolum medicamentis diſcuſſorijs partem abſtergentibus curari debet. Hoc notare volui; quoniam nullus Græcorum de huiuſmodi albugine, quæ tamen ſæpe occurrit, egit.

Cap. XVIII. *Et quandoque confert ei*, dicit Auic. *ſuccus florum papaueris rufi, & ſuccus centaureæ minoris*. Hanc ſententiam, quam tranſcripſit à Paulo, & ab Alex. puto deprauatam eſſe; non enim legendum eſt, ſuccus Papaueris rufi; cum hic ad hanc operationem, propter eius frigiditatem, & lenitatem, ſit ineptus; ſed anemones, vt ſcribit Paulus, & Alex. quam, & valere ad tollendas oculorum cicatrices docet Dioſcorid. Lib. 2. Cap. 167.

Cap. XIX. Agens de Sebel (cui ignoro an vllus ſit affectus, à Medicis Græcis deſcriptus, qui reſpondeat, inquit, *quod eſt panniculus, accidens oculo, ex inflatione venarum, in ſuperficie coniunctiuæ, & corneæ exiſtentium*. Sed difficile eſt imaginari, in parte iſta fieri panniculum, & membranam; cum membranæ ſint partes ſpermaticæ, quæ ex ſe non generantur; quod non mirum eſt de oculi vngula; cum hæc fiat per additamentum, prout partes ſpermaticæ per additamentum poſſunt generari. Quapropter dicendum, Sebel, non verè membranam, ſeu panniculum eſſe, ſed quid ad ſimilitudinem panniculi factum, & formatum.

Cap. XXI. Pro curatione, & euacuatione capitis, inquit. *Caputpurgia abhorrent quidam; ſed ego non video malum in vſu eorum, cum caput eſt mundum.* Qui abhorrent talem euacuandi modum, abhorrent, propter magnam capitis concuſſionem, propter quam, licet caput ſit mundum, tamen ſemper, ob violentiam illam, quid ad oculos trahitur, vnde venæ magis intumeſcunt.

Galenus, inquit Auic. *conceſsit, vt in potu vinum daretur*, & cætera ſubſequentia. Hoc docuit Gal. Lib. 6. Aph. Com. 31. in caſu, quo copia ſanguinis craſſioris, venas oculorum tumidas, & plenas redderet, inflammaret, & inde dolorem induceret. At caſu iſto, nulla eſt membrana, nec vllus adeſt panniculus; qui tamen adeſſe deberet, ſi eſt Sebel, licet leuior, & tenuior eo, quem curari per chirurgicam manum docet.

Cap. XXII. Agit de Vngula, eiuſque varias exponit differentias; non omnes tamen. Quare, recurrendum eſt, ad perfectam earum cognitionem, ad Aetium Lib. 7. Cap. 13. vbi magis diſtinctè hanc rem docet, & monet, quæ ex his curationem admittere, vel non queant; & quæ ex his, à medico, medicamentis, & quæ chirurgia tractari debent.

Cap.

Cap. XXIII. Docens curare eas, quæ non chirurgica manu, sed medicamentis tractandæ sunt, exponens facultates medicinarum, quæ administrari debent, inquit. *Necessarium est, vt ipsæ sint vehementis abstersionis, commistæ cum putrefactiuis*. At quis, intra oculum medicamenta putrefacientia imponeret? Quare, credo esse corruptam literam, & debere legi, corrodentibus, non putrefactiuis, ad mentem Gal. Lib. 4. de Comp. Med. secundum Loca, vbi hæc habet. *In pterygijs verò, & sycosi repurgantia, vt dixi, pharmaca adhibentur, partim in collyriorum formam reducta; partim arida, citra alicuius figuræ inductionem; in quibus aliqui etiam ex erodentibus pharmacis aliquid addiderunt*. Hæc Galenus. Quare, legatur, *erodentibus*, non, *putrefactiuis*; & potissimum, cum ipsemet Auicenna, pharmaca opportuna enumerando, non putrefacientia, sed erodentia abstergentibus commiscuerit.

Cap. XXIV. Sub nomine *Altarfati*, intelligit id, quod hypopyon dicitur à Galeno Lib. 5. de Compos. Med. Secundum Loca Cap. 1. & Lib. de Simpl. Med. Facult. 10. Cap. de sanguine Columbæ, dicitur Hyposphagma; quo nomine etiam à Paulo hæc affectio appellatur. Hoc notare volui, ne aliqui, vti aliquando audiui, decipiantur in hoc, putantes, Hyposphagma Galeni, & Pauli esse Altarfati Auicen. Hypopyon autem, cum est pus sub cornea; nam hoc nomen propriè dicitur à Galeno, de sanguine per Enchymoma, in oculum effuso; sed extenditur etiam ad pus ibidem, & sub cornea existens, vt habetur in fine Lib. Meth. Hypopyon enim nil aliud significat, quam quidquid sub oculis, vt declarat Gal. Pr. Lib. 5. de Comp. Med. secundum Loca.

Cap. XXV. Destillat Auic. pro curatione huius affectus, sang. columbarum in oculo. At sciendum est, ex Gal. Lib. 10. de Simpl. Med. Cap. de Sang. Columbæ, fœnugræci succum, sanguine columbino præstantiorem esse.

Commiscet Auic. cum medicamentis, ad sugillata, vbi magis sit discutiendum, arsenicum ipsum. Sed hoc medicamentum est corrosivum, & magis acre, quam oculus possit tolerare. Quare, sufficiant cætera ab eo enumerata; sed præ omnibus adeant Iuniores examen Gal. in expositione Med. Archigenis, factum, Lib. 5. de Comp. Med. secundum Loca, in principio, vbi omnes gradus medicamentorum sugillatis conuenientium declarat.

Cap. XXVI. Inquit, quod, *lacrymæ, quæ propter eradicationem incisionis lacrymalis fiunt, non sanantur*. Quam sententiam à Paulo transcripsit, qui hæc habet. *Rhyadas, carnosa parte, in totum, vel rudi manus opera, vel medicamentis absumpta, insanabiles existimato*. Quæ Pauli sententia vera sanè est; quoniam absumpta ex toto illa caruncula, non amplius regenerari potest; sed quod lacrymæ, huius occasione fluentes, non sanentur, vt inquit Auic. est falsum; vt testatur Aetius Lib. 7. Cap. 88, qui docet, quomodo lacrymarum fluxio, in his, quibus angulus funditùs sublatus est, sit curanda; duplicemque tradit modum. Alterum per medicamenta; alterum per cauterium. Si autem istæ lacrymæ sisti possunt, forsan & natiuæ, quas nec sanari posse affirmat Auic. vniuersalibus præmissis videlicet, & euacuationibus, tum totius corporis; tum ipsius capitis; deriuationibus item, & reuulsionibus opportunis, & præcipue, roborato, & exiccato cerebro, poterunt eodem

curandi

curandi modo salubriter tractari.

Cap. XXVII. In fine, hæc habet. *Illæ vero, quæ sunt natiuæ, recipiunt curam difficiliter*. At præcedenti capite, dixerat absolutè, quod hæ non sanantur. Sed vera est hæc eius vltima sententia, quod difficulter sanentur; quoniam in his adest eadem loci debilitas, & causæ aliæ ad hanc fluxionem inducendam concurrentes; quas tamen non erit impossibile, in aliquibus, aufierre, licet cum maxima difficultate. Qualis autem debeat esse curatio, non exponitur ab Auic. Quare recurratur ad modum Aetij, traditum pro curatione earum, quæ contingunt ob angulum funditùs sublatum, vt superius notaui.

Cap. XXVIII. Strabositatem fieri, ex duplici causa monet. Quarum altera est spasmus; altera paralysis. Quod fiat à spasmo, transcripsit à Paulo, qui strabismum docet fieri à conuulsione. Quod fiat autem à Paralysi, transcripsit à Lib. Finitionum Med. Galeno adscripto, in quo habetur, Strabismum esse resolutionem, non omnium, sed aliquorum musculorum oculi, ob quam causam, vel sursum, vel deorsum, vel in latera vertuntur oculi. De hac resolutione egit Galenus Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 1. docetque earum differentias, & causas. Duæ igitur sunt causæ Strabismi, Resolutio, scilicet, & Conuulsio. At quomodo distinguantur ab inuicem, & cognosci debeant, non tradidit Auic. quas tamen ita distingues. Vbi fit à conuulsione strabismus, patiens sentit retrahi oculum in partem, ad quam declinat, & persentit tensionem ad oculum, & aliquando dolet; & talis affectio non diù durat; quoniam, vel resoluitur, vel deterior morbus succedit, cuius solet esse indicium talis strabismus. Vbi autem fit à resolutione, nihil persentit ęger, & morbus hic solet antiquari. Quod intelligatur de Strabismo à causa interna; quoniam ab externa possunt concurrere aliæ causę; sicuti in pueris, malus luminum situs ad oculos, per quem torquentur oculi, & musculi, tunc mollissimi, nulla concurrente nec revulsione, nec resolutione; sicuti etiam adustio; vnde in ambustis, circa oculos aliquando vidimus succedere strabismum; prout & percussiones, & ictus circa oculum, per quos fiat aliqua ruptura in musculis illis, & similes aliæ causæ.

In Strabismo, inquit, si oculus vergat ad latera, nihil detrimenti visioni infertur; si autem ad superiora, vel ad inferiora, pro vna re, duplam videt. Hanc rem transcripsit à Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 1. Sed imperfectè rem ipsam attigit; quoniam in strabismo simplici, hæc diuersitas non contingit, vt quotidiana docet experientia; sed solum, vbi cum strabismo oculus è sede sua procidat, vt ibidem docet Gal. hæc habens. *Porro, cum oculi à sua sede remouentur, si ad alterutrum angulam fiat conuersio, innocua permanebit cernendi facultas; si vero, aut sursum, aut deorsum, aut in obliquum quoque vertantur, quicquid ipsis obieceris, idem duplum esse videtur*.

Cap. XXIX. Pro cura Strabismi infantium, sciendum est, per remedia à Paulo, & ab Auic. proposita, curari tantum posse strabismos à causa externa inductos; qui enim fiunt à causa interna, propria indigent curatione, vel spasmi, vel paralysis. Atque in his, vstiones ad occiput valde prosunt, aliàs remedia illa externa parum proficient; vnde sæpe videmus, tales strabositates

bositates non sanari, sed antiquari, & comitari toto vitæ curriculo; quoniam medici derelinquentes morbum, per exteriora tantum, symptomati incumbunt.

Cap. XXX. Inter causas exitus oculi, assignat *mollificationem*, idest, paralysin *lacertorum, seruantium suspensionem eius*. & inferius dicebat, fieri hanc mollificationem, *quando lacertus continens nervum suum, mollificatur, & inde non sustinet oculum*. Sed pro rei euidentia, ex Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. 1. à quo loco hæc transcripsit Auic. sciendum est, hanc paralysin duplici modo contingere posse. Alter est, quum ex illis sex musculis oculum mouentibus, is, qui ipsum retrahere solet, afficitur; & tunc totus oculus prolapsus videbitur. Alter est, cum illi musculi, qui mollem nervum circundant, resoluti sunt; & tunc totus oculus procidit, & sua sede mouetur. Duplex igitur erit locus affectus, & duplex differentia; quoniam in prima, oculus prolapsus quidem videtur, non tamen procidit, nec loco proprio egreditur; at in secunda, procidit, & sua sede mouetur.

Subiungebat Auicenna. *Egressio*, videlicet ista secunda, *quandoque est ex mollificatione lacerti tantum, & non destruitur visus; & quandoque est cum actione*, (legatur, *læsione*, ad mentem Galeni, à quo transcripsit Auic. hunc locum) *eius, & destruitur visus*. In hoc notandum est, quod læsio ista prouenit ex intensione nerui mollis, quæ vbi perseuerauerit, distrahit nervum illum admodum mollem, & inde eum lædit; quoniam ex grauitate oculi intenditur; intensus autem à principio, & sensim facta affectione, nondum quid adeo patitur, vt visioni nocumentum inferat; prout postea perseuerante affectione, & continuè distractus, tractu temporis patitur, & pro ratione passionis, visioni obest. Vnde dicebat Galenus loco citato. *Atque plerique eorum, qui sic affecti sunt, sensim quidem intento molli neruo, sed nequaquam affecto, citra noxam cernere possunt; qui vbi quoquo modò afficitur, visum efficit obscuriorem; vbi vero malum ingrauescit, constat, eos, qui sic afficiuntur, nihil omnino cernere posse*.

In vltimis verbis, cnm dicit. *Et multoties fit illud, cum sanguinitate impediente, & faciente apostema in Cornea*. Alludit ad Staphyloma illud ex materia corneam inflante, & eleuante, nec disrumpente; de quo Aetius egit Lib. 7. Cap. 34. Sed in hoc affectu, licet oculus videatur, ob tumorem illum corneæ, ad extra prominere; non tamen verè egreditur, nec potest dici, tali casu, oculus exire.

Cap. XXXI. Distinguens egressiones oculi, factas ex materia, vel ex coarctatione, & violentia, ab his quæ fiunt ex paralysi, ait; in illis, persentiri extensionem, quæ à posterioribus ad anteriora vergat; in his autem, non sentiri intensionem vehementem ab interioribus. Illud primum clarum est, & sensui patet. At hoc secundum non ita; quoniam in secundis egressionibus, nullam, ne dixerim vehementem adesse tensionem oculi demonstrat experientia. Adest tantum ad radicem oculi illa intensio nerui, qua patientes videntur ab oculorum pondere grauari; nulla tamen in oculo ipso adest tensio, sicuti in cæteris oculi egressionibus.

Cap. XXXII. In cura egressionis oculi, inquit. *Si fuerit fortis, & sit à materia,*

ria, tunc, & purgatione, & vena sectione indiget. *Quod si non sit à materia*, inquit, *confert hoc regimen in omni hora*. Si intelligit Auicenna, per hæc verba, quod conueniat, & purgatio, & venæ sectio, & alia topica remedia in hoc casu; sicut & in primo, verum asserit; quoniam, & in strangulatis, licet morbus non sit à materia, etiam secanda est vena, vt docet Paulus. Si vero intelligat, per hoc regimen, tantum remedia particularia, & non vniuersalia illa, non ita recte sentit; quoniam etiam euacuandum est in forti egressione, licet non sit à materia, dummodo causa præcedens fuerit insignis, vt præcipuè patet ex strangulatione. Quod idem assero faciendum esse in exitu oculi, ob paralysin factam; quoniam in hoc adest magnitudo morbi, ratione nobilitatis partis, cum hinc immineat cęcitas.

Cap. XXXIII. Agens de *Profunditate oculi*, declarat, quomodo in nonnullis morbis, ex quibusdam causis contingat. At prætermisit præcipuam, & potentiorem causam profundationis oculi, expositam à Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 1. cum scil. ex illis sex musculis oculum mouentibus, is, qui oculum detrahere potest, resolutus est; tunc enim oculus totus retractus apparebit, & profundior in propria cauitate existet.

Cap. XXXIV. Causas Glaucedinis, vel nigredinis oculorum, ex parte humorum, transcribens à Galeno Lib. Art. Med. eas satis clare exponit. Addit, horum colorum & causas, ex parte tunicæ Rhagoidis, Vueæ dictæ, quæ pro diuersitate coloris proprij, modo glaucos, modo nigros oculos reddere potest; atque in exprimendis, & enumerandis omnibus prædictis causis, plurimam adhibuit diligentiam; qua tamen non obstante, prætermisit affectum præter naturam, Glaucoma à Græcis dictum, ab omnibusque consideratum; quo, & glauci oculi euadunt, & tandem occęcantur, qui dicitur à Galeno Lib. 10. de Vsu Part. Cap. 6. Glaucosis, Causa huius est siccitas crystallini humoris; vnde dicebat Galenus Loc. cit. glaucedinem esse siccitatem, & concretionem immodicam humoris crystallini, ad siccitatem; hinc etiam idem scripsit Lib. 3. Aph. in fine Vltimi Com. glaucedines, potissimum in senibus fieri, propter immodicam instrumentorum siccitatem. Hoc idem affirmabat Aetius Lib. 7. Cap. 50. dicens, *glaucedinem esse mutationem crystallini humoris ad glaucum colorem, ac eiusdem siccitatem, & concretionem*. Idem etiam extendens hunc affectum ad alteram speciem Glaucedinis, improprie sic dictam, dicebat. *Altera est glaucedinis species, ex progressa suffusione; quæ fit, humore iuxta pupillam vehementissime congelato, & resiccato*. Ad similitudinem huius, Auctor, Lib. 1. de Oculis, Galeno adscripto, Part. 4. Cap. 12. loquens de Cataracta, dicebat. *Venetici oculi duobus modis fiunt; vel propter aquam, si nimium fuerit coagulata; vel propter siccitatem, quam patitur crystallinus*. Quare concludo, præter differentias glaucedinis ab Auic. expositas, esse hanc, vocatam à Græcis, vel Glaucoma, vel Glaucosis, quæ fit ob humoris crystallini siccitatem, & concretionem. Hinc itaque patet, textum Pauli deprauatum esse, cum dicit, glaucoma, pro humiditate crystallini humoris, in glaucum colorem transeuntis, fieri: non enim præ humiditate; sed præ siccitate debuit legi.

Cap. XXXV. Docet, collyria tingentia oculos glaucos; qualia etiam refert Gal. Lib. 4. de Comp. Med. secundum Loca, ex Antiquorum scriptis, & Aetius Lib. 7. Cap. 41. Glaucomatis autem curationem prætermisit; quod, licet vbi sit confirmatum, curationem non admittit; quoniam exsiccata corporum substantia, non possunt hæc amplius humectari, alias iuventutem restituere possemus; tamen incipiens curari potest, administrando ea, quæ substantificè humectare possunt. Quare, hic transferatur methodus tradita à Gal. Lib. 7. Meth. ad humectandum vniuersum corpus, caputque præcipuè, balneis, inunctionibus, suffumigijs, alijsque medicamentis humectantibus curetur, & intra oculos lac, & similia instillentur.

Fen. III. Tract. Tertius.

Cap. I. Agit de pediculis in palpebris existentibus. Verum, quoniam pediculorum tria sunt genera; vnum commune, quod in capite, & per vniuersum corpus solet generari; alterum agreste, & ferum, dictum ab Aristotele, quod ad pubem, sub axillis, in barba, in palpebris, & superciliis; tertium minimum, quod sub cuticula, in omni corporis exteriori, & depili parte, Scirones, dictum, generatur, declarandum fuit, in palpebris gigni tantum secundum illud genus. Ideo Aetius rem exactè distinguens, Lib. 7. Cap. 65. dum de his ageret, dicebat. *Generantur in palpebris pediculi lati, & parui, qui ex genere illorum agrestium sunt.*

Cap. II. Adhibitis vniuersalibus, & ad localia descendens, transcribit à Paulo, & ab Aetio medicamenta opportuna, videlicet, quæ habeant vim roborandi partem, in qua generantur pediculi, & inde assumitur alumen, & quæ habeant vim necandi pediculos; sicut staphisagria, aloe, & similia. Sed addendum, quod Græci ad hoc, vtuntur aridis puluerlbus. Auic. autem addit & acetum squilliticum. At hoc cauendum est; quoniam si simplex acetum exulcerat oculum, vt experientia patet, quanto magis hoc asserendum de squillitico? Quare, cum periculum sit, ne ex eius humiditate quid dilabatur in oculum, censeo hoc vitandum esse.

Cap. III. *Silac*, Ptilosis à Græcis dicta, *est grossities*, inquit, *palpebrarum, proueniens à materia grossa*: Sed notandum est, hanc materiam non esse ita simpliciter crassam, vt nullas partes tenues habeat; has enim secum aliquas admistas habet, quarum ratione, pruritum, corrosionem, & vlcerationem facit; talis autem materia est sanguis crassior, admistis, vel pituita salsa, vel bile. Cum autem subiungit Auicenna, *& sequitur eam corruptio oculi*. Si veram corruptionem intelligit, falsum est; licet ex affectu illo, immineat oculo, propter viciniam, aliqua mala dispositio; non enim hinc oculus corrumpitur, nec ad corruptionem paratur; quia per corruptionem, intelligo deturpationem; nam ex tumore illo palpebrarum, & casu pilorum adeo deturpatur oculus patientis, vt horribilis appareat.

Cap. IV. Curationem Silac, seu ptilosis, & potissimum antiquatæ tradens, meminit tantum vniuersale docens, ipsius sanguinis euacuationis, tum

per scarificationem crurum, tum per sectionem venæ frontis, at ne verbum quidem de purgatione per Pharmacum fecit; cum tamen hæc necessario ad sanitatem inducendam, & remouendam materiam peccantem administranda sit.

Cap. V. Sub hoc nomine, quod dicitur, *Gesse palpebrarum*, duos affectus comprehendit Auic. quorũ alterum dicitur à Paulo, *Sclirophtalmia*; ab Aetio verò Cap. 74. *Lippitudo dura*. Alterum à Paulo, *Xerophtalmia*; Ab Aetio autem Cap. 75. *Lippitudo sicca*. Sed in explicando primo affectu, docet, esse palpebrarum tantum affectum, cum difficultate motus, & siccitate, & duritie earundem; cum tamen, non tantum palpebris, sed & oculo etiam sit communis; sicuti Paulus, & Aetius, vnanimes monent, morbum hunc non tantum palpebrarum, sed etiam oculi esse, docentes. In explicatione etiam secundi affectus, non meminit pruritus, oculum infestantis; cum tamen præter siccitatem, in hoc sit pruriginosa admodum affectio; vnde & à Paulo, & ab Aetio dicitur *Lippitudo pruriginosa*. Quod notandum est, ob indicationem sumendam ab euacuatione purgandorum humorum.

Cap. VI. Pro curatione, inquit. *Et ponat super oculum, apud somnum, albumen oui conquassatum, cum oleo rosato.* Hoc medicamentum suspectum videtur; quoniam ex Paulo, frigida; & ex Aetio non tantum frigida, sed & meatus obstruentia, & agglutinatoria vitanda sunt. Quare, si apponendum est, tepidum sit, non frigidum actu (talia enim vaporem humorum coercendo, magis indurant) & pro oleo rosato, magis conueniens erit adeps anserinus, à Paulo in hoc remedio propositus; tum quia non est frigidus adeo vt oleum ros. tum quia magis contemperat, & magis emollit.

Cap. VII. Laudat *Alcohol factum ex lapide lazuli, & lapide armeno*. In quo notandum est, hæc debere assumi præparata; non præparata enim vim corrosiuam habent; quæ præparatio est pictorum. Ideo Aetius, loquens de Armeno, quod Galenus appellat Armeniacum, non dicit, lapidem, sed dicit, Armenium, quo vtuntur pictores; vel simpliciter dicit Armenium, subintelligens pigmentum; hoc enim vim illam carnem consumentem, & atterentem præparatione amisit. Similiter loquens de lapide lazuli, vocat ipsum simpliciter Cyanum, non lapidem; quoniam per hunc, intelligit pigmentum factum ex eo lapide; quod tamen lotura, & præparatione indiget, vt vim illam prauam amittat, quam in tumore simplici palpebrarum non desideramus; sed eam tantum, qua discutere, & palpebras iuvare potest.

Cap. VIII. Inflatio palpebrarum, dicitur à Paulo Emphysema, & generatur non tantum à causis ab Auic. enarratis; sed etiam oboritur aliquando ex ictu oculi, vt experientia sæpe docet, & Paulus testatur. Cum autem Auic. inquit. *Fit propter materias subtiles, & vapores*. Non intelligas vapores subtiles; quia hi facile discutiuntur, & non retinentur; sed potius crassiores; ita vt hæc inflatio fiat, tum à materia subtili, tum à vaporibus crassioribus.

Cap. IX Per *grauitatem*, intelligamus difficultatem attollendi palpebras; quoniam, si verè, & propriè sumatur grauitas, non in omnibus enarratis

ab Auic. causis inest grauitas, sicuti in ea, quæ fit ob debilitatem, & casum virtutis: in hac enim non est grauitas; quoniam grauitas pendet à materia; sed est impotentia attollendi palpebras.

Cap. X. Cum concrescunt, & agglutinantur palpebræ, aut ad album, aut ad nigrum in oculo, aut inter se, quod significabat Auic. dum dicebat. *Et quandoque fit in vno duorum laterum lacrymalis*. Dicitur talis affectus à Græcis Ancylosis; cuius curationem, quam omisit Auicenna tradit Aetius Lib. 7. Cap. 64. per chirurgicam manuum operationem.

Cap. XI. Si hæc caro fuerit subrubra, tumida, varicosa, dolorifica, & aspera, & tempora per consensum afficiat; eam fugere oportet, velut malignam, & chirurgica manu non est tractanda; vt docet Aetius Lib. 7. Cap. 57.

Cap. XII. *Inuersatio palpebræ*, de qua in hoc Cap. agit Auic. dicitur à Græcis Lagophtalmos; de quo Aetius egit Cap. 73. Intelligitur autem hic affectus de superiori palpebra; quoniam etiam aliquando inferior euertitur; tuncque non dicitur lagophtalmos, sed euersio palpebræ simpliciter, de qua Aetius Cap. 71. & 72. quarum etiam curatio non coincidit, vt ex eodem Aetio apparet; nec ex substantia partis patientis potest eadem esse, cum superior palpebra sit cartilaginosa, inferior nequaquam; & ideo chirurgica manu diuersimodè tractari debent.

Cap. XIII. Inquit. *Grando est humiditas ingroßata, & in lapidem conuersa, in interiori parte palpebræ*. At falsum est, in grandine oculi, materiam in lapidem conuerti, licet ibi collecta speciem grandinis referat. Vnde dicebat Aetius. *Grandine dicunt affici palpebras, cum euersis ipsis, rotundæ quædam eminentiæ, pellucidæ, grandini similes apparent, quibus dissectis, humor euacuatur, similis candido oui. & Paulus. Chalazion otiosi humoris in palpebra colluuies est*. Si autem est colluvies humoris; ergo non lapidosa facta est materia. Nisi forsan Auicen. sub nomine grandinis, intellexerit illum etiam affectum, quem appellat Aetius Cap. 80. *calculum palpebrarum*; Ideo grando, apud ipsum, duplex erit. Altera lapidosa dicta, ab Aetio tophis similis; altera pellucida, similis grandini, dicta ab Aetio, proprio nomine, grando oculi. Præterea sciendum est, grandines etiam in exteriori palpebræ parte fieri; quod non tantum notauit Aetius Cap. 81. sed etiam experientia sæpe ego obseruaui.

Cap. XIV. Curationem, per localia medicamenta faciendam docet. At etiam chirurgica manu tractari possunt; & quidem citius hac via sanantur, quam docet Aetius Cap. prædicto.

Cap. XV. Hordeolum describit, ad mentem Pauli. At Aetius addit. *Cum suppuratum maxime tuberculum factum fuerit*.

Cap. XVI. *Curatur*, inquit, *cum minutione, & euacuatione per hieram*. At morbus adeo leuis non indicat corporis vniuersalem euacuationẽ, licet sanguis abundet, à quo fieri hordeolum testatur, si alia non vrgeant mala, nec eius minutio indicatur; tale enim tuberculum leui negotio superatur.

Cap. XVIII. Sub nomine *Alsarnac*, intelligit eum affectum, qui ab Auctore Finitionum Medicarum, vocatur Hydatis, idest, aquosus, & describitur,

per

per hæc verba. *Est substratæ superiori genæ pinguedinis augmentum, qua fluunt præter naturam oculi.*

Cap. XIX. Hunc curandi modum transcripsit à Paulo, Lib. 6. Cap. 14. qui omnia magis distinctè exposuit. Quare ad eum recurratur.

Cap. XXI. *Lapidositas* hæc, vocatur ab Auctore Fin. Med. *Lithiasis*. Verum de hoc eodem affectu videtur superius egisse Cap. 13. sub nomine grandinis. Huius curam tradit Aetius Cap. 80.

Cap. XXII. Vlcera palpebrarum, de quibus hic agitur, intelligantur vlcera cutanea, & exteriora; quæ etiam sunt communia cæteris corporis partibus. Verum quoniam hæc pars sicca est, ex proprio temperamento, medicamenta sicciora indicat.

Cap. XXIII. Agit de Scabie palpebrarum, quæ in interna parte earum existit. Et hæc triplicem habet gradum; alia dicitur simpliciter aspritudo palpebrarum; altera dicitur Sycosis; tertia Tylosis, ideſt, callositas. De his omnibus agit distinctè Aetius Cap. 43. ex Seuero; qui tamen primæ speciei duas differentias ponit. Altera est, quæ dicitur densitas palpebrarum; & hæc in superficie tantum est, & cum rubore. Altera autem, quæ aspritudo dicitur, maiorem habens inæqualitatem; & eminentia in ea sunt veluti grana milij, aut parua semina erui, cum dolore, & grauitate.

Cap. XXIV. *Si cum Ophtalmia fuerit scabies, prius curanda est*, inquit *ophtalmia; cuius curam postquam dimiseris, accedendum est ad scabiei curationem.* At Aetius Loc. Cit. dicebat. *Cæterum, in quibus cum palpebrarum Aspritudine, etiam tunicæ oculorum inflammatæ, dolore vexantur, immiscere aliquod oportet de exterforijs, proprijs inflammationis medicamentis.*

Cap. XXV. Tument palpebræ, non tantum à flatu, ab aquositate, aut pituita subtili, & à melancholia; verum etiam à pituita crassiori, à bile, & à sanguine. Quare mirum est, cur non omnes materias tumorem facientes recensuerit.

Cap. XXVI. *Tumor phlegmaticus, vestigium*, inquit, *compressionis seruat vna hora.* Per horam, intelligendum est aliquod spatium temporis, non hora integra; hic enim idem, quod in œdemate, in quo, ad compressionem digito, remanet fouea, contingit; nam in eo, remoto digito, postea paulatim regreditur materia ad locum proprium.

Cap. XXVII. Docet curare pituitosos tumores, reliquos prætermisit, & potissimum eos, qui à materia melancholica fiunt; qui tamen ex omnibus magis rebelles sunt.

Cap. XXVIII. Palpitatio solet sæpe infestare palpebras; quæ fit à flatu crassiori, discurrente, & recurrente per porositates membri latiores, vt docet Gal. Lib. proprio. Quare, mirum est, quomodo Auic. nunc alias caussas imaginetur. Nisi forsan, per hanc palpitationem, intelligat morbum illum, qui à Græcis dicitur Equus; cuius meminit Gal. Lib. 2. Prorrh. Com. 12. & Lib. 1. Progn. Com. 24. & ab Auicenna fuit vocatus, barbaro nomine, *multitudo palpitationis*; quoniam, sicut in palpitatione, non est motus ille assiduus partis palpitantis; ita in hoc, nullo tempore quieti oculi manent; sed more contremiscentium, continuè nictant; cuius conti-

nuæ nictationis aliquando causa est defectus naturalis; aliquando præter naturam, quos hic recenset Auicen.

Cap. XXIX. Causas, ex parte materiæ, casus pilorum tradens, primam inquit esse, *quoniam replentur pediculis, sicut fit in fine ægretudinum acutarum prauarum*. Sed hæc litera corrupta est; & ideo nouus Interpres dixit, *minoratur*; per hæc enim verba, alludit, vt ex sequentibus verbis patet, ad dicta à Galeno Lib. 1. de Comp. Med. Secundum Loca, in principio, de Alopecia; cuius primam causam assignabat, inopiam humorum, à quibus capilli nutriri consueuerunt. Similiter palpebris id contingit aliquando, post prauas, & acutas ægritudines; deficiente enim nutrimento, & absumpto ab acutie morbi, cadunt sæpè pili palpebrarum, prout etiam capilli totius capitis.

Cap. XXX. Inter medicamenta administranda, in casu pilorum palpebrarum, recenset hoc, dicens. *Aut sumatur terra, in qua nascitur vitis, cum croco Romano*. Sed male transtulit Interpres; quoniam, non terra, in qua nascitur vitis, est sumenda; sed terra ampelitis; quæ ita vocatur, vt habet Gal. Lib. 9. de Simp. Med. Facul. non quod vites in ea serere præstet; sed quod viti circumlita interimat in ea nascentes vermes. Hæc autem ad casum pilorum palpebrarum assumitur à Paulo, à quo transcripsit hoc remedium Auicenna, dicente. *Terræ Ampelitidis, croci gallicæ, ladani, singulorum pari portione, contrita vtitor*.

Cap. XXXI. Docet curare affectum eum, qui *Trichiasis* à Græcis appellatur; & quinque modos curandi proponit. Primum, per agglutinationem; Secundum, cum acu; tertium cum sectione palpebræ; quartum per cauterium; quintum per prohibentia ortum pilorum, post corundem euulsionem. De primo modo agunt omnes Græci. Secundi non meminere, qui est modus dolens valde, & satis ineptus. De tertio tractarunt diligentiori norma, Aetius Cap. 69. & Paulus Lib. 6. Cap. 8. Quarti meminit Paulus Libro Citato Caput 9. quem vituperat, nec nisi coacte docet à medico tentandum esse. Sed differt Paulus ab Auicenna in hoc, quod Paulus loquitur de vstione circa palpebram, medicamentis peragenda. At Auicenna loquitur de ea, quæ fit ferro, & acu ignita supra tarsum; quæ certe eligenda, si sine oculi læsione administrari possit. De quinto etiam Græci agunt, & plurima ad hoc medicamenta proponunt; quorum tamen Galenus, vbi de his agit, vsum inutilem esse monet.

Notandum verò est, remedia proposita in prima capitis parte, facere ad ortum pilorum, cuius curam superiori capite docuerat; & ideo credendum est, errore librarij traducta esse ad Cap. 31. cuius principium est in illis verbis. *Ad vltimum, cura horum pilorum*.

Cap. XXXII. In Trichiasi, & Dystichiasi, in quibus vltra naturales pilos, alij in palpebris suboriuntur, qui intro vergentes, tunicas pungant, & oculorum fluxiones concitent, inquit Auicenna, nasci tales pilos *ex multitudine humiditatis putridæ aggregatæ in palpebris oculi*. At ex Aetio Lib. 7. Cap. 66. fiunt hæ affectiones ex multa humiditate, & maximè, vbi influentes humores minimè mordaces fuerint; nam à mordacibus humoribus, non tantum non generantur pili, sed etiam decidunt; cum hi ex humorum praua

qualitate

qualitate corrumpantur. Si autem non debent esse mordaces influentes humores, quomodo possunt esse putridi? cum à putredine, & mordacitas, & salsedo, & praua qualitas in humoribus generetur.

Cap. XXXIII. Docet duplicem curandi modum; alterum per collyria *acuta*; alterum per *euulsionem pilorum*, post apponenda medicamenta non sinentia pilos nasci. Primi modi nō meminere nec Paulus, nec Aetius; qui nec etiam conueniens videtur; quoniam quod primo indicatur, est pilorum evulsio; nec ita tutum est, ista auferre medicamentis adeo acutis, vt pilos simul disperdant, & regenerari prohibeant. Quare præferatur secundus modus, ab omnibus probatus, & laudatus.

Fen III. Tract. IV. Cap. I.

Cap. I. S*piritus visiui subtilitas, vt plurimum*, inquit, *fit ex siccitate; sed quandoque etiam ex vehementia separationis accidentis, cum Sol, & similia resplendentia associuntur; quod potissimum contingit, cum homines longam prius moram in tenebris traxerint.* At à vehementi lumine, aut splendore non subtiliantur, sed vincuntur, & dissipantur spiritus; ab excellente enim sensibili corrumpitur sensus. Quod clare docuit Gal. Lib. 11. de Vsu Partium Cap. 3. vbi longa serie, & pluribus experimentis probat, lædi à nouo, & ingenti splendore visum ipsum; & hinc fabricam oculorum recte formatam, & cum summa ratione à natura factam fuisse docet.

Quoad causas verò debilitatis, & nocumenti visus, notandum est caput istud; quoniam in eo Auicenna plurimus, & diligentissimus fuit, omnesque Græcos in hoc superauit.

Cap. II. *Subtilitas visiui spiritus, cum est superflua, non figitur*, inquit, *in rem luminosam valde, imo lumen clarum separat eam.* At spiritus subtilis non est, nisi cum spiritus ab omni humiditate, & turbatione, & grossitie depuratus, factus est purus, & vt verbo Gal. Lib. 1. de Symp. Caus. Cap. 1. vtar ęthereus. Talis autem qualitas in spiritu nunquam est superflua, sed semper vtilis; facit enim semper ad perfectiorem visionem. Si autem oculus rectè cernens, luminosa difficulter inspicit aliquando, non superfluæ subtilitatis spiritus causa id continget; sed quia erit paucus; cuius ratione, quemadmodum, quæ propè quidem sunt, exactè dignoscit, & quæ procul, non videt; ita, quia paucus, facile à lumine intenso dissipatur.

Cum duplicem videndi modum recensens, ex Antiquorum opinione, concludit, hanc disputationem non pertinere ad medicos, sed ad sapientes, insinuat Galenum, qui de hac materia egit Lib. 7. de Decret. Hipp. & Plat. Cap. 5.

Cap. III. Sicuti in enarrandis causis diligentissimus fuit; ita in cura parum diligens extitit; prætermisit enim plurimas nocumenti visus causas, in hoc Cap. earum curationem non exponens, vt consideranti patebit, quas, præter eas, quæ inferius proprijs Cap. distinxit, docere tenebatur.

Cap. IV. Inter ea, quæ visui nocent, enumerat *caules*, & *lentes*. At supra monuimus, quibus hæc duo olera, aut obsint, aut prosint; cum simpliciter

ter non sit dicendum, caules, & lentes visum lædere.

Cap. V. Nyctalopis causas, per se affecto oculo, duas tantum adducit; alteram ex parte humorum; alteram ex parte spiritus; tertiam verò, quam addit Aetius, ex parte tunicarum, omisit, & iure, vt alias notaui; cum ex parte tunicarum, Nyctalops gigni nequeat.

Cap. VI. Medicamentum *Alchool, cum oleo balsami conquassato, cum pauco opio*, importunum est, & plenum periculi remedium; opium enim incrassat, & stupefacit; quod proinde in omni oculorum affectu, in quo dolores non vrgeant, omittendum est. Quare ego credo Textum corruptum esse. Scio equidem Diosc. Lib. 4. Cap. 75. laudasse succum radicis solatri somniferi, cum melle mistum, in visus debilitate; at tamen cum proximè ad opij facultatem accedat, vt docet Gal. Lib. 8. de Simp. Med. Cap. de Strychno, nescio quid prodesse possit in tali casu, quo attenuandum, non incrassandum est. Atque cum Galenus, qui facultates medicamentorum à Diosc. propositas, vbi sint secundum rationem, recenset, hanc Loc. cit. prætermiserit, mihi indicio est, tale remedium Galen. pro nihilo habuisse.

Cap. VII. Scio ab omnibus receptam esse hanc sententiam, quod qui noctu vident, de die autem nequaquam, his hoc contingat, ob spiritus visiui subtilitatem. Attamen, cum subtilitas, & puritas spirituum, faciat ad visionem, non ad eius læsionem, sum eius sententiæ, quod hoc tantum, ob paucitatem spiritus, & raritatem tunicarum; vel decolorationem vueæ contingat: paucus enim spiritus à multo lumine dissipatur, & eo quidem facilius, vbi tunicæ sint rarefactæ, & vuea colorem cæruleum non retineat; qui spiritus, noctu, ob circunfusas tenebras, magis vnitus, & potissimum, cum omnia noctu corporis spiramenta constringantur, magis aptus est, quam de die, ad videndum, in primis & purior; immo, vbi spiritus paucus sit, & non subtilis, nec purus, noctu nec etiam videbit. Obseruaui autem ego hunc casum in his, qui albissimos oculos ita habent vt etiam vuea alba omnis appareat; nec omnino colore cęruleo prædita, in hisque, non ob subtilitatem spirituum, sed ob paucitatem; & quia ab externo lumine facile lædantur, ob tunicarum albedinem fieri hoc iudicaui.

Cap. VIII. *Humectatio, & ingroßatio sanguinis*, est cura huius affectus, secundum Auicennam. At cum spiritus sint pauci, in casu isto, vt ipse asserit Cap. præcedenti, si sint pauci, & ingrossentur, magis inepti erunt ad videndum; quoniam, ratione paucitatis, dissipabuntur, & ratione grossitiei, non poterunt discernere. Quare, credo curam huius affectus esse, vt per regenerationem purioris sanguinis instaurentur plurimi spiritus, ad quod facient etiam plurima antidota; atque vt ipsis membranis, & tunicis oculorum, pro ratione læsionis, quantum possibile erit, prospiciatur. Quare non miror ego, si Herophilus, ad hoc, remedia etiam, quæ faciunt ad Nyctalopen, laudauit.

Cap. IX. Imaginum, quæ ob oculos, ratione humorum, obuersantur, causas recensens, decernit has, ex intemperie, vel frigida, vel calida, vel humida, vel sicca fieri posse. At Galen. quem cęteri Græci sequuti sunt, assignat duas tantum causas. Alteram quidem, vapores à partibus inferiori-

ad superiora ascendentes; alteram vero humorum condensationem. Quomodo autem intemperies possit has imagines producere, difficile est declarare; cum hic necessario materia, vel vaporosa, vel humoralis requiratur, & satis superque sit, absque intemperie, nisi forsan incipiente vera suffusione, dicamus, ex siccitate condensari humiditates fluentes.

Cap. X. *Ad Imagines antecedentes aquam*, rarò, inquit, Auic. *contingit, quin post sex menses non subsequatur aqua*. At mihi experientia dictauit, rarò contingere, vt ita cito aqua, idest condensata generetur: nisi enim adsit causa præcedens violenta, vel dolor capitis, & oculi sævus, vel maxima oculi imbecillitas, nunquam generatur aqua tam paucis mensibus; sed per annos protrahuntur imagines, antequam condensetur materia, quæ visum impediat, & pupillam ex condensatione obstruat. Ideo, cum etiam in fine dicit. *Quando aquosarum tempus prolungatur, & non procedit in debilitate visus, scias quod ipsæ non sunt aquosæ*. Præterquam quod implicant eius verba, cum dicat, aquosas imagines non esse aquosas, notandum est, hanc sententiam non respondere experimento. Vidi enim ego imagines aquosas per annos plurimos perseuerasse, quæ verè erant aquosæ, & quæ tandem visum labefactauerunt, succedente cataracta; & tamen plures annos visus, cum illis imaginibus, semper integer permansit. Quare, regulæ hæ Auicennæ non simpliciter; sed tanquam medicinales obseruentur.

Cap. XI. Auic. in curatione imaginum, aquam portendentium, prætermissa venæ sectione, quam tamen omnes Græci vsurpandam docent, *phlebotomat arterias post aures*. Nihilominus in fine Cap. sanguinis euacuationes damnat; quoniam cum sanguis sit calidus plurimum, & affectio ista sit frigida, quia pendet ab humoribus frigidis condensatis, eademque calidis indigeat, pro resolutione, & roboratione, non videntur conuenientes sanguinis euacuationes. Sed si ob hanc rationem hæ euacuationes Auicen. sunt suspectæ, cur potius sanguinem arteriosum, quam venosum educit?

Cap. XII. Illa pupillæ dilatatio, quæ fit *ex percussione, aut casu*, inquit Auic. *non habet curam*. Attamen Cap. 14. tradit curam huius. Quare, vel intelligatur hoc dictum Auic. vbi dilatatio ad Iridem perueniat, velde antiquata; vel de ea, in qua tunica rhagoides sit disrupta, alias Auic. vt alio loco notaui, contra propria principia, pupillæ dilatationis curam inferius traderet.

Cap. XIV. *Confert*, inquit *effusio aquæ salsæ super caput, & eiusdem propriè mistæ cum aceto*. Hoc verò transcripsit ab Aetio, & Paulo, qui aliter dixerunt; laudarunt enim lauari faciem aqua marina, cuius defectu, parum salis aquæ immiscendum docent, in quam, totam faciem, apertis oculis, per aliquod spatium temporis immittendam monent. Quod si marina, aut salsa aqua non adsit, posa assumatur, non quod salsæ aquæ acetum immisceri debeat, vt habet Auicenna.

Et *administretur collyrium frigidum, ex thuris, & croci, & myrrhæ, omnium eorum parte vna*, & *arsenici parte tertia*. Sed hæc duo præter rationem videntur. Primum quidem quod dicit, hoc collyrium esse frigidum; cum omnia ingredientia sint calidiora; secundum, quod arsenicum in collyrio, ad dilatatio-

latationem pupillæ sit commiscendum; cum sit medicamentum corrosivum. Quare suspicor Textum esse corruptum.

Cap. XV. Hæc omnia transcripsit Auic. à Galeno Lib. I. de Sympt. Caus. Cap. I. Sed hoc vnum addit, quod difficultatem habet, nempe, quod corrugatione vueæ, accidat aut constrictio, aut oppilatio pupillæ. Constringitur quidem in hoc casu, pupilla; sed nequaquam oppilatur; oppilatio enim fit à materia meatum occludente, quæ in tali casu non contingit. Quare, per oppilationem, vt tueamur Auic. intelligamus, non verè dictam oppilationem; sed perfectam clausionem, vel constrictionem pupillæ, ita vt in se ipsam concidat.

Cap. XVI. Constrictionem ex siccitate factam recta methodo curare quidem docet; an tamen sit possibilis sanatio, vel non, nequaquam monet. Quod animaduertendum erat; difficillimum enim est semper humiditatem solidarum partium restituere, & in pluribus est impossibile; vt in casu siccitatis vueæ ex minoratione albuginei, vt docet Gal. Lib. Cit. de Sympt. Causis, vbi de hoc affectu loquens, hæc habet. *Eo quod maximè insanabilis est eiusmodi oculorum morbus; si quæ autem siccitas vueæ est sanabilis, ea erit, quæ ex pura intemperie sicca eiusdem, nihil albugineo detrimenti patiente, contigerit;* quam causam primam ordine Auicen. posuerat, dummodo non sit consumpta. An autem possit tanta siccitas in vuea, nihil albugineo patiente, accidere, difficile est imaginari; qua ratione, nec Galen. huius meminit: Auicen. autem consueuit omnes imaginabiles causas, tanquam actu existentes enumerare.

Cap. XVII. *Aqua*, inquit Auic. *est humiditas extranea inter humorem albugineum, & Corneam*. Credo ego, ad mentem Galeni, legendum esse, humorem cryst allinum; quoniam hinc visus impeditur; licet hæc materia modo propius, modo longius distet à cornea, & materia modo magis sit profunda, propè cryst allinum; modo minus, prope corneam, ad principium albuginei; non enim omnes cataractæ eundem seruant situm, cum aliquæ sint magis, aliquæ minus profundæ.

Cap. XIX. *Imaginantur ij, qui habent aquam*, inquit Auic. *res luminosas, sicut candelæ, duplices*. Hoc transcriptum est ab Aetio; sed malè, quoniam, qui suffusionem patiuntur, inspiciendo res luminosas, sicut candelas accensas, non vident eas duplices; sed vident, tanquam coronam luminis, & radiorum circa rem accensam, vtputa circa lucernam, apparent ei radij, & corona.

Per *oppilationem intrinsecam*, intelligatur obstructio nerui optici, ad mentem Græcorum, à quibus hæc transcripsit Auic.

Cap. XX. Testatur Auic. se vidisse suffusionem non confirmatam, sanatam fuisse. Quod idem ego testor, & in ea, præter victus rectam rationem, & localium administrationem, fuerunt facta cauteria in humeris ambobus.

Cap. XXI. Videtur sentire, Glaucoma fieri, tum propter humiditatem dominantem in cryst allino humore, ex Textu Pauli, à quo hanc sententiam transcripsit; tum propter siccitatem eiusdem humoris. At declarauimus, Glaucoma, tantum fieri à siccitate, & diximus, Textum

Pauli

Pauli censendum esse corruptum. Cum autem dicit, Glaucoma curationem non recipere, intelligatur de confirmato: incipiens enim, vt monent Græci, curationem admittit.

Si fuerit illis pulsatio, & rubedo, tunc existima, quod insit in neruo apostema calidum. Sed cum nervus hic à cerebro immediate pendeat, ratione vicinitatis, & consensus, cum inflammatione etiam aderit febris.

Fen. IV. Cap. Tertium.

Cap. III. Animaduertendum est, Auicennam in hoc Cap. omnes causas aptas lædere sensum auditus, siue sint dolentes; siue non, enumerasse; & ideo non mirum, si ipse plurimus in hoc fuerit, & si Græci pauca de hoc scripserint. Hi enim agendo de læsione auditus, egerunt tantum de ea, qua auditus, & sine dolore, & sine vllo alio sensibili affectu in meatu auditorio existente, imminuitur; quod quum solum contingat ex obstructione, facta à materia frigida, & crassa; ideo de hoc tantum egerunt, & ad hunc curationem direxerunt; licet meminerint etiam eius, quæ fit, recurrente materia biliosa ad partes superiores. Hinc Gal. eius tantum, Lib. 3. de Med. Secundum Loca curationem proponit, quem cęteri secuti sunt, nec ibidem vllius intemperiei (à qua difficile est imaginari lędi auditum posse sine dolore, & sine materia, nisi in summo gradu, & consummata sit) meminit; sicuti, nec eius, quemadmodum Auic. egit, cęteri Græci vreba fecerunt.

Cap. V. Dat regulam vniuersaliter, ex eius sententia obseruandam in curatione affectuum aurium, videlicet, quod medicamenta infundenda in autem, omnia sint tepida, non frigida, nec calida. Hanc sententiam transcripsit à Galeno Lib. 3. de Comp. Med. Secundum Loca, Sed male eam intellexit; quoniam Galenus hanc regulam iussit seruandam, non in quocunque aurium affectu; sed in dolore tantum, & præcipuè, cum ab inflammatione pendet: vbi enim adsit intemperies frigida, vel simplex, vel cum materia, & præmissa sint vniuersalia, non tepida, sed calida medicamenta infundenda sunt.

Ad surditatem ex materia frigida, dicebat. *Vehementis iuuaminis, est vociferatio vehemens in aure, & clangores buccinarum, & similia.* Hoc ex Archigene transcripsit, qui vt refert Gal. hoc dicebat. *Postea vero, acutis vocibus assiduis, & vicissim grauibus inclamamus, & per tubam sonitu immisso malum depellere conamur.* Rationem huius reddebat Gal. dicens. *Surdastri vehementi motu, & fere dixerim, transmutatione in contrariam ei, quæ iam adest affectionem, indigent.* Huius ratione, vaporationes, & fomenta ex olla, quæ in doloribus aurium probabat, damnabat in surditate; quæ tamen ab Auic. ad hunc vsum, hoc loco admittuntur.

Cap. VI. Cum inquit, dolores ex inflammatione auris intrinseca subitò interficere, intelligatur, quod interficiant ea ratione, quo ægritudines valde acutæ, & peracutæ ægrotantes necant; non enim hi subito apti sunt necare

care ęgrotantes; sed cum velociter mouentur, & doloribus sęuissimis eosdem cruciant, secundo quaternario, & aliquandò, primo, succumbentibus viribus, deducunt patientes ad interitum. Ideo Auicen. iure, exempli loco, adducit apoplexiam; & postea subdit, in adolescentibus, qui deterius ab his inflammationibus periclitantur; vt monet Hipp. Lib. 3. Progn. Tex. 15. & 16. quandoque, septima terminari, & interficere tales dolores. Quare, vbi dicit Auicenna, subitò, nos, vel legamus, vel exponamus, celeriter.

Cap. VII. Inualescente inflammatione, *non est excusatio*, inquit, *à mollificatiuis; & non est aliquod, sicut butyrum vaccinum antiquum calefactum*. Sed animaduertendum, ex Galeno, omnes pinguedines, ex vetustate, calidiores fieri, nec ita, vt recentes, carere mordicatione. Quare, si butyrum eligendum sit, vetus fugiatur.

Cumque necessarium est, inquit Auicen. *aliquod narcoticum, magis incolume est Sief Memite, quod, cum aliquanto opio teratur, & misceatur cum lacte mulieris, & destilletur in aurem*. At de vsu narcoticorum, hoc est aduertendum, quod opium, licet immistum liquoribus lenientibus, & refrigerantibus, vel alijs medicamentis eiusdem generis, possit quidem, & inflammationes, & dolores lenire, nec tamen hic eius vsus sit tutus; quia ita administratum, non tantum aptum est lenire dolores, & inflammationes; sed etiam efficacissimum sit ad corrumpendum sensum ipsum. Quare, eligatur vsus opij, cum castoreo misti; ita enim temperatum, iuvare, nec lædere poterit. Quomodo autem sit miscendum, & quo temperamento, quaue mensura, quando, & quo pacto administrandum, diffusè docet Gal. Lib. 3. de Comp. Med. secundum Loca, Primo.

Licet plures doloris causas curare docuerit; eam tamen, quæ ab acri humore præcipuè generatur, omisit; quam propterea curabimus per lenientes liquores, vt docet Gal. Loc. Cit. præmissa tamen totius corporis naturali euacuatione, si administranda sit.

Cap. IX. Sonitus, qui in quibusdam horis percipitur, quibusdam verò alijs non, à duplici causa, ex Auic. sententia prouenit; quarum altera, est *acuitas* sensus; altera, est eiusdem *debilitas*. At sciendum est, hoc idem accidere, prædictis causis absentibus, vbi spiritus, cui quidem non omnino facilis patet exitus, attamen non ita crassior existit, vt penitus interclusus, resolutioni rebellis sit; nam quando spiritus flatulentus aerem implantatum expellens, est tenuior, resoluitur quandoque; qui si habet causam præsentem, sicuti humores viscidos, cruditates, & similia, facili negotio regeneratur. Ideo, ob hanc causam, modo aurium sonitus excitatur; modo cessat, & spatio interposito, reuertitur.

Præter omnes causas ab Auic. & à Græcis enumeratas, aliquando fit sonitus aurium, ob aliquam membranæ, Tympanum efformantis, leuem solutionem, factam, vel ex præcedenti suppuratione, vel percussione, vel punctione, vel alia simili vlcerante causa, qua non perfectè sanata, remanet sonitus auris perpetuus, & insanabilis; quoniam aer implantatus ab exteriori continuè commouetur, & à spiritu per arterias discurrente facile impellitur.

pellitur. Hanc causam animaduertant medici, ne hac præsente, medicamentis excrucient ægrotantes, in insanabili morbo.

Cap. X. In illo aurium sonitu, *qui continuus est*, *causa*, inquit Auic. *est aliquod stans in ipso cerebro*. At non necessarium est, affecto vno sensorio, semper affici cerebrum, vt docet Gal. fusius in Lib. de Locis Affec. Quare, vbi sit sonitus aurium continuus, vel eius causa est materia in ipsa aure delitescens; vel in cerebro ipso, quæ in flatus conuersa, facit sonitum illum assiduum; quæ materia potest etiam ab inferioribus partibus foueri.

Cap. XI. *Et sonitui, qui fit ab humore viscoso frigido, appropiatur*, inquit, *trochiscus expertus*, *& cæt.* At breuiter, ex Gal. tenebatur docere, talia medicamenta debere esse discussoria, admistis incidentibus, & attenuantibus; vt hinc facile medicus opportuna remedia seligere possit; quæ administrari debent, vniuersalibus præmissis, & vbi cerebrum huic consentiat, & morbum foueat, eodem euacuato, & roborato.

Cap. XII. Vlcera aurium, hoc ordine curat Gal. si sint recentia, non tamen purulenta, nec dolentia; exsiccantibus quidem, sed non strenuè admodum; quale est Glaucium, collyria ex croco, ex rosis, ex myrrha, & similia; quæ si etiam pure manant, non tamen doleant, iisdem vtitur. Vbi vero vlcera sint deteriora, sicuti antiquata, sordida, & admodũ affligentia, transit ad remedia strenuè magis siccantia; sicut ad trochiscos Musæ, Andronis, Pasionis, & alios similes: Quod si eadem vlcera magis antiquata fuerint, & sordida, & pure manantia, nec prædictis trochiscis superentur, progreditur ad scoriam ferri præparatam, & cum aceto acerrimo coctam. Interim autem, exterius, ea parte, qua auris infestatur, imponit medicamentum, quod vehementissimè exiccare potest, quale est illud, quod ex salice conficitur, vel Andronius pastillus, aceto dissolutus, & illitus; vel alia, quæ his magis exiccent. Hæc Gal. Lib. 3. Meth. Cap. 10. & Lib. 3. de Comp. Med. secundum Loca Cap. prop. Hinc Auic. ad similitudinem Gal. remedia ferè eodem ordine digessit; & laudauit emplastrum illud capitale, & composita exiccantia, quæ licet non explicet, an in aure, an intra aurem imponenda sint; intelligantur tamen, ad mentem Galeni, exterius applicanda esse. In antiquatis autem vlceribus, fœtidis, & purulentis Auicenna, vehementiora, quã Galenus, præscribit medicamenta, ita vt ad scoriam æris, ad æruginem ferri, ad arsenicum, & consimilia ascendat; in quorum vsu non sit præceps Medicus; quoniam hæc remedia escharoticam vim, & corrosiuam etiam habent. Quare, vel admodum præparata adhibeant; vel casu tantum desperato administrentur, alioquin dimittenda, & Galeni remedia, quæ tutiora, in vsum reuocentur.

Cap. XIII. Egerunt Græci de sanguinis ex auribus eruptione; non tamen causas expresserunt. Auicen. autem has enumerat, & quidem omnes, imaginatione indagandas adducit; inter quas Criticum fluxum recenset; in quo hoc aduertendum; quod talis fluxus rarò contingit, & vt ego obseruaui; non solet accidere, nisi ex causa præcedente, videlicet, vel à casu, vel à percussione capitis; cuius ratione, congestus in cerebro sanguis, solet quandoque, licet rarò, excerni, per talem viam, criticè, & cum leuamine ægro-

ægrotantis; ſponte autem factam criticè nunquam vidi, licet ex vlcere corrodente hoc aliquando ſucceſſiſſe animaduerterim; ex qua fluxione vidi quandoque ſanitatem vlceris, & capitis ſubſecutam.

Cap. XIV. Inter infrigidantia medicamenta, apta ad ſiſtendum ſanguinem, enumerat Auicen. opium. At nullus ſanæ mentis vteretur opio, ad ſiſtendum ſanguinem, ex vaſe effluentem, tanquam refrigeranti medicamento; cum ex opio non refrigeratio, ſed ſtupefactio partis ſperanda ſit, quæ hoc caſu non indicatur.

Cap. XV. De ſordibus aurium, aduertatur, quod hoc eſt excrementum naturale, quo expurgatur ſenſorium auditus, ceræ ſubſtantiam, & colorem referens; quod ſi copioſum ſit, & ſuperfluat, quoniam per ſe non excernitur, niſi ſcalpro auriculario educatur, ſolet concreſcere admodum in aliquibus, obdureſcens quique obſtruit aurem; quo caſu, datur indicatio prius emolliendi, & diſſoluendi ſordem illam, poſtea educendi. Si autem educta hac ſorde, noua copioſè regeneretur, & continuè tranſmiſſa ad aures, eas obſtruat, tunc datur indicatio, expurgato meatu, vt loco tranſmittenti, tanquam ſordium cauſæ, attendamus; quod cum fiat ratione excrementij capitis, hoc ſiccandum erit; quo peracto, facile erit prohibere ſordium generationem, atque aures expurgare. Nec tot remedia, ad eas euacuandas, erunt excogitanda, quot à Græcis, & ab Auicenna deſcribuntur. Ex quibus, illud, quod ex nitro, & ficubus paratur, ſciendum eſt fuiſſe remedium Apollonij, deſcriptum à Gal. Lib. 3. de Med. ſecundum Loca; non; ad educendas ſordes, ideſt, non ea intentione, quod à ſordibus lædatur auditus, ſed ad educendas ſordes, ideſt ad expurgandum meatum auditorium excrementis; quibus ablatis, morbus aurium facilius ſuperatur; nam hoc remedium recenſet, inter ea, quæ ad auditus grauitatem faciunt. Et quoniam particulares euacuationes non rectè peraguntur, reliquo vniuerſo corpore pleno; ideo conſulit Apollonius, hoc caſu, vniuerſi corporis rationem habendam eſſe. Et quoniam ad ea, quæ notaui, hoc multum facere poteſt, ſubſcribam verba ipſius Apollonij. *Naſturtij quantum ſufficit, & nitri parum, carne ficus, reiectis granis, excipito, indeque collyrium auditorio meatui congruum formato, ac indito; per triduum autem ipſum eximito.* Hoc multas ſordes educit, & confeſtim leuius malum reddit. Cæterum reliqui corporis quoque cura habenda eſt.

Cap. XVI. Auris oppilatio, aut eſt in meatu auditorio; aut eſt in neruo, qui ſenſationem ad aurem defert. Si ſit in meatu, quæcunque fuerit oppilationis cauſa, habet manifeſta ſigna. Si autem ſit in neruo, non ita; quoniam cauſa altior eſt, nec ſignum huius oppilationis ab vllo deſcribitur. Ego autem hoc ponam, (præter abſentiam aliarum cauſarum, meatum auditorium obturantium,) quod in oppilatione nerui, immiſſo digito intra aurem, & commoto aere, nihil perſentitur; quemadmodum in obſtructione nerui optici non commouetur, nec dilatatur pupilla.

Cap. XVII. Medicamentum deſcriptum ab Auicen. ad oppilationem ex ſorditie, paratum ex naſturtio, & *baurac*, quod tribus diebus intra aurem dimittitur, deinde extrahitur, vti ſuperius notaui, fuit medicamentum

Apollo-

Apollonij, relatum à Galeno, & transcriptum ab Auic. sed imperfectè; quoniam nasturtium, & nitrum debet includi carne ficus, reiectis granis, vt superius notaui.

Cap. XVIII. Hoc integrum caput transcripsit Auic. à Paulo Lib. 3. Cap. 23. conuenitque in eo, quod Hipp. eius sit sententiæ, vt nihil in aurium fractura sit adhibendum, nec aliquo curetur. At Hipp. Lib. 2. de Articulis Tex. 48. vsque ad finem, agit de Fractura auris, vbi monet, quæ curatio in ea administranda, & quæ improbanda sit, vt ibidem monet Gal.

Ad hoc etiam notandus est Hipp. locus Lib. 6. Aph. 19. in quo habetur, cartilaginem neque augeri, neque coalescere. Attamen Gal. Lib. 3. de Comp. Med. secundum Loca, ex Archigene, docet, quomodo in aurium vulneribus vniatur, hæc habens. *Verum in aurium vulneribus, & fissuris, cartilagine probè coaptata, fibulas imponito, deinde inflammationem arcentibus, & reliquo glutinatorio ductu vtitor.* Hanc eandem sententiam suscepit Galenus Lib. 2. de Articulis, Com. 52. vbi hæc habet. *Cautio hæc auri, ob subiectam cartilaginem adhibetur: nam si incisa citò non coeat, & conglutinetur, periculum est, ne cartilago impinguetur.* Hoc idem experientia vidi confirmatum. An igitur dixit in Aph. Hipp. non coalescere; quia non per se, sed per ferruminationem coalescat, sicut in ossibus fieri nouimus.

Cap. XIX. Auris pruritus ex duplici causa ortum habet; quandoque enim ex materia nitrosa, & salsa; aliquando ex vermibus producitur. Prima causa cognoscitur ex materia peccante in corpore; secunda, à putredine præsente: generantur enim vermes in quolibet, ex materia putrescente. Vtrisque verò conuenit cura Auic. Attamen in molesto pruritu auris, à materia salsa, præter totius corporis expurgationem, discutientibus, & lenientibus est agendum. In eo autem qui à vermibus generatur, cura ad vermes intra aurem latitantes, est transferenda. Quod autem ex vermibus in aure fiat pruritus, præter experientiam, ratio etiam dictat; nam ex titillatione vermis, & eiusdem vaporibus, in putredine quippe semper aliquæ partes incinerantur, resultat pruritus; vnde videmus etiam in pueris, dum à lumbricis infestantur, adesse pruritum in naribus.

Cap. XX. Aqua aurem ingrediens duplex esse potest. Altera medicata, & de hac agit Gal. Lib. 3. de Comp. Med. secundum Loca, in principio. Altera simplex, & communis; & de hac egit idem Gal. eod. Lib. inferius, ex mente Archigenis.

Cap. XXI. In eductione aquæ satis diligens est Auicen. & concordat cum Archigene Loc. cit. Sed quoniam duplex est, vt dixi, genus aquæ, de remedijs intra aurem immittendis erat distinguendum, prout à Gal. factum fuit, qui in medicatis aquis, post lotionem, sumpta indicatione à natura aquæ, vtitur lenientibus, & temperantibus; Quare primo vtitur oui albumine, postea lacte, adipe anserino, & vulpino. In simplicibus autem, ex Archigene, proposuit vnguenta calida infundenda. Licet autem hoc casu, vtatur lacte, papauere, & aliquibus lenientibus; non his tamen vtitur, pro ratione materiæ, sed pro lenitione doloris superstitis in aure, post extractionem, & eductionem aquæ.

Cap. XXII. Cum vermium in auribus existentium signa adducit, hæc tantum habet. *Cum verme vere sentitur agitatio*. At ego obseruaui, præsentibus vermibus, agitationem, & motum istum, in quibusdam nullo motu persentiri; sed duorum alterum adesse, scilicet, vel pruritum molestissimum; vel dolorem, quem in nonnullis, ex morsu vermis vehementi induci animaduerti; atque inde præter modum patientes cruciari noui. Quare, tria vermium erunt signa, non tamen inseparabilia, nec perpetua; quinimo in patientibus vermes, vidi ægrotantes, aliquando ab omni molestia immunes fuisse.

Cap. XXIII. Vermium cura, ea Methodo, quæ à Gal. sub finem Lib. Meth. tradita est, pertractanda, scilicet, vt eos expellere corpore tentes. Expelles autem eos, si prius necaueris; necabis autem amaris medicamentis; quorum medicamentorum Auicenna in hoc Cap. amplum catalogum recensfet. Attamen hoc vnum, ex Græcis, addo, ex quo nunquam spes me frustrata est, & cuius vsum felicissimum compertum habeo, videlicet, succum calamenti montani, quo imposito, & necantur, & educuntur. Hoc notaui pro iunioribus, vt particulare medicamentum, alijs ex tot quod ad vsum practicum magna fiducia vsurpare possint.

Cap. XXIV. Parotides duplici de causa fiunt, ex Galeni mente, scilicet, vel ex purgante natura cerebrum ipsum; vel citra cerebri affectum, in febribus acutis, transmittente natura materiam à vasis internis ad partes exteriores; quas causas, sicuti referre neglexit Auic. ita à Medico sunt maximè aduertendæ, vt fomitem parotidis dignoscat.

Cap. XXVI. *Et oportet*, ait Auicen. *vt minores materiam cum minoratione, si ipsa fuerit necessaria*. Hoc verò pro fomite parotidis est agendum; quod tamen Gal. magis specificè rem declarans, expressit de sanguinis missione, dicens. *Quod si sanguis etiam redundare videatur, per venæ sectionem ipsum euacuabimus, præsertim si id vires permittant*. Hinc colligo, bubonibus apparentibus, si plenitudo adsit, posse secari venam tutò.

Et si fuerit initium eius, cum dolore vehementi, sis contentus vaporatione, cum aqua frigida pura. ait Auic. Sed per aquam frigidam puram, non intelligas aquam actu frigidam; hac enim non potest fieri vaporatio, cum vapor tantum à calido eleuetur; nec conueniret in parotide aqua actu frigida; quoniam sic repelleret, quod nunquam permittendum in his casibus. Sed per vaporationem aquæ frigidæ puræ, intelligas fomentum factum ex aqua, prius quidem frigida, & pura, sed postea calefacta: sic enim potest fieri vaporatio; & vt verbo rem declarem, per aquam frigidam puram, intelligit aquam simplicem, cuius fomento etiam vtitur Galen. ad suppurandas, & leniendas parotides.

Cap. XXVII. Dolor in aure duplici modo generatur. Primo cum accidit auribus, quatenus participes sunt sensus tactus; & de hoc superius egit Auicen. Cap. 6. Secundo, cum prouenit ab obiecto auditus, sicuti quando læduntur à voce clangosa, à tonitru, à strepitu ingenti, & similibus; & de hoc nocumento agit in præsenti loco. Huius causa est sensorij debilitas, vel simplex, vel cum consensu cerebri, cuius ratione, sensorium excellens

cellens sensibile tolerare non potest sicut; nec in visus debilitate oculi lumen tolerare queunt.

Fen. V. Tract. I. Cap. I.

Cap. I. AN sit rationabile, à materia in ventriculis cerebri putrescente persentiri fœtidum odorem, superius notaui. Quare de hac causa, ad eum locum lectorem relego.

Cap. III. In applicandis validioribus medicamentis, quæ per nares euacuant, monet, caput tegendum esse panno infuso in aqua calida, vel perfundendum lacte, aut aliquo oleo refrigerante. At medicamenta ista, partes exteriores capitis, non interiores spectant; & ideo remedium istud, inuentum ab Auic. nec ab vllo alio excogitatum, videtur superfluum: vbi enim cerebrum ex hisce medicamentis impositis morsum sentiat, non exterioribus, sed per interius adhibita, & per eandem viam administrata leniendum est, vt docent omnes.

Cap. V. *Si in morbo acuto*, inquit Auicen. *æger odoret odores prauos, & insuetos, & adsint signa mala, tunc mors accidit*. Huius causa est putredo, & corruptio humorum, à quibus tales vapores eleuantur. Sed in hoc animaduertendum, quod si isti humores abundent in vniuerso corpore, cum adsint talia praua signa, signum est confirmatæ perniciei; at si humores, à quibus eleuantur hæ prauæ exhalationes, non in toto abundent, nec sint fomes morbi, sed tantum circa locum sensorij odoratus hæreant, eumq; specialiter lædant, nihil de morte pronuntiare possunt; & ideo fallax est hoc indicium, vt sæpe accidit.

Cap. VI. Eum qui odorifera, non autem fœtida sentit, per castoreum; cum vero, qui fœtida, & non odorata sentit, per moschum curat. At cum hæc affectio causam habeat materiam præsentem, indicatur, vt materia prius euacuetur, postea sensorium alteretur. Quare, vniuersalibus præmissis, adhibeantur sternutatoria, eandem materiam educentia; postea descendere ad medicamenta Auic. optimum fuerit, nisi euacuatio materiæ peccantis curationem absolutam præstiterit.

Cap. VII. Agens de fluxu sanguinis ex naribus, recenset plures eius differentias; quæ possunt quidem ex parte, ad curam prodesse, & ad prognosticum facere. Attamen principales differentias, à quibus potissimæ curatiuæ indicationes omisit, illas scilicet, quæ à causis desumuntur. Hæ autem sunt, quæ à Galeno Lib. 5. Meth. Cap. 2. & 3. de Sympt. Cauf. Cap. 2. & alibi passim habentur, videlicet, quod fluit sanguis, vel ratione sui, vel ratione virtutis, vel ratione vasorum. Ratione sanguinis, vel ob nimiam eius copiam, vt quando superfluit; vel ratione prauæ qualitatis, vt quando est, vel acrior, & calidior, vel subtilior, & tenuior, quàm natura esse debeat. Ratione autem virtutis, vel robustæ, & validæ existentis, vt contingit in crisibus; vel debilis, non valentis retinere sanguinem; vt accidit quandoque in prostratione virium, & in his, qui ad hydropem vergunt. Ratione vero vasorum, vel aperta, vel disrupta, vel rarefacta eorum tunica.

Aperiuntur autem, vel ob vasis imbecillitatem; vel ob sanguinis copiam, aut malam qualitatem. Disrumpuntur ex vulnere, ex contusione, ruptione, & erosione. Rarefiunt autem vasa his, qui malè nutriuntur, in quibus etiam, propter tenuitaté sanguinis, per eadem extillantis accidit, hic fluor. Itaque sunt causæ assignandæ, & addendæ; quoniam ab illis indicationes curatiuæ sunt desumendæ.

Cap. VIII. Sicuti, in particulari Cap. res, & causas necessarias omisit; ita in isto, curam, ordine, & Methodo conuenienti non satis docuit; quoniam ex Galeno Lib. 5. Methodi, & præcipuè Cap. 5. sic habendum. Sanguinis fluxionem curaturus Medicus; vel ei, vt symptomati, & vt superfluæ euacuationi occurrit, vel tempore conuenienti causas amouere tentat. In primo casu, sanguinis fluxum sanabit, si hic non fluat ad locum apertum; vel si vas ipsum claudatur. Primum fit quatuor præsidijs, scilicet revulsione, deriuatione, refrigeratione, & animi deliquio. Secundum etiam totidem, scilicet per refrigerantia, per obstruentia, per escharotica, & per ea, quæ à proprietate hoc agunt. In secundo autem casu, debet occurrere Medicus causis fluxum generantibus, quibus pro earum varietate, vt superius diximus, obsistendum proprijs cuiusque medicamentis.

Cap. IX. Recensens medicamenta ad sanguinis fluxum facientia, inter cætera, recenset paratum ex fructu Aldub, cum inquit. *Et etiam corticis fructus Aldub exiccati, & contriti*, &c. Animaduertatur, hoc esse medicamentum Asclepiadis propositum à Gal. Lib. 3. de Med. secundum Loca, ex platani pilulis confectum; sed male ab Interprete intellectum.

In fine, loquens de sanguine à capite descendente, monet, vomitu educendum; vel si infra ventriculum descenderit, per clysteré euacuandum esse. At prima iudicatio est, vt dissoluentia grumos, quoniam ab his periculum imminet, exhibeantur; postea, & vomitu, & per alias excretiones educantur.

Cap. X. Docet, exemplo Græcorum, prouocare sanguinem ex naribus, varijs medicamentis; sed ad hoc sufficiant hirudines, penitioribus narium partibus applicatæ, à quibus nulla cum difficultate, nullaque cum molestia ægrotantium certam consequemur euacuationem.

Cap. XI. Dicit, eos qui calidam cerebri complexionem habent, vehementius ab externis causis, in coryzam, & catarrhum deduci, quam eos, qui habent frigidam. Sed hæc sententia indistinctè prolata, vera non est; quoniã, qui calidum cerebrum habent, à calidis quidem causis, destillationibus facilè obnoxij redduntur; sed à frigidis non ita. Ideo Galen. Lib. Art. Med. Cap. 14. dicebat. *Implentur, atque grauantur eorum capita à calidis cibis, potibus, odoribus, atque hisce omnibus, quæ extrinsecus occursant, in quorum numero est, & qui nobis circumfusus est aer.* Inferius vero Cap. 18. loquens de calidis, & humidis cerebris, dicebat. *Facile à calefacientibus, & humectantibus offenduntur; Auster vero semper his aduersatur, atque optimè in Aquilone se habent; qui autem frigidum cerebrum habent, non à calidis causis, sed à frigidis facilè læduntur.* Vnde Lib. Cit. Cap. 15. dicebat Gal. loquens de frigido cerebro. *Et facile à causis frigidis offenduntur; atque hoc ipso offensionis tempore, destillationibus, at-*

que grauedinibus capiuntur. Quare, non simpliciter calida cerebri complexio, ad grauedinem, & destillationem, frigida, magis, vel minus est procliuis; sed hoc intelligendum, pro ratione causarum.

Cap. XII. Tradens signa distinguentia catarrhum calidum à frigido, inquit. In calido, materiam fluentem esse subtilem; in frigido autem, crassam. Ratio huius esse potest; quoniam frigidi est condensare; calidi autem rarefacere, & subtiliare. Attamen hæc sententia non vera, nisi vt plurimum; quoniam, vt experientia sæpe compertum, in catarrho frigido, à principio, sæpius materia est subtilior, & aquosior, quæ postea, procedente coctione, incrassatur; prout in catarrho calido aliquando apparent materiæ crassiores, non subtiles; nec absque ratione: nam intemperies calida potest esse adeo intensa, vt materiam incrasset, & adurat; atque in catarrho frigido, immodica adeo potest esse intemperies frigida, vt ex summa cruditate materia reddatur subtilissima, & præcipuè in primo ortu; ob quam forsan rationem, dicebat Auicen. loquens de catarrho frigido. *Et quandoque significat ipsum grossitudo materiei*; dixit enim, *quandoque non semper*.

Cap. XIII. Docens vniuersalem modum curandi catarrhos, hæc habet. *Et sitiat, & famem patiatur, & vigilet quantum potest; quoniam sunt initium curæ*. Quæ sententia conuenit dicto illi antiquo, Esuriant, sitiant, vigilent, qui rheumata curant. Sed hæc curandi ratio veritatem tantum obtinet in catarrho frigido; in calido enim, longa inedia, & magnæ vigiliæ affectum adaugent: ex inedia enim incalescunt spiritus; & pariter ex vigilijs maxima fit eorundem resolutio, & accenduntur humores; & inde fouentur catarrhi. Quare hæc non ita, nullo discrimine, in calido, sicuti in frigido admittantur.

Lauetur, inquit, *caput cum sapone Constantinopolis*. Alia litera habet, *Constantini*; alia, *Filestinorum*. Sed melius est, legamus, *Constantini*; habemus enim huiusmodi saponem descriptum ab Aetio Lib. *6*. Cap. 14. ad extirpandas capitis fluxiones.

Fen. V. Tract. Secundus.

Cap. I. FOetor nasi, vt docet Auicenna, quandoque fit per consensum à partibus inferioribus, tum naturalibus, tum spiritalibus; quandoque verò per se, affectis partibus superioribus, scilicet præsente affectu, vel in naso, vel in ossibus Ethmœideis, vel in cerebro ipso. Quomodo autem affectio per se distinguatur ab ea quæ fit per consensum, non explicat. Pro quo sciendum est, quod præter primariam affectionem, inuestigandam, pro cognitione causæ, hoc addendum est, quod in fœtore nasi per consensum à partibus inferioribus, etiam oris anhelitus fœtet; in eo autem qui per se, affectis partibus superioribus, nisi affectus communicetur meatui, naribus, & ori communi, clausis naribus, aperto ore, fœtor non persentitur, vel saltem minimum quid.

Cap. II. Fœtoris nasi curationem tradens, post totius corporis mundificationem, descendit ad topica remedia, intra nares, vel apponenda, vel attrahenda, vel insufflanda, nulla tradita methodo, pro tollenda causa, quæ præ

omnibus eſt obſeruanda; ſi enim ratione partium inferiorum, ad eas dirigenda eſt, pro ratione morbi, curatio; ſi vero ratione vlcerum, polypi, vel alterius morbi in naribus hærentis, hic remouendus erit; ſi ratione corruptæ materiæ, videndum eſt, qua ratione iſta corrumpatur. Corrumpitur autem ratione alicuius intemperiei, quæ ſolet vt plurimum eſſe caliditas, iuncta humiditati. Aliquando autem abundat quidem, & eidem permiſta, ad corruptionem, humiditas, non tamen iuncta tantæ caliditati; quo caſu, qui potiſſimus Auicen. mundificato corpore, educta materia putrida à naribus, ſiccantibus agendum eſt, & pro ratione caloris, vel maioris, vel minoris, modo exſiccantibus calida, modo frigida admiſcenda ſunt medicamenta; poſt quorum adminiſtrationem, ſi fœtor remouendus eſt, partium affectarum intemperies vltimo tolli debet; cum alias periculum ſit, ne in caſſum omnia facta fuerint; cum non remota intemperie, remaneat morbi fomes.

Cap. III. Quoniam vlcerum naſi, alia pura, alia ſordida, alia ſimplicia; alia, vel cum cruſta, vel cum fœtore, vel cum tumore; alia mitiora, alia ſæuiora ſunt; ideo has omnes ſpecies Auic. hoc capite concludens, cum ozænæ ſint vlcera praua, & aliquando graueolentia,& quandoque cum cruſta,aliquando ſordida; ideo hoc capite, non primo, vt nonnulli malè interpretati ſunt, de ijs agens, eorundem in ſequenti curationem tradit.

Cap. IV. Cum, inquit Auicen. *Sicca vero vlcera curentur cum vnctione*, &c. intendit curare vlcera, praua quidem, non verò ſordida; ſed potius cum cruſta; pinguedines enim illæ faciunt potius ad emolliendas cruſtas, quàm ad vlceris ſanationem, quæ non per humectantia, ſed per valdè ſiccantia tentanda eſt. Remota autem cruſta, & lenito vlcere per propoſita medicamenta, ad ſiccantia tum deueniendum eſt; & ideo in fine examinis dictorum medicamentorum, dicebat. *Et oleum, & arſenic. citrinum,& gallæ*. Quoniam per huiuſce generis medicamenta cicatrices vlceri obducendæ ſunt.

Cum autem ſubiungit. *Vlcerum autem, ad quæ currit materia, aut mala, fœtida, &c.* Docet curare ozænas verè ſordidas, & graueolentes; in qua curatione ſtatim ad medicinas cauterizantes deuenit. De quarum vſu hoc animaduerto, non ita ad eas properandum eſſe: primo enim tentanda ſunt medicamenta ſiccantia valde, & ſimul digerentia, quorum delectum habeas apud Gal. Lib. 3. de Comp. Med. ſecundum Loca. Poſtea, ſi hæc non ſatisfecerint, tunc ad vehementia deſcendendum eſſe laudo, & cauterizantibus procedendum aſſero; quod magis obſeruandum fuerit, vbi corpus curandum ſit mollioris carnis, & ſenſus acuti: in his enim ab acribus, & erodentibus exaſperantur. Cuius ratione, ego nunquam ad arſenicum, nec ad ſandaracæ vſum, hoc caſu deueni; cum tamen plurimos curauerim, & ſanauerim, nulla vnquam ſpe concepta ex vſu prædictorum remediorum deluſus, in quibus præcipue cum duobus vſus fuerim, ad alia deuenire non fui coactus. Primum eſt, ſuccus fol. hederæ, cuius miror mentionem non factam fuiſſe à Galeno Loc. cit. cum tamen Lib. de Simpl. Med. Fac. Cap. proprio, hanc facultatem ei tribuerit. Secundum, ſunt troc. Andronis, à Galen. ad hoc celebrati, & ab Auic. de eorundem vſu, vſurpati; quibus duobus,

cum alijs non potuerim id assequi, omnes ozænas superaui.

Cap. V. Per *Vlcera dulcia*, intelligit ea, quæ Paulus Glycea vocauit, ideſt mitiora, ea nempè, quæ ſunt ſine dolore, ſine fœtore, & ſine cruſta. Talia autem vlcera callum contraxerunt, & prætumidas oras, & duras habent, vt docet Gal. Lib. 4. de Comp. Med. per Genera.

Cap. VI. Declarat, meatum, qui à narium ſuperiori parte ad palatum deſcendit, triplici de cauſa oppilationem pati, ſcilicet, vel ratione humoris viſcoſi, vel ratione carnis adnatæ, vel ratione cruſtæ. Cap. autem 7 proponit ſigna. At Cap. 8 curationem, abſque vlla methodo tradit: cum enim, vbi fuerit oppilatio, ratione humoris viſcoſi, indicatio ſit, præmiſſa vniuerſali purgatione, ipſum attenuare, abſtergere, & educere; vbi autem ſit ratione carnis adnatæ, indicetur eius abſumptio, quæ fit iuxtà curam polypi; vbi autem ſit ratione cruſtæ, ea ſit mollienda, ſeparanda, & poſtea educenda, confuſè docet, caputpurgium adhibendum, & manualem operationem adminiſtrandam. De caputpurgio autem hoc animaduerto, quod nulla ratione, & nulla indicatione, huic admiſcet opium, quod oppoſitum omninò, quà incraſſando, quà ſtupefaciendo, præter intentionem, operari poteſt.

Cap. IX. In cura *Chaiaſis*, ſtatim ad remedium locale deſcendit, nulla habita ratione totius; & eius intentio eſt ſiccare, & abſumere. Vnde adhibet caputpurgium, & gargariſmum, non vt per nares, & per palatum euacuet; ſed vt per vtramque viam materiam peccantem, ſcilicet, tum gargarizando, tum per nares attrahendo, exiccet, & abſumat.

Cap. X. Melius eſt, pro hac curatione, conſulere Hipp. Lib. de Fract. 2. à Tex. 38. vſque ad 48. & eundem Auicen. Lib. 4. Fen. 5. Tract. 3. Cap. 4.

Cap. XI. Quod Paulus appellat Sarcoma, & Galen. excreſcentiam carnis, vocat Auic. *Hæmorrhoides*. Quod nomen forſan tranſcripſit à Philoxeno Chirurgo. Huius autem differentias poſtquam explicauit, deſcendit ad differentiam cancri, & hæmorrhoidum. In quo hoc aduertatur, quod tantum aſſignat differentias horum, ſumptas à modo generationis, non à morbi ipſius eſſentia, quæ ſolum attendenda, pro horum cognitione; non verò modus generationis, qui vtrique affectui poteſt eſſe communis. Cum autem inquit, cancrum in pluribus non habere *saniem*, hoc pacto intelligatur, ſcilicet, quod plures cancri non habent ſaniem; quia plures non ſunt vlcerati.

Cap. XII. Inter medicinas, quibus curantur leues hæmorrhoides, enumerat puluerem ex arſenico, & chalcantho; quod tamen medicamentum validius, & acrius eſt, quam pro ratione harum hæmorrhoidum. Quare in vſum temperata veniant.

Quod notat de ſemine ſerpentariæ, & de eius fructu, pro curatione cancroſæ carnis, conſiderandum eſt, tale medicamentum acre eſſe, & ideo cancris forſan non conueniens, vbi occulti ſint, ideſt, qui nec ſint vlcerati, nec in penitiori narium loco hæreant: tales enim, vt dixit ſuperiori capite blandienti cura, non exaſperanti indigent; vt docuit etiam Gal. pluribus in locis. Quod ſi Dioſ. aſſerat tale medicamentum opportunum eſſe, hoc caſu, non eſt vt ei tantum tribuamus, vt verum credamus; quod cum non

aſſerat

asserat Galen. de fructu loquens, sed dicat tantum, quod creditus est fructus eius cancros eliquare. Hinc colligenda rei veritas, quam etiam non absolutè affirmauit Auicen. sed dixit, tantum. *Et iam dictum est*, scilicet à Dioscoride, non ab alio.

Cap. XIII. Auicen. insinuans Galenum Lib. 7. Aph. 52. profitetur, illum reprehendens, ab eo diuersam se tradere de sternutatione, doctrinam, dicés: *Sternutatio est motus proprius cerebri ad expellendum humorem, vel nocumentum aliud, cum auxilio aeris naribus attracti, per viam nasi, & oris*. Postea, paucis interpositis, inquit. *Quidam*, vt Galenus, *existimauerunt, quod cerebrum non declinat ad sternutationem, nisi quando conuertitur nociuus humor in aerem, & extrahit eum, cum aere naribus attracto, & illud non est necessarium, &c.* In qua re alucinatus est Auicenna, existimans, Galenum hanc sententiam vniuersalem protulisse; cum tamen particularis sit, & solum hoc speciatim de sternutatione ex capite prouenienti loquatur. Vnde non vniuersaliter, sed pressius potius legebat Aph. hoc modo. *Sternutamentum ex capite eueniens, fit cerebro calefacto, &c.* Nam fit sternutamentum ex capite, cerebro ipso calefacto; quoniam calefactionem sequitur humorum raritas, rarefactione autem humores in spiritum conuertuntur, quo irritante vim expulsiuam, & inde eo exploso, fit sternutatio. Hinc Arist. 32 Probl. Probl. 9. dicebat. *Ergo sternutamentum beneualere caput, & posse concoquere indicio est; cum enim capitis calor humorem, spiritumve vincit, tunc moueri sternutamentum consueuit*. Et ideo dicebat. *Sic enim humor concalefactus, celerius effluere, conuersus in spiritum potest.* Et subiungebat. *Cum enim calor secedat capitis, qui eius partis humorem natus mouere aptus est, quo in aerem attenuato, sternutamentum exultat, &c.* Cuius ratione fit, vt ex his maximè caput leuetur, vt ibidem docet Gal. & potissimum, vbi adsit dolor capitis, qui ex multo flatulento spiritu ortus sit; ex sternutationibus enim hic sanatur, vt docet Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 6. Com. 5. Et ideo, sternutationis, in morbis acutis, ex capite, præterquam in his, qui pulmonem fatigant, quantumuis perniciosis, superuenientes, signa sunt salubria, vt docebat Gal. Lib. 2. Progn. Com. 49. quoniam indicant concoctionem, & robur secretricis facultatis in cerebro, qua concretus humor in spiritum conuertitur, & inde per sternutationem exploditur; cui rei adstipulatus Arist. Lib. 1. de Natura Animalium Cap. 11. dicebat. *Pars faciei nasus, quæ meatum præbet spiritui; aerem enim ea parte reddimus, & accipimus. Sternutamentum quoque eadem agitur parte, quod flatus vniuersi eruptio est. Signum augurale, & vnum ex spirituum omnium generibus sanctum, & sacrum*. Augurale autem est; quoniam vt dicebat Gal. & affirmat Arist. 32. Probl. Probl. 9. ex sternutamento indicium bonæ valetudinis auguramur; quæ omnia, de sternutamento ex capite intelligenda. Cæteræ autem sternutationes hoc pacto nequaquam fiunt; sed solum ex mordicatione, & irritatione in penitioribus narium partibus facta, siue sit causa externa, siue interna. Vnde grauedines mordicantes, & aliæ materiæ similes, à cerebro descendentes, & in pinnam intra nares immissæ, & medicamenta errhina, & quæcunque vim expultricem irritare possunt, apta sunt sternutamentum excitare. Quæ omnia nouit Gal. qui nec de his affirmauit, necessario humorem

morem in flatum, & spiritum conuerti, vt fiat sternutatio; sed solum hoc asseruit de humore in cerebro contento. Quare hæc verba habet. *Nam etsi aliquis humor in capite abundat, non facit tamen sternutamentum, nisi in ventum conuertatur, & cet.* His autem suppositis, patet, Auic. sententiam, sternutamentum scil. esse motum cerebri ad expellendum humorem, & aliud nocumentum; si per *nocumentum*, intelligit materiam corpulentam, vt alia videtur habere littera, non esse vniuersaliter veram; quoniam sufficit quod sit vel spiritus, vel materia. Si verò intelligit omnem causam, ita vt etiam includat spiritum, ad mentem Gal. rectè sensisse videtur; nam ad excitandã sternutationem, requiritur irritatio virtutis expulsiuæ, facta, vel à spiritu, vel à quacunque causa mordicante, ad cuius explosionem insurgens virtus expultrix, sternutamentum inducit, vt molestantem causam remoueat; aut ad hanc explosionem; si adsit materia in vijs nasi, vel oris, etiam eadem exploditur. At hoc per accidens, vel vt magis proprie dicam, ex consequenti; non autem quod sternutatio sit proprie motus cerebri, vt inquit Auic. ad explodendum humorem per viam nasi, vel oris.

Sententia illa, qua habet Auic. *illum, cui adhibentur sternutatoria, & non sternutat, non sperari sanari posse.* Desumpta est ab Arist. 32. Probl. 9. vbi hoc habet. *Quamobrem moribundos interdum sternutatorio excitamus, tanquam si hoc affici nequeant, spes nulla salutis sit.* Quam sententiam adnotare volui, vt Iuniores moneam, in his, qui ægre habent, ad prognosticum, hoc indicium aduertendum esse; quod à me obseruatum, rarò fallax deprehendi.

Pulcherrimam tradit hoc loco, de sternutatione sententiam, maxime in administratione medicamentorum sternutationem prouocantium, aduertendam, scilicet, quod vbi materia fit cruda in capite, sternutationes lædunt. Quod in horum medicamentorum vsu animaduertant Medici, ne materia sit cruda, alias maius foret nocumentum iuvamento; quoniam cruda, ad mentem etiam Hipp. non sunt mouenda. Cuius ratione, etiam fit, vt sternutationes in destillationibus, & grauedinibus, & alijs cerebri affectibus, materia existente cruda, haudquaquam prosint, sed noceant; cuius oppositum postea succedit materia concocta, tunc enim iuvant, & capitis grauitates, & cæteros affectus sublevare possunt.

Cap. XIV. Sternutationes sponte orientes, & ex capite, non veniunt curandæ, nisi sint molestæ, propter aliam passionem, in qua nocuæ sint, in corpore existentem; sicuti in depositione suffusionis, in vlceribus oculorum, in chirurgia herniæ, in confossis, in vulneribus abdominis, & alijs consimilibus affectibus. Ceteræ autem, quæ non ex capite, sed ex alia causa oriuntur, ne quidem & ipsæ curandæ, nisi, vel propter molestiam, quam patienti, ex proprio affectu inferunt; vel propter læsionem alteri morbo illatam. In omnium autem harum sternutationum curatione, animaduertenda est causa, pro cuius ratione, remedia paranda erunt. Vnde, vbi causa erit materia spirituosa, discutientia erunt applicanda; si mordicans, conuenient contemperantia; si calida, refrigerantia; si frigida, calefacientia; si humida, exiccantia. Quod si hæc non satisfecerint, deriuanda est materia ad oculos, ad aures, ad palatum, & pro ratione diuersæ

causæ

causæ morbi, ei erit incumbendum, eam abscindendo, & omnes causas externas remouendo, Ad quas indicationes, si ea, quæ ab Auic. tradita sunt, dirigantur, proficiet Medicus; sin minus, confusè agens, prout Auic. scripsit, scopum plurimùm non attinget.

Cap. XV. Inter sternutationem prouocantia, enumerat opium; quod cum sit stupefaciens, vnde potius sternutationes sedare, quam irritare potest, mirum est, quomodo inter errhina recenseatur; nisi forsan littera sit corrupta.

Cap. XVI. His, quæ leui negotio è naribus educi possunt, satisfacient errhina; in his autem, quæ magis infixa sunt, & sternutationibus rebellia, indigemus chirurgica opera.

Pruritus, nasi vltra assignatas, hoc loco ab Auic. causas, gignitur, & iam ratione lumbricorum, in imo ventre hærentium: ab his enim eleuantur vapores acres, qui ad nares ascendentes, ibidem pruritum excitant; pro cuius curatione lumbricorum curatio adhibenda.

Fen. Sexta Caput Secundum.

Cap. II. Scribit, colores, & sapores in lingua, non tantum significare eiusdem dispositionem; sed etiam indicare plures ægritudines aliorum membrorum; & exemplum adducens, inquit: *Nam rubedo eius, & propriè in asperitate, significat apostemata sanguinea in partibus, vel capitis, vel hepatis; & albedo similiter significat frigiditatem, vel capitis, vel stomachi, vel hepatis, & sic de alijs coloribus.* In qua re hoc aduertendum est, quod color in lingua, non tantum significat dispositiones, vel hepatis, vel capitis, vel stomachi; sed etiam omnes ægritudines aliorum quorumlibet membrorum, qui linguam in consensum adducere possunt; sicuti præcipuè, vtero valde inflammato contingit, à quo lingua, pro ratione inflammationis, tingitur, vbi perurens fit; vt Hipp. Lib. 6. Epid. Sect. 5. Tex. 14. docens, quid colores in lingua indicare possint, exemplo vteri, habet. Quod idem, & de liene, & de pulmone, & de cæteris visceribus inflammatis, & male affectis intelligatur; non autem de solis, vel cerebro, vel hepate, vel stomacho.

Hic alterum animaduertatur, quod non semper, male affectis prædictis membris, subsequitur immutatio in lingua; quoniam, vt docet Gal. in Com. præcitato Tex. *Signis quidem, quæ significantur, eueniunt, non tamen rebus necessario signa accidunt*; cuius merito fit, vt abundante sanguine, non semper lingua rubro colore; abundante melancholia, nigro tingatur, nec inflammato vtero, lingua pro ratione inflammationis immutetur; quoniam, & in hoc non est necessarium, vt perurens febris accedat, & in illis non est necessitas, vt ad linguam attollantur. Quare, linguæ varius color poterit quidem plures membrorum ægritudines significare; non tamen necessarium est, vt illis male affectis, necessario lingua immutetur, sed hoc tantum continget, vt ibidem docet Gal. vel merito perurentis febris, vel ratione redundantium humorum, aut in toto corpore, aut saltem in solo ventriculo.

Inferius

Inferius inquit. *Et quandoque significatur dispositio linguæ, ex dispositione motus eius, apud loquelam &c.* Ex quibus docere intendit, impedimentum ad loquendum, & grauitatem motus linguæ, indicare repletionem, vel sanguinis, vel humiditatis; quod nequaquam negandum est. Attamen, & præter hoc, sciendum est, tale impedimentum, vbi intermittat, & repetat sæpius, futuram vel epilepsiam, vel Apoplexiam significare; & tunc non tantum linguæ, sed etiam cerebri affectum significabit.

Cap. III. Exponens modos curandi linguæ morbos, dat hanc regulam generalem, quod ea quæ bibuntur ad curandi rationem, post cibum exhibeantur; quod de localibus medicamentis non potest asseri; quoad vniuersalia autem, melius est ea sumere ante cibum, tum quæ ad concoctionem, tum quæ ad euacuationem exhibentur. Nisi hoc forsan in alterantibus quibusdam conueniat; sed tunc regula non erit vniuersalis.

Cap. IV. *Nocumentum*, inquit, *ingreditur in gustu, tribus modis*. Intelligas, quia, vel aufertur, vel imminuitur, vel corrumpitur. Et omnes hi læsionum modi, subiungit, fiunt, vel per se affecta lingua, vel per consensum. Horum autem causa est triplex, scilicet, vel intemperies, vel morbus instrumentalis, vel continui solutio. At hęc doctrina non sufficiens existit; quoniam erat explicandum, tria illa symptomata, quę in gustu contingunt, scilicet, abolitionem, imminutionem, & corruptionem, accidere, vel ratione virtutis, vel ratione primi instrumenti, vel ratione menbrorum inseruientium primo instrumento. Ratione virtutis, imminuitur in conualescentibus; deperditur in morituris. Ratione primi instrumenti, imminuitur ex intemperie frigida, vel pura, vel cum materia; deperditur ex eadem, sed magis intensa; corrumpitur, vbi in eo infarcti sint mali succi, vel ad illud praui mittuntur vapores. Ratione membrorum inseruientium primo instrumento, imminuitur, ex leuiore nerui paralysi; deperditur, ex absoluta; corrumpitur, si per eundem gustum mali affluant succi. His autem positis, clarè liquet, in nocumentis gustus, quæ indicationes in curatione sint desumendæ, quoad partem primo affectam, & cui incumbendum sit; semper tamen id obseruando, an affectus in dictis partibus sit per essentiam, an per consensum.

Cap. V. Ex supradictis satis constat, quam imperfecte Auic. hoc casu, curam nocumentorum in gustu contingentium tradiderit. Præter hæc antem, animaduertendum est, quod loquens de nocumento gustus per consensum à ventriculo, inquit. *Si causa fuerit repletio, & humor malus, euacuetur; & si fuerit acutus, euacuetur cum hiera picra, aut pil. cochijs, aut factis ex scamonea, & pulpa colocynthidis*. At indistinctè hæc prolata sunt, & confusè in vsum recepta, maximas læsiones inducere apta sunt. Hoc patet ex differentia medicamentorum; quæ enim comparatio est hieræ picræ cum pil. cochijs, & alijs medicamentis ab eo adductis? nulla certè, cum nec eisdem competant affectibus. Quare, hac distinctione habita, hæc erunt exhibenda, vt si humor iste acutus in ventriculo sit, & in eo generetur, hiera picra exhibeatur; si autem ad ventriculum, à toto corpore, vel ab aliquo membro longius distante transmittatur, tunc medicamenta illa validiora in vsum

veniant,

veniant, non auté alia ratione; quoniã in hac affectione, solo ventriculo laborante, & per se, nec alijs partibus concurrentibus, nimis vehementia sunt, & apta potius ventriculum ipsum labefactare, quàm roborare.

Cap. VI. Assignans mollificationis linguæ causas, inquit, ex duplici prouenire humiditate, altera sanguinea; altera aquosa. Sanguineam autem indicat rubedo linguæ, & caliditas eius; aquosam verò multitudo saliuæ subtilis. At mea sententia, magis apta est humiditas crassa, & viscida inducere mollificationem linguæ, quam quæcunque alia materia: hæc enim facilius obstruit, & promptior est ad impediendum sensum, & motum, quàm tenuis, siue sit aquosa, siue sanguinea; quinimò, sanguinea humiditas, nisi per inflammationem, non est apta inducere mollificationem; sanguis enim non peruenit ad neruos, nisi eos inflammando.

Quoniam autem, loquens de ea, quæ fit per consensum à cerebro, & quæ fit eo non consentiente, dicit, hoc analogicè cognosci posse, *ex ijs, in quibus inuenitur dispositio in reliquis membris, acquirentibus ex cerebro motum, & sensum.* Sciendum est, de lingua, hoc ei proprium inesse, vt à tertia parte neruorum habeat sensum; à septima autem, non longe à spinalis medullæ initio, motum, vt docet Gal. Lib. 4. de Loc. Affec. Cap. 2. Quod maximè est aduertendum; quoniam hinc habemus, in qua parte administranda sint remedia, & præcipuè, si hoc sit per consensum à cerebro.

Cap. VII. Primam partem huius capitis, vsque ad ea verba. *Et tu quidem iam sciuisti* &c. totam integrè ab Aetio Lib. 6. Cap. 31. transcripsit. Quare, non erat dicendum. *Et si existimatur, quod cum humiditate dominetur sanguis, phlebotomentur venæ sub lingua, & ventosetur mentum.* Quoniam nec sectio harum venarum, nec applicatio cucurbitularum sub mento, administrantur ad tollendam sanguinis copiam; quoniam ista ad hanc indicationem non sufficeret; sed ad diuertendam tantum materiam peccantem.

Inferius autem. *Et quando mollificatio fit vehemens, & prohibet locutionem, tunc sumatur aliquid Euphorbij, & condisi, & assiduetur fricatio linguæ, & radicis eius cum ipsis.* Sed nimis potens est hoc medicamentum, nec intra os tuto assumi potest; est enim adurentis facultatis, vt ad ignem propè accedat Euphorbium. Struthion autem, quod condisi dicitur ab Auic. in quarto quodammodo est gradu calefacientium, vt habet Gal. 8. de Symp. Med. Fac. Quare, hæc ad hunc vsum nequaquam admittantur, alias non impunè vsurpabuntur, vel mista, & refracta administrentur.

Si humiditas sit subtilis, & resolutiua, non profuerint tunc styptica, & resolutiua erunt administranda, ait Auicen. At longè melius est, reuellentibus, deriuantibus, & exiccantibus agendo, membro mittenti prospicere; quoniam si generatio humiditatis non inhibeatur, fluxus difficulter intercipietur, licet styptica adhibeantur; ad cuius interceptionem præter prædicta, maximè facient exulcerationes in humeris.

Cap. VIII. Sat erat dicere, spasmus linguæ quandoque fit per repletionem; quandoque per inanitionem. Per inanitionem, in morbis acutis, ope exiccationis; per repletionem autem, ab humiditate viscosa, vel à melancholica: vtraque enim hæc materia, per repletionem, spasmum facit; non autem

tem quod hæc per tensionem in latitudine, illa autem per constrictionem spasmum inducat.

Cap. IV. In cura spasmi linguæ, docet faciendas *vaporationes per fomenta, ad radicem colli*; quoniam vt superius dixi, ex Gal. Tex. 7. de neruorum propagine, non longe à spinalis medullæ initio recipit lingua neruos ad motum.

Cap. X. Per magnitudinem linguę, intelligit eum affectum, in quo excrescit lingua in molem eximiam, absque inflammatione; qui affectus est morbus organicus in magnitudine, nihil patiente lingua, præter magnitudinem; cuiusmodi meminit Galen. Lib. 1. de Diff. Morb. Cap. 9. Et quoniam aliquando hæc magnitudo linguæ aucta est carne bona, & laudabili; aliquando autem non ita laudabili, sed potius fungosa, ideò dixit, aliquando fieri hanc magnitudinem à sanguine dominante; aliquando autem ab humiditate phlegmatica. Quæ autem fit à tumore, ex aliquo humore linguæ substantiam perfundente, ita vt fiat, vel inflammatio, vel œdema, vel scirrhus, vel cancer, hic non recensetur, sed spectat ad Cap. 14.

Cap. XI. In hoc capite, per linguæ *mollificationem*, quæ accidit in pueris, nunc non intelligit, vt prius, veram linguæ resolutionem; sed potiùs eum affectum, in quo pueri habent linguam extra dentes prominentem, & eam sic continent. Et quoniam hoc ex nimia pendet humiditate; ideo eam tentat curare victu exiccante. Quæ autem fit, resectis fibris musculi retrahentis linguam, cuius vltimo loco meminit, curationem non recipit.

Cap. XII. Agit de *abbreuiatione linguæ*, eius substantia integra permanente; nam abbreuiatur, imminuta quinetiam totius linguæ magnitudine, siue ex tabe, siue natura; vel ea resecta, & incisa.

Cap. XIV. *Et quandoque apostematur*, inquit Auic. *lingua, propter potum venenorum, sicut fungorum, & opij*. At opinor hic literam esse corruptam; cum ex fungis, & opio non apostemetur lingua; sed ex pluribus alijs venenis, sicuti ex erucis pineorum, & Salamandra, ex Toxico, Napello, & Ixia. Quare, loco fungorum, & opij, adscribantur duo alia ex prædictis venenis, ex quibus lingua apostemari queat; cuius apostematis nec meminit ipse Auicenna Lib. 4. Fen. 6. Tract. 1. Summa 3. Cap. 1. quo loco, agens de opio, inquit, ad eius potum sequi linguæ grauitatem, non apostema. Sequitur autem grauitas; quoniam stupore inducto, lingua ad motum impotens redditur.

Cap. XV. Suppurante inflammatione, docet exhibendum esse potum hieræ puræ, ad soluendam materiam ab ore stomachi. At intentata suppuratione, supersedendum est Pharmacis soluentibus, nec retrahenda est materia. Disrupta suppuratione, statim stypticis agendum esse monet. At prius abstergendum, quam adstringendum est.

Prætermisit curam cancri; quoniam occulti cancri non veniunt curandi.

Cap. XVI. Per *Alchael*, intelligit omne nocumentum, quo homo balbutire, & male loqui cogitur. In assignandis autem causis, cum longè plures, quàm Galenus adduxerit; hinc videri posset, vel Galenus diminutus, vel Auicenna superfluus. Gal. enim Lib. 6. Aph. 32. de balbutie loquens, quatuor eius assignat causas. Prima est breuitas linguæ. Secunda mollities, & hu-

I miditas.

arterijs cordis, non rectè forsan dicitur; quoniam nec humores, nec vapores, vel in corde, vel in arterijs læuibus, circunstantibus contenti, apti sunt immutare respirationem; vnde videmus, in obstructionibus arteriarum leuium pulmonis, & cordis, immutari quidem pulsum; non tamen anhelitum, quousque affectio non perueniet ad asperas pulmonis arterias, quæ proprie destinatæ sunt vsui respirationis. Quare, si materia, aut vapor sit, vel in corde, vel in eius proximis arterijs, poterit quidem immutari pulsus, & cordi, vel superueniet tremor, vel palpitatio, vel anxietas; non tamen hæc materia fuerit apta producere, non dixerim, asthma, sed nec aliquam aliam difficilis respirationis speciem, licet forsan aliquam alterationem in respiratione possit inducere.

Quod autem dicit, pro curatione in hoc casu, conuenire sectionem venæ, sane optimè dictum, sicuti leui animaduersione, hæc in alijs asthmatum generibus ab eo prætermissa est. Hæc enim venæ sectio, non solum ad curationem sæpe est necessaria; sed etiam maxima vrgente necessitate, cum valde anguntur patientes, & ferè suffocantur, nihil præstantius est sectione venæ; hæc enim, præter omnia alia remedia, symptomatum vehementiam tollit, & respirationem facilem reddit.

Cap. XLI. Docens curare diuersas deprauati anhelitus differentias, in secundo ordine, ponit causam, quæ fit ex *multitudine vaporum, qui sint in corde, vel in pulmone, venientium ad hæc membra, ex alijs locis; & pro eius curatione*, inquit *phlebotomanda est basilica*. Sed si vapores ascendant ab vtero, vel ab alijs partibus inferioribus, cui dubium est, quin potius secandæ sint venæ inferiores, quam superiores, ad retrahendam materiam, & vapores ascendentes, ratione causæ, sine cuius ablatione non potest tolli, aut morbus, aut symptoma? Quare præceptum hoc non erit vniuersale.

In tertio ordine, ponit deprauationem anhelitus, *ab humiditate subtili*, cuius ratione, inquit, *temperanda est hæc materia, cum ingrossantibus*. At si materia hæc sit serosa, vt in hydero pulmonis contingit, sicut alias scripsi, incrassantia non conuenient, nec erunt apta huiusmodi temperare materiam, quia hæc eius est naturæ, vt nullam suscipiat coctionem, nec incrassationem. Quare, talis curatio, in hac materia non est administranda.

Pro curatione quartæ deprauationis, ab *humiditate æquali*, adhibenda esse abstergentia monet; inter quæ, enumerat nuces. Sed quantum nuces sint thoraci infestæ, non solum experientia comprobare potest; sed etiam hoc ratione consequi possumus; cum enim habeant adstrictionem insignem, vnde dicebat Gal. Lib. 2. de Alim. Fac. Cap. proprio. *Habent & adstringentis qualitatis non exiguum*. Atque cum adstringentia sint in quacunque anhelitus deprauatione, & læsione, noxia, nulli dubium, quin vsus nucum, hoc casu, sit fugiendus. Nisi forsan Auicen. per nuces, intelligat amygdalas, quæ hoc casu opportunæ sunt, propter earum abstersionem, sine adstrictione.

In sexto ordine, proponit curam eius, quæ fit ratione catarrhi, dicens, capitis mundificationi in hac incumbendum esse, nisi *catarrhus sit ex debilitate substantiæ cerebri; quoniam tunc curationem non habet*. Sed cum imbecillita-

tis causa sit insignis intemperies, vt Gal. sæpius scripsit, & imbecillitas cerebri fiat ex insigni intemperie. Igitur ex Auicen. nulla insignis cerebri intemperies curationem susciperet; quod tamen falsum esse experientia constat; cum tales sæpe sanatas à pluribus medicamentis, præcipuè autem ex embrocha aquarum naturalium videamus. Quare, per *debilitatem substantiæ cerebri*, vel intelligit debilitatem ab ortu; vel in habitu, quæ remoueri non possunt.

Cap. XLII. Credo locum hunc Auic spurium, non legitimum esse;cum præcipuè citet Galeni sententiam, quæ nec eius est; nec eius doctrinam sapit, & cætera ab eo proposita sint, præter enumeratos ab eo casus, & sine ordine dispositos, exceptis illis, quæ de causa deprauationis anhelitus,ex parte neruorum proponit.

Fen. X. Tract. Secundus Cap. Primum.

Cap. I. AGens de alterationibus vocis, inter cæteras causas, proponit, ex *vehementia caliditatis pulmonis* alterari vocem.& paulo post subiungit. *Caliditas autem magnificat vocem, & frigiditas acuit eam, & minorat eam.* In qua re hoc animaduerto, quod licet Auicen. hic loquatur de causis morbificis; non tamen vera est eius sententia, nisi in dispositionibus naturalibus; vt docet Gal. Lib. de Art.Med. Cap. proprio; quo loco declarans, vocem magnam non fieri à caliditate pulmonis, sed à latitudine asperæ arteriæ, & à vehementi efflatu; sicuti nec paruam à frigiditate, sed ab asperæ arteriæ angustia, & non vehementi efflatu, inquit, quod *non semper, neque primum; sed ex accidente, & ob solas naturales temperaturas, non aduentitias, vocis magnitudo, aut paruitas sequitur.* Vnde patet, posse esse calidum pulmonem ex accidente,& inde fieri vehementem efflatum;non tamen generari vocem magnam; quia ex innata frigiditate fit angusta trachea arteria.

Comparans nocumenta facta in membris inseruientibus voci, ait, quod *quando fortia sunt prædicta nocumenta, destruitur vox, & ad destructionem vocis;* subiungit, *non oportet vt destruatur locutio.* Quæ sententia, ex diametro opponitur Galeno, qui Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 7. comparans hæc quinque inter se consequentia, & facientia ad vocem, scilicet expirationem, exsufflationem citra strepitum, strepentem exsufflationem, vocem, & loquelam; & docens, quomodo ad læsionem prioris semper sequatur læsio posteriorum; non autem è conuerso, tandem ait, comparans vocem, & loquelam. *Sicut voce pereunte, loquelam quoque perire necesse est.* Exemplum autem ab Auic. adductum, pro confirmatione suæ sententiæ, fuit desumptum à Gal. Lib. 1. de Loc. Aff. Cap. 6. sed nequicquam facit ad probationem; quoniam ex refrigeratione illorum neruorum, non absolutam vocis priuationem subsecutam; nec ea pereunte, seruatam in eo ægrotante loquelam fuisse non affirmauit Galenus.

Raucedo, inquit, *cum accidit ob humiditatem, accidit ab humiditate pauca; & cum multiplicatur, parumper tremit; & si multiplicatur plurimum, destruitur.* Sed quod tremor vocis fiat ex multiplicatione puræ humiditatis falsum est.

non

Cap. XXX. Ad putrefactionem gingiuarum, & carnis, quæ est inter dentes, tandem deuenit ad arsenicum citrinum, & rubeum. Pro hac autem, confugiendum ad ea, quæ superius notata sunt de Arsenico; & pro citrino, intelligamus auripigmentum; pro rubeo autem, sandaracam.

Fen. Septima Tract. Primus Cap. Primum.

Cap. I. AGens de dolore dentium, inquit, quod, *dentes, quando dolent, sentiunt id, quod in ipsis accidit, ex percussione, & iectigatione, siue* saltu; ita, ut sentiant in dente fieri saltum, vel iectigationem, à Latinis palpitationem dictum, quæ à dente sentiatur. Circa quod duo animaduertenda sunt. Alterum est, quod cum iectigatio, siue palpitatio, non possit fieri, nisi in membris, qui possunt extendi, & contrahi, nequaquam in dentibus talis poterit fieri affectus; cum sit pars ossea, quæ extensionem, & contractionem momentaneam non admittit. Immo Auic. ipse superius Lib. 3. Fen. 2. Cap. 18. docebat, iectigationem, nec in membro molli, quale est cerebrum, nec in duro, quale est os; sed in eo, quod est medium in duritie, & mollitie fieri posse. Alterum est, quod Auic. desumpsit hoc à Galeno Lib. 5. de Comp. Med. secun. Loca, qui dum docet, dentes inflammari in propria substantia posse, dicebat, Dentes ex inflammatione pulsantem dolorem pati; quod in se ipso ex proprio dolore se persensisse testabatur. Cum igitur talis pulsatio persentiatur, inflammato dente, forsan per iectigationem, & saltum; non intellexit Auicenna palpitationem dictam; sed pulsantem potius dolorem; quoniam in eo non disseminantur arteriæ, quarum ratione, pulsatio in inflammatorijs affectionibus gignitur, & affligit; sed potest quidem à dente, actu sentiente, & dolente, ex inflammatione propria persentiri pulsatio arteriarum propè dentem, in ipsis gingiuis decurrentium, quæ ex inflammatione propinqua immodicè calefactæ, validius pulsantes, dentem affligunt; qua mente dicebat Gal. non solum se percepisse ex inflammatione dentem dolentem; sed etiam pulsantem.

Addebat, *dentes pati apostemata*, & rationem reddens, dicebat. *Omne enim quod recipit extensionem, cum augmento nutrimenti, non elongatur, quin recipiat extensionem cum superfluitate; nam si non reciperent materias penetrantes in eis, augmentantes eos, non fierent virides, & non denigrarentur.* Hoc totum transcripsit à Galeno, qui volens docere, quomodò dentes inflammationem pati possint, duas rationes adducebat. Primò, quia ex nutrimento suscipiunt dentes incrementum, ferè toto tempore vitæ nostræ; ideo possunt etiam suscipere materiam alienam, quæ excitet inflammationem. Secundo, denigrantur dentes, & liuidi fiunt; quod fit per materiam prauam, intra dentes susceptam; ideo pariter possunt suscipere materiam inflammationem inducentem. At Auicen. primam illam rationem non rectè assecutus est; & ideo longè aliter, quàm Gal. ipsam recensuit, dicens. *Quod omne id, quod recipit extensionem, cum augmento, non elongatur, quin recipiat extensionem cum superfluitate*; existimans scil. dentes ex inflammatione, sicuti in partibus carnosis contingit, extendi, & maiores fieri; quod falsum est: Dentes enim, & ossa

tices radicis ipsius mori; quoniam hi adeo validi sunt, vt etiam ex iis appositis, excuti possit dens, vt & ipse admittit Cap. 17. & docet Aetius Lib. 8. Aph. 34.

Cap. IV. Agens de dolore in substantia dentis affligente, eiusque causas exponens, ait, primo induci dentium dolorem ex intemperie, vel frigida, vel calida; secundo ex intemperie sicca, hæc verba habens. *Et exiccatio, propter priuationem nutrimenti, sicut in senibus*. Quam eandem sententiam mutuatus est Aetius ab Adamante Sophista, qui censuit, à pura intemperie sicca fieri dolores intolerabiles. Sed contra hanc plura pugnant. Primo est doctrina Galeni Lib. 5. de Comp. Med. secundum Loca, in quo nunquam, nec ex propria, nec ex antiquorum sententia, asseruit dentes à pura intemperie sicca dolere; quinimo de exiccatione dentis, ob inopiam alimenti, sicuti contingit in senibus, loquens ib. Gal. nequaquam dixit eos dolere. Secundo est experientia ipsa: in senibus enim, quibus alimenti inopia, aridiores, & tabidos, alimentumque non sentientes, & ob id tenuiores reddit dentes, nullus adest, nec persentitur dolor, immo omni dolore vacant, tandem valde exiccati, ex inopia alimenti, dentes, sponte, nullaque præcedente alia causa, & sine dolore decidunt. Tertio est Methodus, & ratio medicamentorum, quibus vsi sunt, & quæ docuerunt antiquiores medici, ad eximẽdos dentes sine dolore; hi enim non alia ratione, vel dentem, sine dolore docuerunt euellere, quam per summam exiccationem. Si autem summè sicca eximere dentem, sine dolore apta sunt; ergo à siccitate dentes non dolebunt, alioquin ex applicatione horum medicamentorum summus excitaretur dolor. Vltimo, ex mente Galeni, talis exiccatio est insanabilis. Si autem hoc sic se habeat, vt quid Aetius, cum Adamante Sophista, quos sequutus est Auic. proposuere curationem huius affectionis? Quare censeo ego, falsum esse, fieri dolorem in dentibus ab intemperie sicca. Si autem per humectantia prædicti Medici aliquos sæuos leniere dolores, hic nõ à siccitate, quæ insanabilis est in osse; sed ab aliquo humore acri, dentem penetrante ortum habuit dolor; qui potuit demulceri per humectantia, contemperata eiusdem humoris acrimonia.

Sub finem capitis, habet hæc verba. *Et quandoque dolent dentes in febribus acutis, secundum semitam communitatis, in malitia complexionis*. Sed, an possit contingere dolor in dentibus, ex calore febrili, videant alij. Ego autem forsan legerem, & quandoque strident dentes in febribus acutis; quod Hipp. dictis, & experientiæ conuenit. De Dolore autem, ratione febris affligente, videant alij.

Cap. V. *Si autem*, inquit, *non sentitur læsio nisi in profundo, tunc causa est in neruo, qui est in radice eius*. Sed nisi alia infrascripta signa addantur, falsa comperietur hæc sententia; quoniam incipere potest dolor in radice dentis, qui nondum communicetur vniuerso denti.

In fine, cum ait, *Et non remouetur quidem, nisi propterea quod materia, quam natura, & medicina resoluere quærunt, inuenit locum amplum, in quo expellitur*. Melius est legere affirmatiuè, *& remouetur quidem* &c. ad mentem Galeni, dicentis eradicato dente, postea dolorem remoueri; quoniam neruus,

bis insunt hæ duæ difficultates. Primò, quod cum timor sit motus sanguinis, & spiritus ad intra, cum refrigeratione; vt habet Gal. Lib. 2. de Sympt. Caus. Cap. 5. vnde cum imbecillis sit innatus calor, in his quandoque confestim ex timore extinguitur, & suffocatur, quomodo sanguinis fluxionem excitare timor queat; immò, cum ex eo aliquando maximas hæmorrhagias sistamus; inducto enim timore ex malo nuncio, vel ex alia re inopinata, & timenda, præsente ægro, relata, seu prolata, difficillimæ aliquando sanguinis eruptiones sistuntur. Secundo, quod cum timor, & tristitia potius apta sint spiritus, & sanguinem refrigerare, & extinguere, quomodo dicantur ab Auic. timor, & tristitia esse ex his, quæ sanguinem acuunt. Nisi forsan ad mentem Alex. hæc intelligat esse causas fluxionis sanguinis; quoniam animi accidentia mala, magis sanguinem deprauant; quod ipse intellexit in sanguine, ob erosionem fluente.

Quoad ea quæ docuit de venarum affectibus, quarum ratione sanguis reijciatur, nihil aliud dicam, nisi quod satis confusè, nec satis rectè rem ipsam explicauit. Pro cuius rei perfecta cognitione, adeundus est Gal. Lib. 5. Meth. Cap. 2.

Verum circa hunc Galeni locum, aduertendum est, anastomosis causas tres hic assignari. Scilicet vasorum imbecillitatem. Secundò sanguinis copiosi ad hæc vasa motum. Tertiò acrem quandam, quæ eidem sanguini extrinsecus accidat, qualitatem. Lib. autem 4. de Loc. Aff. Cap. 9. diuersam videtur proferre sententiam; assignat quippe huius affectus causas, tantummodo calidas dispositiones præcedentes; sicuti sunt multa, & calida balnea, habitatio in regione calida, anni tempus calidum, cibus, & potus calidiores, & similia, quæ si ad vnum redigantur caput, tres non videntur esse anastomosis causæ. At sciendum est, hæc omnia, & quæ eiusdem sunt conditionis, facile tres illas causas inducere posse; quoniam, ob nimium calorem, vasa immodicè calefacta redduntur imbecilliora; quia rarefiunt, & calor auctus conciliat motum sanguini. Insuper, cum calidior reddatur, acrem acquirit qualitatem, cuius ratione, potest facile ora vasorum aperire. Quare, in Galeno nulla erit inconstantia; cum in Lib. de Loc. Aff. referat tantum causas antecedentes; in Lib. autem Meth. adducat coniunctas, & proximas.

Dum dubitat Gal. de Diapedesi, an sit quartus affectus, non dubitat an sit quartus reiectionis sanguinis modus; sed an sit quartum vasorum vitiū, cum tria enumerauerit. Primum, malam vasorum dispositionem; secundum, erosionem; tertium apertionem. Respondet autem, quod non est quartum; quia vel ad apertionem vasorum reducitur; vel quia non est sanguinis, sed seri euacuatio.

Diapedesis duas Gal. hic recenset causas; quarum altera est tunicæ vasorum rarefactio, & sanguinis tenuitas; altera, sunt gracilium venarum ora aperta. At quoad primum, sciendum est, vasorum rarefactionem duo consequi, scilicet, vel nimium calorem, qui etiam potest sanguinem attenuare; vel eorundem atrophiam, ob quam fiunt tenuia vasa, & apta apertioni; vt habet Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. Quoad secundum autem, sciendum

est

eſt, aperiri hæc vaſa ab iiſdem cauſis, à quibus etiam maiora aperiuntur; ſed debilioribus, vna cum mala vaſorum diſpoſitione, quæ eſt mollities, & tenuitas; vt habetur loco cit. Lib. de Sympt. Cauſ.

Cap. V. Quod prætermiſerat Cap. 4. loquens de ſanguine ex canna prodeũte, hic addit ex parte, conſentiens Gal. ſcilicet, quod talis ſanguinis reiectio fit cum *raſcatione, & tuſſi pauca.* Sed vt dixi, à gurgulione, cum *raſcatione* ipſa; *à canna* autem ideſt ab interna arteriæ aſperæ cauitate, cum tuſſi.

Ad ſigna ſanguinis ex thorace erumpentis, propoſita à Galeno, & alijs, addit *ſpumoſitatem in ſanguine excreto.* Quod ſicuti experientiæ contradicit, ita etiam rationi; cum enim ſanguis ex thorace effluens, ſui natura non ſit ſpumoſus; nec ex calore igneo, vel ex motu adeo violento, (licet in eo vehementior tuſſis requiratur) vt diſſolutis partibus ſanguinis craſſioribus, poſſit ſpuma in eo eleuari, liquidò conſtat, ſanguinem in huiuſmodi reiectione non poſſe eſſe ſpumoſum.

Cap. VI. In miſſione ſanguinis, ſecat Auic. ad reuellendum, primo ſaphenam; ſecundo baſilicam. At Gal. vt apparet Lib. 3. Meth. Cap. 8. ſtatim ſecat venam cubiti, bis, terque ſanguine miſſo, vt pleriq; item omnes. In qua re, Galenum magis, quam Auic. imitandum cenſeo; quia à ſuperioribus venis reuulſio celerius, & tutius habetur, quàm ab inferioribus.

Mirum eſt, quomodo enumerans cibos idoneos ſiſtendo ſanguini, laudet *lac vaccinum, ex quo extractum ſit butyrum;* & poſtea, ad idem, butyrum probet; ſi enim butyrum malum eſt in lacte, quid illud poſtea probare; ſi hoc bonum eſt, quid illud ex lacte extrahere; & ſi melius ſit lac abſque butyro, quid poſtea butyrum ipſum dare?

Mirum etiam, quomodo in curatione ſanguinis, ex corpore pulmonis erumpentis, laudet *ſitum ſuper latus affectum;* cum ſuperiori capite dixerit, quod *quando patiens dormit ſuper latus in quo eſt ægritudo, additur excreatio eius quod expuitur.*

In curatione catarrhi non valde acuti, ſeu cholerici valde, ſanguinis rejectionem excitantis, inquit. *Et non inungatur caput omnino.* Quod idem in enarratione hiſtoriæ Mulieris Romanæ à Gal. curatę repetit, dicens. *Et non inunxit caput eius.* Cur autem Gal. non inunxerit caput mulieris, in hoc caſu, arbitratus eſt Auicen. hoc factum eſſe, quia Galen. timuerit ex inunctione, humectationem capitis, à qua potuerit catarrhus augeri. At Galeni alia fuit mens, quam non aſſecutus eſt Auicen. Cum enim Gal. ad ſiſtendum catarrhum, vſus eſſet rubificante in capite, & attrahente medicamento, quoniam pinguia adhibita, ante vſum horum medicamentorum, eorum vim, & actionem obtundunt, & ab eorum vſu, eorumdem efficacia hebetatur, parſque rubificata lenitur; vt in vſu ſinapiſmi docuit Aetius Lib. 3. Cap. 182. ideo Gal. deducta muliere in balneum, in quo omnes inungi ſolebant, maxime intentus ſiſtendo catarrho, ne vis medicamenti, ex palumbi ſtercore applicati remitteretur, nullo iure pingui caput eius illeuit; non autem, quod ex inunctione humectationem metueret.

Sed maior in hac curatione Gal. de balneo in nobili hac Romana adminiſtrato, impendet difficultas, quæ communis etiam poteſt eſſe Auic. cum totam

illæ sint, præseruare docet ; & ideo tradit dentitriciorum diuersas compositiones, quibus muniri, & præseruari debiles dentes queant.

Fen Octaua Tract. Primus Cap. Secundum.

Cap. II. PRo curatione apostematum calidorum gingiuis accidentium, iubet, in principio administrandas esse collutiones stypticas, ita vt progrediatur ad decoctum myrti, balaustiorum, glandium, & similium. At pro hac intentione, sciendum est, medicamenta valde astringentia, & styptica noxia esse in inflammatione gingiuarum, propter earum naturalem substantiam, quæ à valde adstringentibus simile quid contusioni patitur, eadem violenter condensata; vt docet Gal. Lib. 5. de Comp. Med. secundum Loca. Quare abstineant Medici, hoc casu, à valide adstringentibus, vtanturque tantum ijsdem moderatis.

Inferius, cum inquit. *Cum ergo purulentum fit, administra super ipsum florem æris, & gallas &c.* Si intelligat, iuxtà sensum textus, quod dum purulentum fit apostema, sint administranda ea medicamenta ab eo proposita, error est manifestus; quia suppurante inflammatione, medicamenta suppurantia, non cathæretica, & admodum siccantia conueniunt. Quare, credo textum esse corruptum, legendumque esse, *Cum vero caro illa noua fit, administra super ipsam florem æris &c.* Hæc enim omnia desumpsit à Paulo, qui hæc ad carnem, post inflammationem, enascentem, Epulidem à Græcis dictam, præscripsit.

Subiungebat. *Cum autem gingiua non cessat suppurari, & apostematur, & non sanatur, indiget cauterio.* Quo loco, per, suppurari, intelligas putrefieri; hoc enim totum exscripsit à Galeno Lib. 5. de Comp. Med. secundum Loca, qui ad nomas gingiuarum, ex Archigene, proposuit modum illum cauterizandi, oleo feruenti, & lana.

Cap. IV. Fissuras gingiuarum affirmat eadem curatione tractari, qua labiorum fissuræ. Attamen sciendum est, à natura partis, labiorum fissuras ficciora medicamenta, cum ratione cutis, labiorum substantia sit magis sicca, quam gingiuarum, postulare.

Cap. V. Præstitisset differentias vlcerum in gingiuis ita distinxisse. Vlcera gingiuæ, alia sunt pura, alia sunt sordida; alia cum putredine; alia cum corrosione; alia sine corrosione.

Cap. VI. Ad vlcera cum putredine, docet, collutionem oris, cum lacte asinino adhibendam esse. At lac asininum optimum quidem est ad corrosionem gingiuarum; quoniam abstergit, roborat, & renutrit; sed quod ad putredinem conferat est præter rationem; cum putredinem cohibentia debeant esse valde sicca.

Cap. VIII. Diminutio gingiuarum duplicem habet causam. Altera est corrosio, altera, cum imminuuntur ob atrophiam. De prima causa egit Cap. 6. De altera nusquam. An autem medicamenta ab eo proposita faciant ad alterutram, vel ad vtramque causarum, satis notum erit consideranti.

Per *mollificationem gingiuæ*, intelligit tumores flaccidos, & excrescentias gingi-

gingiuæ, genitas ex superfluitatibus humorum, nihil acrimoniæ habentibus, quæ necessario, ratione alicuius fluxionis, in eam decumbunt. Quare, antequam Medicus ad localia descendat, prius habeat rationem causæ; hac enim neglecta, si alicuius momenti fuerit curatio, in cassum tentabitur.

Cap. X. Hoc loco non agit de Epulide, quæ est carnis excrescentia, ab inflammatione exorta; de ea enim egit Cap. 6. At hic agit de carne addita gingiuæ, nulla præcedente inflammatione; solet enim aliquando circa gingiuas excrescere caro, quæ quandoque in tantam augetur molem, vt magnam partem oris occupet; ad quam faciunt quidem medicamenta cathæretica, & valde siccantia; sed eam aliquando forcipe melius est abscindere, & aliquando ligatura arcta, quæ in dies arctior fiat, à qua solet decidere ex se, vt in praxi iussi quandoque fieri.

Cap. XII. Indicationem desumptam à natura partis, satis clarè docuit, non tamen perfectè omnia explicauit; cum enim fissuræ labiorum fiant à diuersis causis; aliquando enim fiunt ratione materiei acrioris destillantis à cerebro; aliquando verò ratione humorum acrium in toto corpore redundantium; aliquando ratione humorum acrium in ventriculo hærentium, & ab eo euaporantium; aliquando ratione vaporum acrium, ab vniuerso corpore, ad oris, & labiorum partes exhalantium, vt fit sæpe in febribus; aliquando ratione frigoris externi; pro ratione itaque diuersitatis omnium, monendum erat quomodo diuersa conueniant, his curandis, medicamenta.

Cap. XIII. Indistinctè protulit diuersa remediorum genera, quę ad fissuras labiorum opportuna sunt; cum tamen, pro ratione causarum, diuersa distinctè debuisset proponere medicamenta.

Cum autem inquit. *Et ex regimine iuuante in ipsa est inunctio suminis, & ani*. Videant alij, an hoc remedij genus à Rhasi exscriptum, habeat rationem medicamenti.

Cap. XV. Per *hæmorrhoides labiorum*, intelligit quędam labiorum vlcera, cum quadam carnis excrescentia, ad cuius contactum facillimè sanguis manat. Talia autem indigent summè siccantibus, cum quadam lenitione; alias valde exasperarentur.

Fen. Nona Tract. Primus Cap. Primum.

Cap. I. PRæter intemperiem, tumores, & paralysin, accidunt etiam his partibus vlcera non contemnenda.

Cap. III. Ex hoc casu vidi suffocatum puerum, non à cibo, sed ex pilula, quam immittens mater, inuito filio, in os eiusdem, & eam in tracheę arterię caput, dum clamaret, detrudens, filium proprium suffocauit. Quare, vt inquit Auic. timor est, in tali casu.

Cap. IV. Excitandum esse singultum, ad educenda infixa, vbi interius adhęreant, monet, ea forsan ratione; quia per singultum natura tentat expellere illa, quę in eius substantia fixa sunt; cum tamen per acria sit excitandus singultus, quę penetrationem dare infixis, & affectum ipsum exacerbare possunt, potius vomitus, quàm singultus prouocandus fuerit, & potissimũ,

quò

quanto singultus non ita tutò sicut vomitus prouocari potest.

Exscribens à Paulo, qui hoc ex Leonidis sententia, protulit, proponit *Emplastrum*, extra apponendum, *ex farina hordei, cum oleo, & aqua tepida*. At longè præstat Emplastrum ab Aetio propositum ex farina seminis lini, in melicrato cocta.

Cap. VIII. Imaginatus est Auicenna, ob siccitatem, vel mollificationem, vel conuulsionem musculorum epiglotidis, posse anginam, & strangulationem fieri, quamuis ex his meatus tracheæ arteriæ non sit oppilatus. Quæ sententia nequaquam recipienda venit; quoniam meatus ille non est instrumentum, respirationem, aut faciens, aut formans; sed & tantum via spiritus permeantis ad spiritalia membra; vnde ipso non impedito, ea, quæ respirationem efficiunt, sicut musculi intercostales, diaphragma, &c. suo munere rectè funguntur. Quod autem hoc sit verum, ex doctrina etiam ipsius Auicennæ patet, qui in angina, imminente suffocationis periculo, docet secandam esse tracheam arteriam; qua aperta, licet in ea sectione nullum adsit opus naturale, speret respirationem sufficientem fieri posse, pro salute hominis. Verum quidem est, quod ex immoderata siccitate musculi interni gutturis potest fieri angina, & strangulatio, vt docet Gal. Lib. 4. Aph. 34. ex quo loco exscripsit forsan Auic. hanc sententiam, licet non ita rectè, nec ad mentem Galeni sed id contingit; quoniam ex hoc meatus angustior fit; non autem remanet apertus, vt scripsit Auicenna. Quod autem dixi de siccitate, idem intelligatur de conuulsione; cuius etiam meminit Gal. loco citato Com. Aph. 35. intelligens eam, quæ fit ab exiccatione; quod & etiam obtinet de mollificatione; vbi enim meatus sit apertus, membra respirationi inseruientia, recte possunt suum munus obire.

Loquens de Angina phlegmatica, dicit, *quod eius Sanatio est velox, & facilior*. Et postea inquit, quod *quandoque perdurat vsque ad* 40. *dies*. Sed quomodo curatio est velox, & facilis, si ad terminum morborum longorum prorogatur?

Dat regulam generalem in anginosis morituris, dicens, quod *omnis synanchicus qui moritur, spasmatur in primis*. Sed hoc tantum admittitur in his, quibus materia ad neruos conuertitur; in quibus autem hoc non fit, nequaquam verum est, vt experientia docet.

Cap. IX. *Dolor* inquit, *non fit fortis, in phlegmatica*. At, Lib. 4. Aphorism. 34. docebat Gal. fieri posse anginam à materia pituitosa, madefaciente internam musculi interni gutturis superficiem; vel incrassante musculos aperientes, & hoc sine dolore; quod forsan, in fine capitis dicebat Auic. loquens de hac angina. *Et quandoque est in ea dolor paruus, aut priuatus*. Si per priuatum, intelligit nullum dolorem.

Cap. X. Apostemata gutturis, faucium internarum, & oris, ita curanda esse docet, vt materia faciens illud *euacuetur in principio, cum phlebotomia, & solutione ventris*. In quo notandum est, pro solutione ventris, posse conuenire lenientia pharmaca, à principio, non autem electiua, quibus plures medici vtuntur, hoc Auic. loco freti, ad diuersionem. At in principio inflammationum, in morbis acutis, nequaquam conueniunt talia pharmaca,

ex Hipp. Lib. 4. Reg. Acut. 24. & ex Gal. ibidem in Com.

Ad curationem harum inflammationum, laudat Sternutatoria; quæ tamen in Angina ipsa sunt periculosissima; nam cum in sternutatione ipsa requiratur maxima inspiratio, angustus autem sit meatus spiritus, non potest prouocari sternutamentum, nisi cum maximo discrimine, & periculo suffocationis. Quare dimittatur in angina, tale medicamenti genus; quod forsan ad alias oris inflammationes, iusto tempore paratum, diuersionis ratione, poterit proficere.

In huiusmodi inflammationis curatione, ex eis, quæ iuuant, illud vnum est, quod *abradatur synciput, & leniatur cum succo acaciæ in principio; deinde cum maturatiuis; demum cum aperientibus fortibus, & valde calidis, & adurentibus medicamentis*. At hic modus procedendi, in applicatione remediorum ipsi capiti, mihi valde suspectus est; quoniam adstringentia, & styptica syncipiti applicata, in principio morbi, dum cerebrum excrementis abundat, sunt apta potius allicere maiorem fluxionem, quam eam prohibere. Simile enim ex hoc continget, quod fit ex aere frigidiori, constipante partes capitis, ex cuius constipationis vi, materia inferius descendit, vt dicebat Gal. Lib. 3. Aph. 13. hæc habens. *In quibusdam uero, coacto, & uelut compresso capite, expressa materia inutilis, ad loca capiti subiecta descendit*. Quod genus remedij eò magis abhorreo, quod video Galenum laudare, & proponere medicamenta opposita: nam probat ipse Galenus capiti esse adhibenda medicamenta attrahentia ad partes exteriores, & ad superficiem externam; vt in expositione Tex. 30. Lib. 4. Reg. Acut. apparet. Cum enim medicamentis attrahentibus vtendum, & caput radendum, & ceratum capiti, & collo circumponendum esse docuisset Gal. circa collum attrahentia adhibenda esse monebat; postea concludens dicit. *Commune tamen in utrisque, tum colli, tum capitis, in quo fluxiones fiunt, auxilium tibi sit*.

Laudat præ cæteris, vsum lactis, in principio harum inflammationum. Sed hoc tempore, indigemus, ex Gal. & ex ipso Auicenna, repellentibus, & adstringentibus medicamentis; lac autem non est tale. Galenus quidem vtitur eo Lib. 10. de Simpl. Med. Fac. ad mitigandum inflammationes harum partium. At non est adhibendus eius vsus in principio; sed in statu tantum, & dum maxime affligunt inflammationes; & ideo vsus est hoc verbo, *mitigare*.

Cap. XI. Omnes Scriptores tradunt, in angina cauendum esse, ne in sectione venæ deducatur patiens ad Syncopen. Quare, cum Auicenna inquit, *In forti angina extrahatur sine cessatione sanguis, usque quo apparent Syncopes*. Intelligatur, vsquequò appareant signa imminentis syncopes, idest, vt mittatur sanguis copiosè, non ad syncopen, inclusiuè, sed exclusiuè; propius tamen, alias nec Auicen. sibi constaret, propter subsequentia verba; nec cum alijs scriptoribus conueniret; nec rationi, nec experientiæ, quæ demonstrant, & testantur, in angina, syncopen esse lethalem, subscriberet.

In forti angina, alterum aduertendum monet, videlicet, quod si in hoc casu suppressa sit aliqua sanguinis naturalis euacuatio; vt puta, si menses, vel hæmorrhoides consuetæ suppressæ sint, tunc retrahenda est materia ad inferio-

inferiores partes, per sectionem venarum inferiorum; vel per appositionem cucurbitularum. Sed alias scripsi, in hoc casu, videlicet, vbi angina acuta sit, moliendam esse eam euacuationem, quæ euacuando totum, possit etiam materiam è loco affecto elicere; & ideo secandas esse superiores venas, alioquin prius sequeretur suffocatio, quam leuatio morbi: sectis enim venis inferioribus, non educitur materia à parte læsa, nisi maxima fiat, & copiosissima sanguinis euacuatio, quæ possit hominem ad interitum deducere; quas tamen venas, si angina non sit acuta, possumus secare, ad demendam plenitudinem, & prouocationem euacuationum suppressarum; non tamen ad educendam materiam à loco affecto, cuius, cum non sit grauis passio, morbus tenuioribus medicamentis postea poterit discuti.

Subiungit, quod *si dispositio tolerat prætermissionem phlebotomiæ, vsque ad maturationem, tunc illud est melius ad conseruandam uirtutem*. Quæ sententia duplicem potest habere sensum. Alterum, quod vbi dispositio tolerat, vt prætermitti possit venæ sectio vsque ad maturationem, tunc melius est, pro conseruatione virtutis, vt prætermittatur à principio, sed postea maturato morbo, administretur; quo sensu, præceptum hoc frustrà est; quoniam maturato morbo, non amplius sectione venæ indigemus, sed disruptione; nec vnquam, vbi sit secanda vena, potius in fine morbi, quam in principio secanda venit; in principijs enim morborum, si quid mouendum, ad remissionem morbi, moueatur, nec ad finem protrahatur. Alter erit, quod si dispositio tolerat prætermissionem phlebotomiæ, tunc melius est, ad hoc, vt remaneat virtus in corpore, idest, si dispositio tolerat, & in sectione venæ non fiat superflua, & copiosa euacuatio, sed relinquatur sanguinis portio, pro conseruatione virtutis, vt dicebat in cura febrium putridarum, dimittendum esse sanguinem in sectione venæ, pro crisi, & virium conseruatione, ad mentem Gal. Lib. 11. Meth. Cap. 14. tunc melius est ita facere, pro conseruatione virium; ita vt hic sit sensus, quod si dispositio non sit admodum acuta, tolerat vt prætermittatur phlebotomia, idest, dimittatur in phlebotomia sanguinis quantitas; tunc melius est facere hoc, pro conseruatione virtutis; & tunc à principio, decem pondera sanguinis vnica vice, vel decem pondera sanguinis duabus vicibus extrahenda, quandoque vna quaque vice, educenda erunt, cum prius in forti, per decem, & decem pondera hoc faciendum, vsque ad tertium diem docuisset. Quæ sententia potest verum habere sensum.

Addit casum, quo non debet fieri venæ sectio ante declinationem morbi, scil. quando inflammatio est supra algalsamati; tunc enim sectio venæ circa declinationem facta trahit sanguinem ad locum inflammatum, & maiorem infert suffocationem. Sed hæc sententia dubia est; nec ratio valida est; quoniam vbicunque sit inflammatio, ex sufficienti sanguinis euacuatione, semper materia à loco affecto, non ad locum affectum perducitur.

In Angina, quæ non est cum plenitudine totius corporis, monet, non esse secandam venam, vultque ex tenuitate victus posse absumi, à reliquo corpore in proprium nutrimentum, materiam facientem morbum. Sed in

hoc attendenda est magnitudo morbi, & virium constantia; vbi enim hæc duo concurrant, statim secanda est vena. At forsan dices, non præsente plenitudine in toto, non potest angina esse morbus magnus; & ideo hac absente, nequaquam venit administranda sectio venæ. Sed contra Galen. pluribus in locis docuit, & posse fieri morbos magnos sine plenitudine, & plenitudine non præsente, vbi adsit, vel immineat morbus magnus, secandam esse venam; vt Lib. 4. Meth. Cap. 6. vbi hæc habet. *Neque hoc dico, propterea quod purgatio, euacuatio fit, quam redundantis sanguinis concursus non indicet; sed quod etiam, tametsi redundantis sanguinis concursus non adsit, ad ipsam tamen sanguinis missionem interdum sit confugiendum, quando, si valens morbus sit cum uirium robore, nemo est, qui sanguinem non mittat, qui utique in artis operibus sit exercitatus.*

Non postponatur phlebotomia uenæ, quæ est sub lingua. Immo oportet, ut sit festinatio ad illam in eodem die. Hæc Auicennæ sententia, quod à prima die sint secandæ venæ sub lingua, est satis dubia. Primò, quia euacuationes à loco affecto non sunt faciendæ in principio morborum. Secundò, quia Galenus aliter docuit, qui Lib. de Curandi Ratione per sanguinis missionem Cap. 19. dicebat. *Quocirca, quæ in gutture, & arteria graui torquentur inflammatione, in principio quidem, aperta in cubito uena, post principium autem, in ipsa lingua magnifice prodest, incisis uidelicet uenis, quæ in ea sunt, ambabus.* Lib. autem 2. ad Glauc. 2. dicebat. *Sic igitur in Synanchicis, eas, quæ sub lingua sunt, venas incidimus, quando iam totum corpus vacuum se nobis obtulerit, passio uero sit diuturna;* idest protrahatur, & prorogetur. Quare, non à principio Anginæ, nec prima die secantur hæ venæ; quoniam potius ad locum affectum, quam à loco affecto perduceretur materia; sed procedente morbo, factis prius vniuersalibus sanguinis euacuationibus.

Circundetur collum lana, & proprie lana hysopi, quæ sit infusa in oleo oliuæ, aut in oleo chamæmelino; ipsa enim est lenificatiua, sed atiua doloris; deinde in postremo eius admisceant ei attractiua, cum non conferant ista.

Hæc sententia Auicennæ opponitur Hipp. qui contrario modo procedit; prius enim vtitur attrahentibus medicamentis; postea adhibet ceratum, & lanas collo circumuoluit, vt apparet Lib. 4. Reg. Acut. 30. & hoc cum maxima ratione; prius enim est euocanda materia ab internis partibus ad externas, postea leniendum, & concoquendum; non verò prius concoquendum, & leniendum, postea attrahendum. Acutis enim morbis, præstantiora, & celeriora remedia adhibenda sunt; nam in his à leuioribus incipere, & præstantiora retardare, malum.

Pulueres insufflandos in fauces docet. Sed cum Galenus in affectibus columellæ, has insufflationes aridorum medicamentorum damnet, in examine propositorum ab Archigene Lib. 6. de Comp. Med. secundum Loca, quanto magis erunt improbandæ in Angina, in qua partes spiritales sunt affectæ, in quibus etiam naturaliter dispositis, si puluis subeat, nouimus quantam respirandi difficultatem inferat.

Docet modum conficiendi *pillulas ex rad. lilij*, & *fœtidas* exhibendas in statu. Sed quis anginosus in statu posset deglutire pilulas. Quare, vel

alia

alia forma exhibeantur; vel prætermittatur hoc medicamentum.

In Angina, procedente à materia melancholica, monet administrandum esse medicamentum *Alharmel*. At sciendum est, hoc ad resolutionem, transactis primis morbi temporibus, solum conuenire; nam in principio, quęcunque sit materia, stypticis, & adstringentibus est repellenda.

Anginam, ex dislocatione vertebrarum superiorum ceruicis, curare docet, dicens. Quod *ingenietur ex compressione loci, cum facilitate, ad superiora.* In quo duo animaduerto. Primum, Hipp. Lib. 2. Epid. Sectione 2. dixisse, tales anginosos omnes perijsse. Secundo, eundem Hipp. Lib. 3. de Articulis, repanditatem vertebrarum insanabilem censuisse. Quare Auicennę sententia mihi non arridet; tum quia Hipp. contradicit; tum quia luxata ossa, sola compressione non restituuntur; sed ad hoc prius requiritur extensio; secundo restitutio. At quomodo fiat hęc extensio in vertebris ceruicis, non facile est declarare; cum Hipp. hanc extensionem damnet Lib. Cit. 3. de Articulis Tex. 50. Restitutio autem per compressionem, sine extensione, nulla est, & compressio, mea sententia, erit inualida; quoniam à parte anteriori ad posteriorem non potest fieri, nec magna, nec firma vertebrę luxatę compressio, cum tegantur carne mollissima, & quę huiusmodi violentam operationem ferre non est apta.

Cap. XII. Ad formandum medicamentum vtile melancholicę columellę, assumit *atramentum rubeum*, quod est Sory Gręcorum. Pro cuius vsu, animaduerto, Galenum damnasse vsum atramenti sutorij ad columellas Lib. 5. de Comp. Med. secundum Loca his verbis. *Atramentum uerò sutorium uehementem habet adstringendi uim, sed non expers est calefaciendi; & propterea putredinosis ulceribus conuenit, & tamen exacerbat columellam, etiamsi sit in scirrhum indurata.* Pręterea, in examine medicamentorum Apollonij, qui ad columellam vsus erat chalcitide, quę est proxima sory, dicebat. *Chalcitis vero in totum inepta est, præterquam, si valde inueterata, & ægre sanabilis sit affectio; est enim medicamentum mordax, si cruda adhibeatur. Quare ut uim ipsius deleamus, usta frequentius utimur.* In examine autem medicamentorum Heraclidis, qui vsus erat melanteria, dicebat. Talia inflammatis, & rubeis columellis non conuenire. Immò subiungebat. *Neque in declinatione earum; tunc enim discussoriorum medicamentorum uim prædominari oportet; at in istis, ualida est etiam uis adstrictoria.* Quare, exemplo horum, dico, vitandum esse vsum sory, affectis columellis, etiam si sint in declinatione; vel in scirrhum mutatę. Per melancholicas autem, audiamus scirrhosas, & rebelles.

Cap. XIII. Elongationis vuę duę sunt causę pręcipuę. Altera est inflammatio; altera humectatio. Prima pendet ex sanguine tumorem faciente; secunda ex humiditate à cerebro fluente, & vuam irrigante. quæ duę animaduertendę erant, vt inde curatiuę indicationes tutò elicerentur.

Cap. XIV. *Vuas infantium*, inquit, *eleuare gallas contritas cum aceto, & proprie quando liniuntur ex illis eorum syncipita.* Hoc notare volui; quoniam hic attendit causam elongationis vuę, exiccando caput; ad cuius exemplum Medici, in elongatis, & rebellibus columellis, debent attendere fluxionis causam, quod est cerebrum humefactum. Quare, hoc exiccetur, & in ni-

mia humiditate, cauterizetur, tum ad ipsum exiccandum; tum ad reuellendum humorem fluentem.

Cap. XV. Quomodo *asa fœtida*, *& alumen*, sint *ex incidentibus unam*, difficile est imaginari; cum præter exiccationem, nulla alia vi polleant, nec tanta exiccatione, vt postea per se decidant; ad hoc enim requiruntur verè incidentia, vel cauterizatio; non autem pure exiccantia, & discutientia.

Cap. XVI. Quod vuæ ablatio possit facere ad malam stomachi complexionem, non prohibendo causas exteriores, non est ita facile explicare prout de læsione consequente membra spiritalia; cum his enim consentit; cum illo nequaquam.

Fen. X. Tract. Primus Cap. Secundum.

Cap. II. D*Vplatur*, inquit, *anhelitus quandoque in complexione calida pulmonis*. At duplex hic spiritus, quem Hipp. Lib. 6. Epid. Sect. 3. Tex. 11. vocauit duplicem intro reuocationem, non fit ex intemperie calida; sed tantum, vt docet Gal. Lib. 6. Aph. 54. vel ex potentia fatigata; vel ex duritie instrumentorum, vel ex vtrisque concurrentibus. Duritiem autem inducunt convulsiones, vel affectus convulsioni similes, respirationis instrumenta obsidentes, quæ ab intemperie frigida earundem partium nonunquam originem trahunt. Quare, mirum est, quomodo hic dicat Auicenna, ex intemperie calida pulmonis aliquando duplari anhelitum.

Hanc eandem complexionem pulmonis calidam, inquit, consequi inflammationem, & tussim. Quod sequatur calidam intemperiem inflammatio, non est mirum; cum membra calidiora promptè, & facile inflammationes incurrant; sed quod consequatur tussis, nec ratio, nec experientia consentit: non enim ex intemperie calida ita concitantur tusses, prout ex frigida, vt alias scripsi, ex mente Galeni, nisi nunc Auic. intelligat forsan de tussi consequente inflammationem; verumeadem ratione, alia inflammationis consequentia signa erant apponenda. Vel intelligit, in huiusmodi complexione fieri tussim; quia cum calidi sit dilatare, ideo per calidum, hoc membrum fluxionibus suscipiendis magis aptum redditur, & ideo ex destillationibus facilius tussim incurrit; sed caliditas vbi non sit intemperata, non facile facit ad dilatationem, immo potius ad robur partium. Præterea, facilius tussim incurrunt, qui vias angustas habent, quam qui latas. Insuper, hic affectus dependet ex alio membro, non ex intemperie propria, vt propriè magis accidit in intemperie frigida.

Ad siccam intemperiem pulmonis, *succedit*, inquit, *aliquando dispnœa*, *propter uehementiam spissitudinis*. Si per *spissitudinem*, intelligit meatuum angustiam, falsa est hæc sententia in intemperie naturali; quoniam angustia, aut latitudo membrorum non pendet ex intemperie humida, vel sicca, sed tantum ex calida; vnde videmus, ex calido, & sicco corde, arterias amplas; sicuti venarum latitudinem, ex calido, & sicco hepate oriri nouimus. Si autem per *spissitudinem* intelligit densum spiritum, neç hic habet causam intempe-

temperiem ſiccam, ſed alias; vt apparet ex Gal. Lib. 1. de Difficultate Reſpirationis.

Si non ſpuit, inquit, *niſi cum tuſsi, plurima hæc materia eſt profunda, & longinqua*. Sed tuſſis plurima non ſolum fit ex longinquitate loci; verum etiam vel ob craſſitiem, & viſciditatem materiei, non cedentis; vel ob ſubtilitatem eiuſdem à ſpiritu diſruptæ.

Cap. III. Exemplo demonſtrans, quomodo pulmonis ægritudines perducant ægrotantes aliquando ad hepatis ægritudines, inquit. *Sicut perducunt uehementia frigiditatis eius, & uehementia caliditatis eius ad hydropiſin*. Quomodo frigida pulmonis intemperies deducat aliquando patientes ad hydropiſin, facile eſt intelligere; cum ſæpe viderimus, aſthmati ſucceſſiſſe hydropiſin, cum intemperies frigida communicata hepati, poſſit eius vires labefactare. At quando pulmo immodice calefactus poſſit hepar refrigerare, ipſumque ad hydropen perducere, difficile eſt imaginari, fieri per ſe, licet per accidens hoc conſequi poſſit, ratione refrigerantium aſſumptorum, ad contemperandum pulmonis calorem intenſum.

Cap. IV. Tradens vniuerſalem modum curandi pulmonem, monet vomitu plurimum iuvari. Sed nec in his eſt communicatio vaſorum; nec vomitus ad diuerſionem facit: nec in affectibus thoracis eſt facilis. Vnde omnes docent, in his caſibus, à vomitu abſtinendum eſſe. Quare hæc regula vniuerſalis non erit ſeruanda, niſi forſan redundante materia in ventriculi ſpatio, cuius, non pulmonis ratione, vomitus ideo excitari poteſt.

Cap. VI. Inter ea medicamenta, quæ faciunt ad expurgationem craſſiorum humorum ex pulmone, primum recenſet, quod recipit *opij aureum vnum*. At talia damnantur à Galeno Lib. 7. de Comp. Med. ſecundum Loca, ſub finem, vbi hæc habet. *Eodem modo etiam, quæ ualde refrigerant uitanda ſunt; omnia enim craßefaciunt, & cogunt, & coagmentant humores, eoſque ægre eluibiles reddunt: & ob eam rem, ſanè rectè fecerunt, qui eiuſmodi pharmaca compoſuerunt, quod neque papaueris ſuccum, neque mandragoræ, aut radicis corticem, aut hyoſcyami ſemen, aut cicutæ, aut pſyllij, aut ſemen lini admiſcuerunt*.

Materias aliquando ad exitum, ſternutatione iuvandas eſſe monet. Quod tamen in pulmonis morbis non eſt faciendum, potiſsimum vbi ſint grauiores; cum doceat Hipp. Lib. 2. Progn. Tex. 49. *ſternutamenta, per omnes morbos, qui in pulmone fatigent, præire, & ſubſequi, mala eſſe*. Licet enim hoc, ratione ſigni fiat, veruntamen, quia membrum affectum concutiunt, & dilaniant, mala ſunt. Eos vero humores, qui in arteria, ſine pulmonis morbo, contumaces hærent, & qui difficulter reijciuntur, facilius educunt ſternutationes, quam tuſſes; vt habet Gal. Lib. 2. de Sympt. Cauſ. Cap. 4.

Cap. VII. Inter membra anhelitus, enumerat venas iugulares, & arterias carotides; quæ tamen nequaquam huic operi inſeruiunt; immo his ligatis, & interceptis, diù poteſt animal currere, vt teſtatur Gal. Lib. de Vſu Pulſuum Cap. 2. Si autem poteſt currere; ergo non faciunt hæc vaſa ad anhelitum; quia curſus, ſine libero, & amplo ſpiritu non poteſt perfici. Atque Gal. Lib. 2. de Decret. Hipp. & Plat. Cap. 6. inquit. *Interceptis, uel ligatis, uel ſectis in medio partis inferioris, & ſuperioris, ligatarum, nil aliud patitur*

ani-

animal, quam quod omnes quæ sunt supra vulneratam, vel ligatam partem, arteriæ pulsu suo careant;non autem quod hinc animal in anhelitu quicquã patiatur.

Cap. XI. Monet, *anhelitum altum, & sublimem*, fieri tunc, *cum mouentur musculi superiores pectoris, & non peruenit necessitas ad mouendum Diaphragma, & inferiores thoracis musculos*. Si intelligit,quod nequaquam moueatur Diaphragma, nec etiam musculi inferiores vllo pacto, falsa est sententia; quoniam hæc semper ad respirationem concurrunt. Si autem intelligit, quod perfectè non moueantur, ob impedimentum aliquod, vnde necessarium sit, ad perficiendam respirationem, vt moueantur musculi superiores, veritatem obtinere potest.

Cap. XVII. Inquit, ex Hipp. *Spiritus frequens sequitur nocumentum, propter exiccationem pulmonis, & propter destructionem membrorum anhelitus*. At longe aliter Hipp. hoc expressit Lib. 1. Progn. 27. dicens; spiritum crebrum, aut dolorem, aut fatigationem, quæ supra præcordia fatiget, significare. Non igitur propter exiccationem; sed propter inflammationem hoc intelligatur. Sed forsan alludit ad sententiam Hipp. Lib. 1. Reg. Acut. 32. quo loco loquens de frequenti spiritu, dicebat. *Pulmonem exiccat, fatigatque, tum hypochondrium, tum ventrem ipsum, tum septum transuersum*. Quare, textus antiquus, *facit sequi nocumentum*, præferatur. Non tamen hæc regula est vniuersalis; cum solum hæc contingant ex errore in pleuritide, & similibus thoracis acutis affectibus.

Cap. XX. Illa verba. *Inuenitur raritas plus, deinde tarditas, postea magnitudo*, intelligantur ad mentem Gal. Lib. 1. de Differ. Resp. & Lib. 1. de Caus. Pulf. Cap. de Defect. calidi innati, videlicet, quod ex inopia caloris innati anhelitus primò fiat parvus, postea, eo magis decrescente, tardus, vltimo rarus; non autem quod tali casu, vt videtur textus significare, fit maior raritas, minor tarditas, & magnitudo. Vel, quod magis immutetur,& quidem prius anhelitus in raritatem, postea in tarditatem, vltimo in magnitudinem; atque adeo subiungit Auicenna, quod anhelitus paruus minus egreditur à naturali statu, quam tardus, & ambo minus, quam rarus; summa certè ratione; quoniam raritas in tali dispositione est vltima differentia superueniens, extremum exitium indicans.

Cap. XXIII. Inter plures constrictionis anhelitus causas, enumerat *apertionem apostematum ventris inferioris, cuius ratione non potest fieri dilatatio in respiratione*. Quæ sententia licet obscura, intelligatur ad mentem Galeni Lib. 6. Aph. 27. quo loco docens, quomodo ex sectione abdominis, in hydrope, aqua effluente lædantur patientes, duas eius rei causas assignans; alteram, his verbis expressit. *Sed, & durities visceris, & quæ non amplius sustentatur ab aquosa substantia, & septum transuersum trahit, & viscera, quæ sunt in thorace*. Hæc Galen. Ex quibus clare liquet, cur non possit dilatari thorax, vnde fiat constrictio anhelitus. Quod si per apertionem horum apostematum, non intelligit extrinsecus factam, sed intrinsecus, per quam sanies in cauitatem ventris effunditur, difficile est explicare, quomodo multum hinc lædatur anhelitus; cum materia hæc ad imum ventrem descendat.

Cap. XXIV. Exponens signa humorum hærentium, vel in arteria aspera, vel

vel in pulmone, vel in cauitate thoracis, inquit. *Vbi fuerint humores in spatio, & cauitate pectoris*, ideſt inter pulmonem, & membranam, pectus intus ambientem, tunc *iam permutatur ex latere ad latus cum alteratione iacendi*. Si intelligatur hæc ſententia, quod ſcil. permutetur materia, hoc caſu, de vno latere ad latus, falſa eſt; quoniam impoſſibilis eſt talis permutatio, ob membranas interſepientes. Quare, ſi ſententiæ Auic. ſtandum ſit, vel intelligatur, de latere ad latus, ideſt de loco ad locum; quoniam permutato ſitu, perſentitur commotio materiei contentæ, ac eius inundatio. At in eodem latere, cum nec à dextro ad ſiniſtrum latus; nec viciſſim permutari queat, vel talis permutatio intelligatur, non de materia contenta; ſed de tuſſi ab ea excitata, ita vt hic ſit ſenſus; quod tuſſis ab ea materia inducta permutetur de latere ad latus, cum alteratione iacendi; quoniam ex vario decubitu, magis, vel minus tuſſis proritatur: ſi enim æger decumbat ſuper partem affectam, minus affligitur, & minus tuſſit; ſi vero in partem oppoſitam, quia à materia intus deliteſcente comprimuntur partes illæ internæ, magis diuexatur, magiſque ad tuſſim ſollicitatur.

Cap. XXV. Quod diuerſitatis pulſuum cauſæ reſpondeant diuerſitati cauſarum anhelitus, non eſt vſquequaque verum; vt pluribus docet Gal. Lib. 1. de Difficult. Reſp. hanc materiam data opera declarans.

Cap. XXVI. Anhelitus *dupli* primam aſſignat cauſam, plurimum calorem. At ſciendum eſt, ſolam intemperiem calidam huiuſmodi pulſum efficere non poſſe; cum enim duplicatio ſpiritus, vt ex Gal. Lib. 6. Aph, 54. habetur, fiat tantum, vel ex virtutis imbecillitate; vel ex inſtrumentorum reniſu, ſiue hæc ſit durities, ſiue conuulſio, vel affectus conuulſioni ſimilis, ſiue refrigeratio, non poterit ex calore multo tantum hic fieri, cum interceptio ſpiritus ab illis cauſis, non ab intemperie ſola induci queat. Si autem Galen. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 8. alteram interceptæ reſpirationis cauſam adducit, caloris ſcil. copiam, cogentis laborantem continuò, vel exſpirare, vel inſpirare hoc intelligatur, reluctantibus inſtrumentis, vel facultate; vt intelligit Galen. Lib. 6. Aph. 54. quoniam his excluſis fit magna reſpiratio, non verò interciſa.

Cap. XXVIII. In compendium colligens diuerſas difficilis anhelitus cauſas, dum loquitur de Diaphragmatis intemperie frigida, inducta ex linimētis, & emplaſtris refrigerantibus, alludit ad ea, quæ dixit Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 8.

Inter cauſas difficilis anhelitus, enumerare medicinam ſolutiuam non ſoluentem, vel acutum clyſterem, non ſoluentem, eſt recenſere cauſas admodum remotas; quæ ſi omnes eſſent adducendæ, numerus earum maximus foret. Quod autem addit de phlebotomia, non conſequente finem in phrenitide, eſt omnino quid extra rem; quoniam huiuſmodi venæ ſectio, licet finem non conſequatur, cum tamen prius non fuerit cauſa difficilis anhelitus; nec deinceps eiuſdem euadet; ſed morbus ipſe, non ſanguinis miſſio. Niſi forſan opinetur, ex diminuta in hoc morbo, ſanguinis miſſione, maiorem peccantis materiæ ad locum affectum attractionem fieri; quod non ſine ratione dictum videtur, & animaduertendum ab his, qui euacuationes mor-

bo

bo proportionatas non audent tentare.

Cap. XXIX. Quod recta ceruice respirare aliquando contingat, in febribus, *propter vapores declinantes, & humiditates resolutas*, non ita facile est imaginari; & ideo subiungit, quod *in veritate*, talis dyspnœa fit, *propter humores implentes, & oppilantes*, & propter *apostemata*, aut propter paralysin musculorum thoracis, quibus resolutis, impeditur respiratio. Dum autem subiungit, *Cum ergo non descendunt ad partem pedum, imo descendunt ad partem dorsi, & pectoris, coarctatur*. Hoc intelligatur de situ ægrotantis, videlicet, quod si patientes non se inclinant ad partem anteriorem, sed ad partem posteriorem, coarctatur in eis anhelitus.

Cap. XXX. Loquens de anhelitu puerilis ætatis, inquit. *Pueri indigent eductione superfluitatum fumosarum*. In qua sententia hoc aduertatur, quod recte dixit, *fumosarum*, non fuliginosarum: fuliginosa enim excrementa contingunt tantum in morbis febrilibus, & quidem cum putredine; fumosa autem ex reliquijs cibi, à calore innato ad hanc tenuitatem redactis. Quantum verò differant excrementa fumosa à fuliginosis, ex hoc habeatur, quod fumus, licet sit cum aliqua adustione, habet tamen aliquam humiditatem; fuligo autem omni humiditate vacans, est vapor omnino terrestris, à rebus immodice assis, & semiustis eleuatus, vt docet Gal. Lib. 8. Meth. Cap. 5.

Cap. XXXII. *Balneati aqua frigida, innuit anhelitum esse paruum, & tardum, & rarum*. Sed hoc animaduertendum est, talem fieri respirationem, statim à balneo frigidæ aquæ; postea verò mutari anhelitum, prout frigida, vel torporem, vel robur induxerit; torporem enim sequitur, cum prædictis conditionibus; à robore autem fiunt maiores, velociores, & frequentiores anhelitus; aucto enim robore, calor innatus augetur. Hæc autem sunt Gal. Lib. 2. de Cauf. Pul. Cap. de Pulsuum mutatione ex frigidis balneis. quæ omnia ad anhelitum transferri possunt.

Cap. XXXVIII. Quod primo animaduertendum in isto Cap. hoc est, quod Gal. tantum duas asthmatis causas assignat. Alteram humores, arterias asperas pulmonis obsidentes, qui viscidi, crassi, & lenti sint. Alteram tuberculum. Auic. autem longe plures quàm Gal. enumerat; (circa quas videndum erit an veræ sint causæ) prætermittens tamen manifestissimam causam, tum ab Hipp. tum à Gal. propositam, videlicet, tubercula ipsa; de quibus in pulmone genitis, ad perfectam asthmatis cognitionem, hoc sciendum est, quod eorum duplex est differentia. Alia enim sunt dura, & magna, quæ statim difficilem faciunt respirationem, quæ diu incocta manent, antequam ad suppurationem deueniant; ideoque patientem non perimunt. Alia autem non dura exquisite sunt; sed aliquid humoris ad asperam arteriam ex se remittunt; & talia efficiunt hominem tussiculosum. Hæc verò cum tussi suborta properant ad suppurationem, vnde patientem occidunt; ac proinde exitialia sunt, vt docet Gal. Lib. 6. Aph. 45. Quæ sententia est animaduertenda; quoniam non omnia tubercula habent eadem indicia (vt videntur docere communiter practicantes) nec requirunt eandem curationem. Atque hinc possumus scire, an necessariò inducant febrem, vt dixit Aetius; an verò non, vt alij censuerunt. Nam citò suppurantia poterunt

febrem

febrem inducere, non autem cruda; atque illa eiunt lethalia; hæc verò nequaquam.

Auicenna proponens differentias Asthmatis à loco, dicens, quod materia causans asthma, quandoque est in *pulmonis arterijs, & ramis earum*; quandoque verò *in canna*; quandoque *in raritate pulmonis, & locis vacuis*, conuenit cum Galeno, in primis duabus differentijs, qui vbique testatus est, asthma fieri, occlusis, & præpeditis asperis arterijs; sed tamen dissentit in tertia; nam si per *vacuitatem pulmonis*, intelligit propriam pulmonis substantiam;& per *loca vacua*, intelligit porositates, patet tunc fieri apostema in pulmone, ex quo sequitur difficultas anhelitus, non asthma. Si autem per hæc, intelligit arterias læues, manifestè contradicit Galeno, qui Lib. 4. de Locis Affect. sub finem, in casu Antipatri, docuit, ex obstructione arteriarum læuium pulmonis nequaquam succedere difficultatem anhelitus.

Tradens modum generationis asthmatis, ex materia crassa, & viscida, inquit. *Quandoque hæ humiditates transmittuntur à cerebro; quandoque expelluntur ad thoracem ex alijs locis, & membris; quandoque generantur in ipso, ex frigiditate ipsius pulmonis; cuius signum*, inquit, est, *quod incipit paulatim*. Asthma enim, quod fit ex frigiditate pulmonis, non fit subito, nec habet accessiones, prout asthmata, quæ fiunt vel per destillationem, vel per defluxionem. Hunc autem tertium generationis asthmatis modum transcripsit Auic. ex Galeno Com. Vltimi Aph. 3. vbi hæc habet. *Asthmata vero, hoc est crebri anhelitus, ex ijs destillationibus ortum habent, cum alioquin, & ipsa respirandi instrumenta non rarò habeant proprium sui algoris principium, quando in ipsis multæ, ac crassæ superfluitates generantur*. Quæ sententia, tum Galeni, tum Auic. optime est animaduertenda, vt constet certò tres modos generationis asthmatis dari; nempe, vel per destillationem a cerebro; vel per defluxionem ab alijs membris; vel per generationem in proprio loco.

Addit Auicenna, fieri quandoque asthma ab humore non existente in pulmone, sed in ventriculo, siue in eo generato, siue à cerebro, vel ab hepate ad eundem transmisso. Quæ sententia nequaquam admittenda; quoniam hæc materia potest quidem efficere aliquam respirationis difficultatem; sed non potest producere asthma, non interceptis pulmonis arterijs. Quare, poterit frequentiorem quidem, quam naturaliter se habeat, spiritum reddere;non tamen frequentem, vt eius qui cucurrit, reddere. Vnde Galenus hoc explicans, simplici sermone, crebritatem anhelitus, non asthma nuncupans, dicebat Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. *Etenim cum aliquis se impleuerit, ventriculus intumescens, plane videtur; septum transuersum comprimere atque ob hanc rem spiratio redditur crebrior, sed nullo insuper alio accidente infestatur animans*; Quod de ventriculo dictum est, idem affirmetur de hepate; quoniam hoc affecto, non potest fieri per consensum asthma; sed solum hepate pessimè affecto, vt habet Lib. 6. Aph. 16. potest superuenire tussis, & difficultas anhelitus, adductis in consensum instrumentis respirationi inseruientibus. At longe differt asthma, & difficilis anhelitus; quoniam non omnis difficilis anhelitus est asthma.

Humores asthma producentes, *quandoque*, inquit, *nocent sua qualitate*, *quando-*

quandoque nocent sua quantitate. Quæ sententia si alternatim, vt prostat, legatur, non est omninò suscipienda; materia enim crassa, & viscida, si pauca sit, & multa, si tenuis, non autem crassa, & viscida, haudquaquam apta est inducere asthma, quamuis aliquam respirationis difficilis speciem inferre queat; cuius ratione, obseruamus Gal.& omnes antiquiores Medicos, in pharmacis asthmaticis, hunc scopũ præoculis in primis habere; vt materiã peccantem attenuent, & incidant, eamque è corpore, & thorace educant, spectantes materiam asthma producentem, tanquam crassam, viscidam, & copiosam. Quare, non legatur hæc sententia alternatim, sed comparatiuè, videlicet, quod materia causa asthmatis, quæ crassa, viscida, & copiosa est, quandoque magis nocet sua qualitate, quandoque magis quantitate.

Quod asthma fiat quandoque ex siccitate pulmonis, licet non ad mentem Galeni, qui de hac nusquam locutus est, alias notaui, dixique, verum hoc esse, experientiæ fide.

Cum inquit, quod ex frigiditate pulmonis quandoque fiat asthma, si intelligit, quod ex pura intemperie frigida, pulmonem ipsum coarctante, & constringente fiat, haudquaquam veritati consonum; cum tanta frigiditas, vigente vita, induci nequeat. Si autem intelligit sensu iam dicto, ex mente Galeni Lib. 3. Aph. Vltimo, quod ex frigida pulmonis intemperie generantur in eo excrementa crassa, & viscida, quæ sensim aucta, postea sint causa asthmatis, vera, & admittenda fuerit eius sententia. Nec est quod hic adducatur Galeni sententia Lib. 3. Aph. 22. vbi alternatim loquens, ait, asthma fieri autumno, tum propter motum humorum ad partes interiores; tum propter frigiditatem; quoniam hic loquitur Galenus, non de pulmonis, sed de aeris autumnalis frigiditate.

Nocumenta neruorum poterunt quidem respirationem difficilem reddere; sed citra asthma; quoniam respiratio fiet pro ratione virtutis; cum non sint obstructa vasa pulmonis, spiritus instrumenta.

Quod autem dicit de membris vicinis inducentibus asthma, per communitatem, accommodetur ijs, quæ dicta sunt superius de ventriculo, & hepate.

Nisi vidissem locum Galeni, Lib. 2. Prorrh. Tex. 40. scribentis, asthmaticam spirandi difficultatem acutam fieri posse à flatu; neque hoc experientia mihi comprobasset, cum curauerim non solum respirationis difficultates asthmaticas; sed etiam suffocantes à flatu, suspectam certè haberem causam hanc asthmatis ab Auic. assignatam, videlicet vaporem fumosum, & flatum conclusum in membris anhelitus; cum nequaquam à Galeno ex composito de asthmate loquente, huiusce vlla facta sit mentio. Attamen, & locus ille Galeni, & experientia mihi fidem fecerunt, asthmatis etiam posse esse causam flatum, & ventum in membris anhelitus conclusum. Nisi forsan quis dicat, hoc quidem symptoma coniunctam habere asthmaticam respirationem; non tamen esse asthma; cum non pendeat à materia obstruente, quod proprium asthmatis, ex Galeno.

Quod ex paruitate thoracis fiat asthma, desumpsit Auicenna ab Hipp.

Lib. 3. de Artic. Tex. 7. & Lib. 6. Aph. 46. loquente de his, quibus ob tubercula cruda, & incocta, incuruatur spina; & ideo moneo affectum hunc esse præter naturalem, non à natura. Si autem, inquit Auic. & *illud nocumentum naturale in anhelitu, sicuti accidit in cibo, ex paruitate stomachi* dico non eandem rationem militare; quoniam thorax dilatatur à natura, vi caloris innati, secundum proportionem eius, ita vt calor tantam faciat dilatationem, quanta ei sufficit ad euentilationem; quod non contingit in ventriculo. Præterea, contenta in thorace, sunt à natura, & à principio intrinseco; quæ autem continentur in ventriculo, sunt per accidens, & à principio extrinseco; & ideo potest magis repleri, quam ei conueniat; at thorax non potest naturaliter maiorem habere intra se calorem, quam ei proportione respondeat. Quare statuo, ad mentem Hipp. & Gal. cum ex paruitate thoracis fiat asthma, hoc fieri præter naturam.

Vt autem in compendium complectar, ad faciliorem doctrinam, omnes veras asthmatis causas, aduertatur, has quinque esse iam enarratas. Primò scilicet tubercula. Secundò materias crassas, & viscidas, arterias asperas pulmonis obsidentes. Tertiò, siccitatem ipsius pulmonis. Quartò, flatus, & ventum conclusum in membris anhelitus. Quintò paruitatem thoracis præter naturam. Tot autem sunt veræ causæ asthmatis, quæ tum ab experientia; tum ex sententia dictorum Medicorum confirmantur.

Cap. XXXIX. Inter signa asthmatis, dependentis à materia crassa, & viscida, obstruente arterias pulmonis, assignat *pulsum tremulosum*. Sed quis sit hic tremulosus pulsus, debebat ipse Auicen. declarare, non ita rem mancam relinquere. Sed pro cognitione pulsus asthmatis, recurramus ad Galenum Lib. 4. de Cauf. Pul. Cap. de Pulsu Orthopnææ. Explicans asthmatis signa, explicat etiam ea, quæ sunt signa quidem difficilis respirationis; non tamen asthmatis; sicut, cum proponit signa difficilis respirationis, per consensum, & per suppurationem; ex his enim non fit asthma. Cum autem inquit. *Si materia, asthma causans fuerit extra spatium thoracis, non erit tussis*. Verum, ex parte, non absolutè hoc dicit; quoniam hepate vehementer patiente, tussis, & anhelitus difficilis superuenit, consentientibus partibus respirationi destinatis, vt docet Gal. Lib. 6. Aph. 16.

Cap. XXXX. Prætermissa curatione asthmatis ex tuberculo, descendit Auic. ad curandas omnes asthmatis species ab eo propositas; & deueniens ad primam, dependentem à materia viscida, & crassa, obsidente arterias pulmonis, inquit. *Sint in huius curatione Medicinæ subtiliatiuæ, maturatiuæ absque calefactione vehementi*. At Gal. Lib. 7. de Comp. Med. secundum Loca, longe melius dixit, hoc genus asthmatis curari per medicamenta attenuantia, & detergentia, sine insigni caliditate; nam crassities indicat attenuationem, visciditas detersionem.

Ad mentem Gal. Loc. cit. prohibens admisceri stupefacientia medicamentis asthmatis, facit exceptionem, scilicet, quod. *Si catarrhus multiplicetur, ad eius prohibitionem possunt commisceri*. In qua re sint admodum oculati Medici; cum enim in asthmate, stupefacientia, & opiata medicamenta semper sint noxia, quoniam materiam incrassantia, eam ad excretionem

rebellem reddunt, vnde maior imminet suffocatio; ideo nunquam ad hæc, vrgente asthmate, licet catarrhus sit causa asthmatis, & ipsum foueat, est descendendum; tum quoniam alijs præsidijs possumus hanc fluxionem intercipere; tum qua causæ intenti, morbum ipsum augeremus, & lethalem redderemus; si tamen asthma non vrgeret, sed leuis fuerit, catarrhi autem fluxio foret copiosa, vt maius ex catarrho, quàm asthmate imminerct periculum, tunc aliqua stupefacientia, leuiora tamen tuto exhiberi possent.

An helleborus conueniat in asthmate, alias scripsi, cum agerem de vsu hellebori; quo loco demonstraui, eius vsum in hoc morbo non esse tutum, nec admittendum.

Decoctionem ficuum, calamenti, & rutæ, ac similium rerum, cum melle, monet exhibendam *ante cibum, longo tempore, & post ipsum reiterandam esse*. Sed si intelligit, quod à cibo sit assumenda hæc decoctio, quæ est ex genere mulsæ, non consentit Hipp. qui Lib. 3. Reg. Acut. damnat mulsam, post sorbitiones. Quare, exhibeatur quidem etiam post cibum, verum longe ab eo; non autem immediate; prout malus est horum vsus apud communiter Medicinam facientes, qui medicamenta pectoralia indiscriminatim, nulloque ordine, omni denique hora administrant.

In potu, inquit, *habeant vina odorifera antiqua, & subtilia, paruæ quantitatis*. At Galenus loco citato, inquit, in asthmate, pendente à crassis, & viscidis humoribus, potum debere esse copiosum. At hoc notatur sine ratione; quoniam hoc casu, indigemus multa humectatione.

Dubitant nonnulli, qua facultate bolus armena sit apta sistere catarrhū, videlicet an per adstrictionem; an verò per siccationem. Sed cum sit genus terræ, cui potest esse dubium, quod valde exiccet; & cum gustu nullam præseferat adstrictionem, patet quòd non astringat. Si autem videatur, quod ore sumpta, adstringat partes oris interiores, hoc fit, quoniam exiccando humiditates oris superficiales, videtur eas adstringere; quod tamen nequaquam est verum; immo si adstringeret, nec in asthmate conueniret, iuxta Gal. documenta Lib. 7. de Comp. Med. secundum Loca, quo loco, adstringentia vitanda esse in asthmaticis docet, cum maxime sint huic affectioni contraria. Arsenicum verò, quòd, & per os exhibitum, & per suffitum laudat, depromsit ab Auctore Lib. 3. de Med. facile parabilibus, nequaquam in vsum ducendum: cum enim sit medicamentum corrosivum, & praua qualitate præditum, quomodo tuto poterit administrari? Saltem per os suffitum etiam non ita tutum fuerit, propter venenatam qualitatem quam habet. Et licet ab Aetio, & Lib. de Med. facile Parab. auripigmentum ad hæc assumatur; tamen semper mihi hæc suspecta sunt; vnde suadeo hæc omittenda omnino esse, nec, in delectu copiosissimo vtilium medicamentorum hæc recensenda esse.

Superius notaui, Asthma, non solum ex Auic. sed etiam Galeni sententia (hoc comprobante experientia) fieri à flatu coarctato in membris anhelitus, eaque angustante. Sed quod possit fieri, vt hoc loco dicit Auicen. *à vaporibus fumosis dominantibus in corde, & ab humoribus existentibus in lateribus*

arterijs

partes. Et quoniam lingua loco cedit, nec terminatur à circundante circunferentia; ideò propter hanc violentiam exeritur.

Cap. XXII. Ad discussionem pustularum oris, recensens medicamenta calida, tandem ascendit ad pyrethrum; quod cum sit causticæ facultatis, vt experientia, & Gal. docent, huic non conuenit, nisi permistum, & refractum valde ab alijs medicamentis. *Si pustulæ fuerint vlceratæ, quandoque necessarium est arsenicum*, inquit Auicen. Sed in hac sententia hæc notanda sunt. Primo, quod per arsenicum, non intelligit arsenicum nostrum commune, quod est sublimatum, & crystallinum vocatur; sed Sandaracam Græcorum, quæ ad hoc laudata est à Dioscorid. Lib. 5. Cap. 8. à quo transcripsit Auicen. proprium caput de Arsenico. Secundo notandum est, quod ad hunc vsum, non assumatur arsenicum solum; quoniam ita ex propria venenata natura posset multa afferre incommoda; sed adhibeatur ea forma, qua eo vti docet Dioscorid. scilicet mistum cum oleo rosaceo; cuius exemplo, Græci etiam ad aphtas vtuntur chalcitide, cum oleo mista; in hoc autem, oleũ intincta penna, vel aliquod aliud simile tangãtur pustulę vlceratę, & ita facile sanabuntur. Tertio obseruandum, quod vsus talis medicamenti non est opportunus in omnibus vlceratis pustulis; sed tantum in his, quæ ad prauam, & malignam naturam declinant; benigniores enim à leuioribus medicamentis facile superantur.

Cap. XXIII. Differentias aphtharum docens, inquit. *Si Alcola fuerit nigrum, melancholicum est*. Per melancholicum, intelligas dependens ab atra bile, non à succo melancholico puro, ad mentem Galeni Lib. 6. de Comp. Med. secundum Loca, ex quo hæc Auicen. transcripsit. Habet enim Galen. hæc verba. *Quemadmodum aliquæ ex inueteratis, humoris atræ bilis malignitatem acquirunt*. Et paulo inferius dicebat. *Liuescentes, & nigrescentes atræ bilis succum ostendunt*.

Et oportet, inquit, *vt alienet olea omnia, usque ad oleum de oliuis*. Hoc intelligatur de oleo simplici: mista enim, & recte composita ad hunc vsum opportuna sunt, quale est illud Galen. quod ex Archigene transcripsit, ex oleo, & chalcitide: hoc enim optimum est medicamentum, & facile superat aphthas, etiam prauas.

Mel, cum gallis laudat ad aphthas puerorum. At Gallæ sunt in secundo medicamentorum genere, immo & tertio, & sunt ex validioribus. Quare, ad Galeni mentem, non conuenient in pueris. *Si autem cum aceto, & sale coquantur, faciunt*, inquit, *ad alcola puerorum*, At pueri tale medicamenti genus, licet opportunum, non admittent. Quare ad alia suauiora, apta tamen deueniendum erit.

Cap. XXV. Agit de multitudine sputi, prouenientis, non ratione destillationis à cerebro; sed ratione exudationis à ventriculo; & ideo tradit causas omnes ex læsione ventriculi pendentes. Circa quas hoc addatur, quod caliditas, & humiditas propria ventriculi, sputi copiam non inducunt ex se; calor enim, qui liquare debet humiditatem, non potest esse ventriculi, sed partium potius circunstantium; cuius ratione fit, vt in Melancholia

non enim ab humiditate, sed ab affectu musculorum trementium fiet tremor vocis; vt docet Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 7. quo loco, loquens de musculis claudentibus, & aperientibus guttur, ait. *Vbi vero, vel difficulter mouentur, vel palpitant, aut tremunt, pro affectionis ipsius modo, vox ipsa laedetur.*

Cum inquit, quod, *varices, cum apparent, sunt multoties ex causis rectificantibus vocem.* Protulit sententiam indistinctam, & forsan sine ratione; quoniam varices sunt à succo melancholico; vocis autem laesiones rarissimè à tali succo contingunt; immo, si contingerent, esset maligna causa, & forsan impossibilis curationis; cum tales affectiones, in partibus internis, vix admittant curationem. Si tamen per varices aliquando talis dispositio foret iudicanda, debuit Auic. declarare locum huic abscessu; opportunum, & vtile: non enim omnis materiae transpositio, nec ad omnem locum, est vtilis; sed tantum, cum fit ex directo loci affecti, vel per communionem membrorum. Quare, cum thoraci nulla cum membris exterioribus sit affinitas, & communicatio, prout cum genitalibus membris, vt habet Hipp. Lib. 2. Epid. Sect. 1. Tex. 11. & Lib. 4. Epid. Tex. Vlt. & Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 3. Com. 4. si varices, hoc casu, prodesse poterunt, suborientur ad Scrotum; vnde hernia varicosa in impedimento vocis superueniens, poterit esse salutaris; non autem pari fructu in alijs locis.

Cap. II. *Cura abscissionis vocis*, à principio, quam adducit Auic. est curatio sine indicatione, & sine methodo proposita, ab antiquiori aliquo Arabe exscripta.

Cap. III. Ad raucedinem vocis, ex *multitudine vociferationis*, statim format *medicamentum ex caricis, menta, & aloe*. Sed quantum conueniat hoc medicamentum, & qua via procedendum in curatione ista, recurrendum est ad Gal. Lib. 7. de Comp. Med. secundum Loca, in principio.

Cap. IV. Inter medicinas frigidas, recenset succum liquiritiae; qui tamen, vt habet Gal. Lib. 6. de Simpl. Med. Fac. est moderatae caliditatis.

Cap. V. Conatur docere modum curandi raucedinem *ex incisione vuae*. Sed sciendum est, talem raucedinem, in his, quibus contingit, insanabilem esse dixi; quoniam in aliquibus vidi, corrosa omnino columella, nullam subsequutam fuisse vocis iacturam; quod experimentum non consentit dictis à Galeno de Vsu huius partis, qui voluit hanc instrumentum vocis esse.

Cap. IX. *Vocis tenebrosae* docet *causam esse humiditatem valde grossam*. Quare, in eius curatione, datur indicatio exiccandi; attamen laudat *ingressum in balneum*, quod valde humectare potest. Quare, vel per balneum, hic intelligamus aerem balnei, quod discutere valde potest; non autem solium ipsum; vel perperam hoc documentum traditum fuisse dicamus.

Cap. X. Tradit modum curandi *vocem tremulam, cum quiete magna, aggrauando thoracem*, & alia faciendo, prout in Textu. Sed haec cura nulla indicatione nititur; cum causa tremoris, in tremula voce, sit remouenda. Tremoris autem causa est affectio in musculis aperientibus, & claudentibus guttur; vt habet Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 7. Quare huic incumbendum, & recta methodo agendum erit.

Fen Decima Tract. III. Cap. I.

Cap. I. INter causas coniunctas tussis, enumerat *intemperiem calidam*. Quæ sententia non consona Galeno, qui solam docuit intemperiem frigidam excitare tussim, quantum veritati,& experientiæ respondeat,alias scripsi. Hoc tamen nunc moneo, omnes has tussis causas, ad quatuor hæc capita reducendas esse, scilicet, vel ad intemperiem frigidam; vel exasperationem arteriæ; vel materiam in vijs spiritus hærentem, quæ aut ibi genita sit, aut aliunde fuerit transmissa; vel communicationem, & consensum partium spiritalium, cum alijs valde oblæsis.

Cap. II. Dum tradit tussis signa, ex caliditate, si intelligit, per caliditatem, causam primitiuam, vel intemperiem membrorum ad thoracem mandantium, veritati consentanea est sententia; sin minus, nequaquam; quoniam ex pura intemperie calida spiritalium partium non generantur tusses.

Si retineatur sputum, vt febriat patiens, tunc, inquit Auic. *putrefit materia, cuius merito sequitur febris, vel putrida, vel hectica*. At si legatur textus alternatim, ita vt, vel hæc, vel illa febris sequatur,sententia non est rationi consona; quoniam hectica non succedit, nisi post putridam, vbi materia intra thoracem putrescens iusto tempore, vt ex patet Lib. 5. Aph. 15. fuerit expurgata; nisi per hecticam, intelligat febrem, vnam, & eandem formam semper seruantem.

Cap. III. Inter medicamenta conuenientia curationi tussis ex intemperie frigida, enumerat *aquam granati dulcis*. De qua dubium an conueniat; cum sit frigidæ facultatis, & adstringentis simul.

Curans tussim à materia subtili, vtitur Diacodio simplici, ab eo superius descripto, & electuar. de papauere, & similibus. At sciendum, materiam subtilem duplicem esse posse. Alteram calidam; alteram frigidam. In calida, ea oportuna sunt; in frigida autem,nequaquam;quoniam ad incrassandam materiam subtilem frigidam, non ita subito ad stupefacientia est descendendum; cum hæc plurimum refrigerent; sed calidis incrassantibus vti debemus, vt thure, mastiche, styrace, & similibus; & necessitate magis vrgente,cum ad stupefacientia, & opiata fuerit deueniendum, sint magis hæc temperata,quàm priora,& plurimam calidorum medicamentorum habeant mistionem.

Quemadmodum Auic. ex Gal. transcribens Cap. 1. dixerat, per tussim aliquando expui corpuscula grandini similia; cuius etiam affectus meminit Auctor de morbis Lib. 2. affirmauerat, testimonio Alexandri, & Pauli, aliquando lapides veros è pulmone excreari; ita debebat huius tussis curationem tradere, ac docere, quomodo huiusmodi, vel grandinum, vel lapidum generatio prohibeatur; & potissimum, cum in hac curatione viderit Alex. contrarium Galeno; quam contradictionem sicuti Paulus dissimulauit, ita & Auic. qui omnia distinctissime se profitetur enumerare, & docere, satis negligenter omisit; cuius rei occasione, cum hoc sit maximi momenti, quid in hac controuersia Alex. contra Galenum deduxerit, exponens, dicam,

cam, quid pro Galeno sit respondendum, & quæ vtriusque sit magis accommodata curatio. Alex. itaque in cura sui calculosi, cum esset corpus calidum, & siccum, tabi admodum oportunum, vsus est, tum ad renutriendum corpus; tum ad sedandam tussim, victus ratione humectante, & mediocriter refrigerante, ex quo, casu accidit, vt faciliori reddito sputo, & lenito pulmone, ac thorace, excreauerit calculum illum, ex quo, & à tussi liberatus, & à phtisi præseruatus est. Ad huius similitudinem, Alex. arguens, ex euentu subsequuto, in huiusmodi calculosis conuenire medicamenta humectantia, & refrigerantia; accedente etiam pro se hac valida ratione, quod ad generationem lapidis, concurrente calidiori pulmonum intemperie, calidis prætermissis, frigidis potius vti debeamus. Quibus sic stantibus, ausus est reprehendere balneum, quòd calidam curandi rationem adhibuerit, Mithridatium, Athanasiam, Theriacam, & Asthmatica medicamenta administrans; & ideo subiungit, *non sine ratione perierunt omnes curati à Galeno, tanquam illegitima curatione vsi*. Sed in hac Alex. cum Galeno perquam difficili controuersia, sciendum est, Alexandri curationem fuisse fortuitam; cum non lapidem, vel calculosum affectum curaret; sed tabis præseruationem tentaret; quæ curatio per humectantia, & mediocriter refrigerantia adhibita, licet potuerit, ratione humectationis, conferre ad faciliorem calculi excreationem; ratione autem mediocris refrigerationis, quodammodo facere ad prohibitionem generationis lapidis; tamen euentus demonstrauit, humectationem profuisse; non refrigerationem; quoniam lapis genitus facilius educi quidem potuit, humectatis partibus spiritalibus; sed quoniam, vt casu vnicus calculus in hoc patiente, propter humectantia adhibita, excretus, genitus erat; ita simili euentu, cum nullus superesset intrò, calculus, refrigerantia administrata nihil pro eius curatione potuerunt prodesse, vt hinc magis appareat, cum refrigerantia non sint apta, nec corpora grandinosa, nec lapidosa dissoluere, ideo non faciunt ad curationem; sicut nec omninò possunt facere ad præseruationem, cum calculi materia sit succus crassus, & viscidus, aptus in lapidem à calore conuerti; & ideo, licet refrigerantia adhibeantur, non tamen omnis causa calculi remouetur, vel etiã refrigerantium vsu; tum quoniam ad lapidis generationem (vt Lib. 6. Epid. Sec. 3. Com. 15. & Lib. de Renum Medic. habetur) sufficit mediocris calor; tum quoniam indicatur à materia, vt attenuetur, incidatur, & abstergatur; quæ à medicamentis refrigerantibus præstari non possunt. Quare, ratio curandi, ab Alex. tradita, potuit quidem excreationem calculi promouere; non tamen omnino eius generationem prohibere. Quod si seruatus est æger ille, sub eius curatione, hoc accidit, quoniam nihil aliud pulmones passi erant, præter calculi generationem; qui casus non est ex se lethalis, vt experientia docuit in pluribus; & vt præcipue testatur Ioannes Fernelius de quodam, qui sæpius, plures excernens calculos, bona valetudine, præter anhelitus quandam difficultatem, & grauitatem in thorace fruebatur. Gal. autem ab hac Alex. diuersa est curatio; quoniam aliam, & magis probandam habuit indicationem; qui animaduertens, corpora illa grandinosa ortum habere ex materia crassa, viscida, ac tenaci, hanc desumsit indicationem;

nem, vt materia hæc attenuaretur, incideretur, & abstergeretur, simulque educeretur. Quoniam autem omnia hæc per asthmatica medicamenta præstari poterant; ideo ad corporum istorum grandinosorum generationem prohibendam, huiusmodi medicamenta administrauit; nec sine ratione; hæc enim materia vbi sit attenuata, & abstersa, non amplius in corpus durum concrescere poterit, quinimò facilius ex pulmone educi. Quapropter, iure inquit Gal. accidisse, vt ex his patiens ille minorem expuerit grandinem, atque longiori, quàm antea interuallo, neque copiosam. Vnde patet, Galeni curationem admodum profuisse; si autem tandem hic perierit, non certe id ratione grandinosorum corporum, sed ob debilitatos, & in putredinem facessentes pulmones perijsse dicendum est; hic enim putulenta expuit, iuxta cum grandinosis illis corporibus, vt in principio narrationis dixit Galenus; quæ verba si notasset Alex. nunquam eum ausus esset reprehendere, nouam docens curandi rationem; quoniam, præsente putredine, humectantia suspecta sunt, quæ potius per exiccantia curari debet. Et quoniam refrigerantia inepta sunt materiei indispositionem tollere, in qua licet non conueniant calidiora, quoniam nimis condensarent eam; conueniunt tamen ea, quæ citra calefactionem possunt materiam ad exitum parare; qualia sunt asthmatica, vt docet Galenus Lib. 7. de Comp. Med. secundum Loca. De vsu autem Mithridatij, Athanasiæ, & Theriacæ, aliorumque calidiorum, in quo Alex. falsò Galenum arguit, nihil etiam dicendum est; cum Gal. nequaquam vsus sit his medicamentis in eo, qui corpora grandinosa excreabat; sed ad prohibendam putredinem, in illis, qui sputa illa putrida, & flaua excreabant. Quare Galeni curatio in omnibus curationi Alex. præferenda, vtpote qui non solum falsa Galeno imputauit; sed qui etiam parum aptam in hoc casu curationem, à fortuito euentu argumentum desumens, docuit.

Cap. IV. Distinguens sanguinis excreationes à loco patiente, & à modo eductionis, inquit, quod cum *egreditur cum vehementi rascatione, est ex canna*. At Gal. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 6. docet quidem, ex gurgulione educi sanguinem per screatum; sed ex spiritalibus locis nunquam sine tussi educi posse. Quare, sanguis ex aspera arteria erumpens, non cum *rascatione*, sed cum tussi reijcitur. Quod idem haberi potest ex Lib. 3. Meth. Cap. 12. quo loco Galenus, ad indaganda asperæ arteriæ vlcera, signum proprium habet tussim; quoniam ex ea non potest pus absque tussi educi. Quare, cum simplici *rascatione* reijcitur sanguis sine tussi, non erit signum sanguinis erumpentis ex canna, sed ex gurgulione tantum.

Inter causas propinquas, ex primitiuis, sanguinis sputum facientes, enumerat *dormitionem non super stratum*. Sed quæ potest esse causa, vt qui non in lecto decumbat, sputum sanguinis patiatur, num compressio thoracis facta à re dura cui incumbitur. Certè res duræ thoracem comprimentes, si cum impetu irruant, possunt sputum sanguinis excitare; at quomodo decubitus simplex hoc posit facere, difficile est declarare.

Inter causas procatarticas eruptionis sanguinis, recenset timorem, & angustiam, his verbis. *Aut timore, & angustia acuente sanguinem*. Quibus verbis

ram nutrimenti ossis accedit; hic autem dentibus adhærens, ob similitudinem cum natura dentis, ibi concrescit, lapidescens; cuius curatio erit, ante generationem, per abstersionem; post generationem verò, per remotionem, Scalpro.

Cap. XV. Ad dealbandos dentes, assumit puluerem *lapidis adamantis*. Quod notare volui, propter eos, qui opinantur, talem puluerem venenum admodum lethale esse; cum tamen hoc sit falsissimum; alioquin Auicenna in grauissimum lapsus fuisset errorem, ad dealbandos dentes, in maxima aliorum medicamentorum vbertate, rem adeo suspectam, & perniciosam vsurpans.

Cap. XVII. Docens Auicenna, quando dentes non debeant eradicari, præcipuè monet, hoc agendum non esse, vbi dolor sit in neruo; inquit enim. *Hinc dolor non destruitur, sed redit*. In quo hoc animaduerto, quod sanè à loco dolente, cum hic non sit dens, sed neruus, non indicatur primo eradicatio dentis; sed quoniam aliquando dolor est adeo rebellis, vt non cedat medicamentis, & adeo sævus, vt mirum in modum excrucier patientem, tunc enim censeo dari indicationem eradicandi dentem; quoniam cum prius ex compressione à dente facta maxime coarctaretur neruus, & cum præsentia dentis sit impedimento medicamentis, ne possint locum affectum attingere, prohibeatque difflationem materiei, excitantis dolorem, extracto dente, non amplius comprimetur neruus; & vt habet Gal. medicamenta per contactum loci affecti magis proderunt, faciliusque materia morbifica difflabitur.

Cap. XIX. Ad vermes dentium suffumigium opportunum docet. Sed si in dentibus generantur vermes, tutior, & rationi magis consentanea curatio erit, si amaris, vt puta decocto centaurij, colocynthidis, aloe, myrrha, & similibus enecentur.

Cap. XX. Causam *stridoris dentium in somno*, exscripsit à Galeno Lib. 1. Progn. Tex. 24. quo loco Galenus duas assignauit; alteram, debilitatem musculorum temporalium, ob quam facile patiuntur; alteram, causam morbificam, licet leuem, similem his, ex quibus maximè conuulsiones fieri solent. Primam assignauit Auicen. secundam tacuit, sine qua debilitas ipsa non est apta stridorem facere.

Cap. XXI. Summam curationis breuibus tradit Auicen. Medicus tamen in ea duas habeat indicationes, Primam, vt debilitas illa musculorum tollatur. Secundam, vt causa morbifica, quæcunque fuerit, amoueatur.

Cap. XXII. Chirurgica hæc operatio non adeo facilis est; tum quia imminet periculum denti; tum quia superuenit dolor aliquando sæuus, in operatione ipsa. Quare attendantur omnia quæ proposuit Gal. Lib. 5. de Comp. Med. secundum Loca, vbi docet modum huius operationis.

Cap. XXIII. Inter materias, stuporem dentium inducentes, enumerat acres; cum tamen Gal. solum cibos Lib. 1. de Sympt. Caus. Cap. 3. acidos, & austeros huius causam censeat; nec testetur experientia, ab acribus fieri stuporem dentium; vnde dubium est de corruptione textus.

Subiungebat, in aliquibus fieri aliquando stuporem dentium ex sola imagi-

totam hanc historiam ipse enarrauerit, & probauerit; non enim videtur in hoc casu, conuenire balneum, tres potissimum ob causas. Prima est, quia Lib. 3. Reg. Acut. Tex. & Com. 59. habemus, balneum his quibus sanguis è naribus fluit, nisi minus, quam deceat fluxerit, noxium esse; atque hoc non alia ratione, nisi quia balneum conciliat motum sanguini, ex quo eius fluxiones proritat. Secunda, quia habemus 5. Aphor. 16. calida facere profluuia sanguinis. Quod exponens Gal. in Com. dicebat. *Eodem modo, & calidi vsus immodicus excitat sanguinis profusiones in illis vtique corporis dispositionibus, quæ ad sanguinis profluuium dispositæ sunt*. Ex quo loco possumus elicere, balnea lædere posse in sanguinis profusionibus; quoniam si possunt has inducere, immodico vsu, poterunt quinetiam eas augere. Tertia, quia (quod potissimum) Galenus sub finem huius historiæ, concludens summam curationis huius, inter cætera ab eo enumerata, inquit; huius *curationem consistere in lauandi abstinentia*. Si autem curationis istius summa, præ cæteris, consistit in lauandi abstinentia; ergo videtur præter rationem fuisse à Galeno adhibitum balneum in nobili hac muliere. Sed nec etiam videtur iuxta curandi normam, in sequenti ægro, cui ob refrigerata respirationis organa, sanguinis reiectio facta fuit, ab eodem administratum; quem tamen, licet dixerit in superiori curatione, summam eius consistere præ cæteris, in lauandi abstinentia, tertia die in balneum duxit, & lauit. Hæc autem difficultas communis etiam, vt dixi, est Auicennæ, qui in hac historia dicebat. *Et præcepit eam ingredi balneum*. Et inferius, curationis summam exponens, ait. *Et inhibuit ei balneum*. Postea eiusdem Galeni curationem in omnibus comprobans, subiunxit. *Et hoc regimen est bonum*. At pro Galeno, sciendum est, maxima cum ratione ab eo balneum administratum fuisse, hac intentione, quod quum ille, ad sistendum catarrhum, adhibuisset Emplastrum ex columbino stercore, medicamentum admodum calefaciens, & siccans, ex quo non solum caput, sed & vniuersus corporis habitus vehementer incalescit; ideo, ad remittendum in vniuerso corpore accensum calorem, balneum administrauit. Circa caput autem nullum leniens adhibuit; quoniam in ea parte, quæ totius morbi erat fons, & fomes, calorem, & siccitatem, à medicamento, ad sistendum catarrhum inductam, adhuc perdurare optauit. Secunda autem die, quoniam calor vniuersi corporis remissus erat, licet adhuc caput ex medicamento in calesceret, non adhibuit balneum, nec pariter in tertia, qua calor in capite, non tantum in vniuerso corpore remissus erat; quarta autem, remisso in totum calore, excitato ex applicatione facta in prima die, medicamēti ex columbino stercore, iterum idem Emplastrum ad sistendum omnino catarrhum applicuit, à quo, quoniam caput, & ab eo vniuersus habitus hinc accenditur, iterum ad balneum mulierem, ad contemperandum vniuersi corporis calorem, deduxit, idque optima ratione; quoniam Gal. ex hac alteratione metuebat, ne in hac muliere febris accenderetur, à qua plurima imminerent pericula. Hac eadem intentione, & iudicio Galenus in sequenti ægro vsus est balneo: nam cum ad tollendam partium spiritalium refrigerationem, vsus esset medicamento ex thapsia, vt calefacientis est fa-

cultatis, non secunda, in qua adhuc non multa inducta erat caliditas, ob reluctantem illorum membrorum insignem intemperiem frigidam; sed tertia, cum immutatum esset totum corpus ad calidum, ex vsu medicamenti ex thapsia, balneum, ad remittendam immodicam totius, ex medicamento caliditatem; quæ tamen in partibus spiritalibus magis temperata erat, ob præcedentem frigiditatem, administrauit; prout, ne etiam in huiusmodi corpore, ex accensa extrema caliditate, ob vsum medicamenti, altera febrilis, & præter naturam accenderetur. Vnde patet, Galenum balneo vsum esse, non ad curandas sanguinis reiectiones; sed ad tollenda incommoda, quæ ex vi medicamentorum, pro vsu, & sobole morborum suborientium, administratorum, succedere debuerant, eaque prohibenda. Licet autem, vt habemus ex Lib. 3. Reg. Acut. 59. & Lib. 6. Aph. 16. balnea, & calidas sanguinis fluxiones proritare sint apta; non tamen in prædictis casibus noxia fuere, pluribus de causis. Primo quidem, quia balneum non fuit administratum solum; sed cum pluribus alijs medicamentis sanguinem sistentibus. Quare, si quid facere ad sanguinis profluuium poterat, reluctabantur cætera sistentia, & firmantia sanguinem. Secundò, quia cum ex vsu medicamentorum calidiorum totus habitus incaluisset, & calidi sit aperire, impendebat maius periculum profusionis sanguinis, nisi balneo adhibito, calor ille moderatus fuisset; atque adeò, non tantum nocuit, sed etiam causam reserationis tollendo, mirum in modum iuuit. Tertio, quia cum hoc balneum, ad tollendam immodicam caliditatem fuisset administratum, censendum est fuisse temperatum; ac proinde corpus hinc potius refrigeratum, quàm calefactum fuisse; refrigerato autem corpore, nulli dubium est, quin sanguis facilius sistatur. Quare, iure à Galeno, & summa cum vtilitate, in his casibus, balneum administratum fuit; quod tamen, præter eosdem, valde noxium, ob propriam humectationem esse potest. Ideo iure concludebat Gal. summam huius curationis, præ cæteris, consistere in lauandi abstinentia. Cum autem Cap. 14. probat balneum, in his, qui succum salsum congessere, tunc non spectat reiectionem sanguinis, sed eo vtitur in instaurante diæta, in habitu calido, & sicco, ad temperandùm, & humectandum corpus, vt inde humores, salsedinem, acrimoniam, & acrem qualitatem exuentes, non sint amplius apti vasa erodere, vel aperire.

Dixerat Auic. in cura generali sputi sanguinis, in principio huius capitis proposita, vitanda esse medicamenta aperitiua, inter quæ numerat aloen, vt quæ forsan capita venarum aperire consueuerit. Attamen in curatione sputi sanguinis, ex vasorum apertione, monens talem reiectionem per adstringentia, & glutinantia curari, superiorum immemor, docet talia *medicamenta confortanda, & validiora reddenda esse admistione aloes*.

In cura sputi sanguinis ex corrosione facti, relicto Galen. modo Alex. procedit, docens, hunc curare per *remotionem malitiæ complexionis*; quæ quoniam est calida intemperies, quæ cito tolli non potest, ideo curam reddit difficilem, & periculosam; quoniam, dum tentamus hanc remouere, interim vlcus serpit. Quoniam vero huius fluxionis causa est acris ex capite fluxus,

succusque

succusque prauus in corpore genitus; ideo dicebat Alex. quem in hoc secutus est Auic. nos per contraria procedentes, capiti, & toti corpori prospicere debere per refrigerantia, & humectantia. Vnde instillat oleum. ros. & solũ, & cum modica aqua frigida, & in balneo superfundit Oxyrrhodinum, & aquam etiam frigidam, & ex his sperat causam reiectionis tolli posse. Vnde Gal. eum admiratus, notat, quod nullo refrigerante, & humectante vsus, in hoc casu, deueniat ad Emplastrum ex columbino stercore, vel ad medicamentum ex thapsia, quæ sunt medicamenta calefacientia, & siccantia; quorum nulla, immo contraria in his casibus datur indicatio. Quem Gal. licet Auicenna, rem ipsam dissimulans, non reprehenderit; attamen sententiam Alex. amplexatus, relicto Galeno, dicebat, tales nobis *curandos esse per remotionem malitiæ complexionis*. Sed cui dubium esse potest, curationem Galeni tutiorem, quam Alex. & Auic. esse? Nam imminente præcipiti casu, ex destillatione acri, vel iam incipiente sputo sanguinis ex erosione, cui dubium inquam est, quin prima habeatur indicatio sistendi, & firmandi fluxionem à capite, vtpotè quæ sit causa, & fomes mali, & qua non remota, morbus tolli non potest. Vt autem statim sistatur, humectantia, & refrigerantia non sunt idonea; quoniam hæc intemperiem oppositam, non subitò, sed tardè, & longiori tempore tollere possunt; intemperies enim nulla subito induci potest. At Gal. medicamenta, vi attrahendi ex alto, qua pollent, & exiccante facultate, apta sunt statim destillationem sistere; qua suppressa, non admodum difficile fuerit medicamentis oportunis, & recta victus ratione adhibita, sanguinem postea, & erosionem sistere. At dices, intemperies ex his augebitur; & ideo destillatio ex ijsdem acrior euadet. Sanè, si nulla posteà à Medico adhibeatur diligentia, hec mala sequentur; sed diligens medicus, repressa destillatione, deueniens ad purgationem vniuersi corporis, optimaque victus ratione, totum corporis habitum immutans, non permittet destillationem acriorem reddi; & tempore oportuno, non imminente sanguinis sputo, poterit capitis intemperiem, accommodatis remedijs remouere. Gal. enim, ex instanti, & imminenti sanguinis, & erosionis periculo, ad hoc genus remediorum descendit, nulla sumta indicatione à partis intemperie; cuius postea curationem alias, non impendente hoc periculo, postea docuit. Quare in hoc casu, præferatur Gal. curatio, vtpote tutior, cum possit hominem ab erosione, & tabe præseruare; sed simul etiam cum capitis cura, administrentur ea omnia quę præcipuè docuit idem Lib. 5. Meth. Cap. 14. agenda esse, inter quæ hoc solum remedium obseruetur, ab Auicenna prætermissum, à Galeno autem adeò laudatum, vt dicat, eo neglecto, omnes insanabiles fore, videlicet lactis potus; obserueturque etiam, ex eodem loco, quando, quaque ratione, & modo in huiusmodi ægris, sanguis, vel sit, vel non sit mittendus, contra Alex. qui hanc sanguinis mittendi distinctionem indistinctè videtur negare; & pariter contra Auic. qui ab ea quasi abhorrens, eandem reticuit.

Fen. Decima Tract. IV. Cap. I.

Cap. I. DIstinguens Pleuritidem à materia, inquit, hanc generari, & à bile, & à sanguine, & à pituita, & à melancholia. Sed in his hanc esse differentiam, quod à bile, & à sanguine fiat acuta; à pituita autem, & à melancholia fiat chronica, subiungens. *Et hæc est res, quam plures hominum non comprehenderunt.* Quibus verbis voluit tacite arguere Galenum, qui semper docuit, pleuritidem esse morbum acutum, & cum ea coniungi febrem acutam; prout etiam Hipp. hoc idem Lib. 1. Reg. Acut. Tex. 8. confirmauit. Sed Auicenna hic, existimans morbos acutos fieri ratione materiei calidæ; longos autem, ratione frigidæ, longe ab omnium vera sententia recedit: non enim morbi acuti ideo sunt tales, quia fiant à materia calidiori, longi autem à frigidiori; sed potius ratione affecti loci, & ratione affectionis, vt passim ex Hipp. & Galeno habemus. Vnde, lethargus, apoplexia à pituita salsa; & alij huiusmodi morbi sunt acuti, licet à materia frigidiori ortum habeant; quod censendum de pleuritide, quæ si fiat à pituita, vel à succo melancholico, omnino tamen erit, tum ratione loci affecti, tum ratione affectionis, acuta; quanquam non negauerim, eas quæ à bile, & sanguine fiunt, esse plurimum celerioris motus, quam illas; non tamen hinc colligi potest, illas non esse acutas; sicuti enim acutorum morborum triplex est ordo, ex Gal. & Hipp. videlicet peracuti, acuti simpliciter, & acuti ex conuersione, qui ad 40. vsque diem protrahuntur; ita, & intra hos dierum terminos quælibet pleuritidis species circumscribitur. Quare, omnis pleuritis erit acuta, magis, vel minus, neque tamen chronica; nisi forsan, per chronicum, intelligat Auic. prout longus opponitur breui, non prout tardus acuto; sed hoc sensu non erant alij arguendi.

In casu suppurantis pleuritidis, inquit, quandoque saniem per pulmonem receptam expui, quandoque per intestina expurgari, quandoque ad inguina transmitti, quandoque per vrinam exire. Quæ omnia, sicut ab alijs exscripta sunt; ita habent vias manifestas, per quas sanies hæc transmittatur. Sed quando solus ipse huius sententiæ auctor addit, aliquando hanc saniem transmitti ad axillas, aliquando post aures, debebat, & modum, & viam docere, si veritatem huius sententiæ, quæ rationi non consentanea, cum inter hæc nulla manifesta sit viarum communicatio, legentes admissuri erant.

Ex Hipp. Lib. 5. Aph. 8. hoc mutuatus, eas pleuritides, quæ 14. diebus non expurgantur, verti ad suppurationem docet. Quæ sententia non vniuersaliter; sed solum plurimum vera comperitur; vt docet Gal. Lib. 1. Aph. 12. quo loco, loquens de Anaxionis historia, quæ hanc aphoristicam sententiam arguit, hæc scribit. *Quapropter rationabiliter totius morbi solutio ad 34. diem extensa est; cum tamen magnam partem lateralis morbus terminum suæ indicationis habeat 14. & si non hunc, omnino 20.* Sed cum hæc aphoristica sententia non vera sit, teste Galeno, nisi vt in pluribus, declarandum est, in quibus

pleuritis

pleuritis, 14. die non expurgata vertatur ad ſuppurationem, & in quibus non vertatur. Quod ita explicandum eſt. *Quicunque morbo laterali laborantes, 14. diebus non ex purgantur*. Ideſt, quicunque pleuritici, in quibus nec dolor quieſcit ſectione venæ, nec medicamento, nec victus ratione, nec exſcreatione per ſputum, nec ventris ſubductione, vt docet Hipp. Lib. 2. Progn. 52. & ideo non habent 14. die morbi ſolutionem, vel purgationem, his *vertitur pleuritis ad ſuppurationem*. *Quicunque vero remiſsionem doloris habent*; ex adminiſtratis remedijs prædictis, ſimulque ante 14. diem, aliqua, ſi non multum concocta, ſaltem laudabilia expuant, his etiam vltra 14. diem non expurgatis, ideſt non ſoluto in 14. morbo per ſputum, poteſt non ſuccedere ſuppuratio, tendente ſcil. pleuritide ad ſolutionem per concoctionem materiæ peccantis; quemadmodum contigit Anaxioni, in quo, cum per ſectionem venæ, 8. die factam, remiſiſſent dolores, & die vndecima humidiora cœpiſſet expuere; non tamen expurgata pleuritide, 14. die verſa eſt ad ſuppurationem; ſed proceſſu temporis, concocta materia, tum per ſputum, tum per lotium, tum per ſudorem iudicatio facta fuit, indicio plurimæ, & craſſæ materiæ morbum inducentis, cuius cauſa multum etiam temporis ad ſui concoctionem poſtulauit.

Suppurata pleutide, *niſi mundificatio fiat in 40. diebus*, inquit Auic. *cadit in peripneumoniam, & phtiſin*. At ſat erat, ad mentem Hipp. Loc. Cit. Lib. 5. Aph. 15. meminiſse phtiſis; quoniam pus retentum, & non eo temporis ſpatio expurgatum, putreſcens, pulmonem inficit, & corrumpit, eum exvlcerans; non autem peripneumoniæ; cum hæc nec à pure induci, nec ab eo excitari queat.

Dubitatio illa ab Auic. propoſita, quæ deterior ſit pleuritis, an quæ in dextro, an quæ in ſiniſtro eſt latere, duo habet animaduerſione digna. Primum eſt, cum inquit. *Illa quæ eſt in latere ſiniſtro, vicina cordi*. At quomodo pleuritis ſiniſtri lateris poteſt eſſe magis vicina cordi, quam quæ eſt dextri, ſi cor, vt docuit Galenus, & demonſtrant Anatomici, ac experientia teſtatur, eſt in medio thoracis, licet cuſpis eius ad partem ſiniſtram aliquo modo declinet? Secundum eſt, cum inquit. *Veritas in hoc conſiſtit, quod pleuritis in latere ſiniſtro eſt deterior, verum facilius maturatur, & facilius reſoluitur, ſi ſit ex illis, qui maturationem, & reſolutionem recipere poſſunt. Pleuritis autem quæ eſt in latere dextro eſt ſalubrior, ſed minus apta vt maturetur, & reſoluatur*. At hæc reſponſio non tollit difficultatem; quia cum morbi non alia ratione ſint deteriores, aut ſalubriores, niſi quatenus, vel difficilius, vel facilius ſolui poſſunt (illi enim ſunt deteriores, qui ſolutionem, vel nuſquam, vel difficulter recipiunt; illi autem ſalubriores, qui plurimum, vel facile ſoluuntur) ideo non poteſt dici pleuritis ſiniſtri lateris deterior, ſi hæc facilius maturatur, & facilius reſoluitur; nec pleuritis lateris dextri ſalubrior, ſi hæc minus apta eſt maturari, & reſolui. At forſan dicet Auic. facilitas, & difficultas maturationis, & reſolutionis, officiunt tantummodo morbum, aut breuiorem, aut longiorem; ſed differentia loci affecti, maius, vel minus periculum minatur; vnde in ſiniſtro latere pleuritis erit periculoſior, licet breuior, & acutior; in dextro autem ſalubrior, licet longior. Ratio

hæc erit; quoniam ſiniſtra eſt in loco maioris momenti, & magis vicina cordi quam dextera; vnde ea ratione, qua occupat nobiliorem partem, eſt deterior, & periculoſior, quam partis dexteræ, vtpotè minus nobilis. At ſciendum eſt, dextras partes ſiniſtris eſſe præſtantiores, & nobiliores, & quæ calore inſito, ac naturali magis abundant, atque in omnibus operationibus naturalibus magis præſtant; hinc à dextris habemus principium motus; hinc videmus, in dextera parte ſitum hepar, quod eſt nutritionis fons; hinc generationis membra in dextris partibus locata, ſunt calidiora, & ad procreandos mares magis apta; hinc teſticulus, ren, & vena emulgens, ac ſeminalia vaſa, & vteri partes, in dextris ſitæ calore naturali ſunt vberius abundant, ac proinde, vegetiores, & nobiliores. Sed vnde hoc? Quia arteria aorta ex ſiniſtro cordis ventriculo erumpens, ſtatim verſus dexteram corporis partē deflectens, dextro corporis lateri, maiores, quam in ſiniſtro arterias impertitur. Hinc Hipp. Lib. 2. Epid. Sect. 6. Tex. 21. celebrans partes dextras, nobiliores ſiniſtris, dicebat. *Circa naturam, plurimam vim habent, mamma dextra, & oculus dexter, & quæ infra ſunt; nam, & mares dextris partibus hærent.* Si autem, & teſtimonio Hipp. & rationibus prædictis, dextræ partes ſiniſtris præſtantiores ſunt, & plurimam habent vim in natura; igitur, & morbi in dextris partibus erunt grauiores, ac deteriores, quam in ſiniſtris. Quare, & pleuritis, ratione loci, erit deterior in dextero latere, quam in ſiniſtro. Nec eſt quod contrà apponas, in ſiniſtris, propter viciniam cordis, quoniam, vt iam dictum eſt, cor in medio thoracis ſitum eſt, quod licet ratione ventriculi ſiniſtri, in quo multo maior ſpirituum vbertas, & copia quam in dextero viget, vt proinde poſſit partibus ſiniſtris maior vitalis caloris copia impertiri; tamen, cum in dextras partes, ampliores arterias deflectens, arteria aorta, in dextrum latus diffundat, ſignum fuerit certiſſimum, dextras partes maiori abundare calore, quàm ſiniſtras, potiſſimum quidem; cum è regione earundem ſit collocatus lien; à directo autem dextrarum ſit locatum hepar, quod, & caloris copia, & operis excellentia multum præſtat. Quare, ratione loci, cenſeo pleuritides dexteri lateris, cum præſtantiores ſint partes dexteræ, quam ſiniſtræ, eſſe deteriores, & grauiores his, quæ fiunt in latere ſiniſtro. Ratione autem ſolutionis, ſi morbus eſt ſalubris, pleuritides dextras facilius ſolui, quàm ſiniſtras, cenſeo; quoniam, cum ſolutio morborum fiat ab inſito calore; hic autem plurimus abundet in dextris partibus, in his maior eſt aptitudo, & actiuitas ad reſoluendum, quàm in ſiniſtris. Si autem morbus ſit lethalis, tardius interiment pleuritides dextræ, quàm ſiniſtræ; quoniam in his maior poteſt eſſe renixus morbificis cauſis, ex abundantia caloris inſiti, quàm in ſiniſtris; ſi autem pleuritis non ſoluatur, nec interimat, nec ſuppuret, ſi in dextro ſit latere, periculoſior erit ſuppuratio, quàm in ſiniſtro: obſeſſa enim parte nobiliori à putreſcente materia, ſemper maius, quàm ex ignobiliori ſuccedet periculum. Præterea, ſi in tali ſuppuratione, vel vſtio, vel ſectio adminiſtranda foret, ratione præſtantiæ partis, tutius eſt ſecare, & vrere partes ſiniſtras, quàm dextras. Quod animaduertens Auctor Lib. de Morb. 3. dum ageret de ſuppurante pleuritide, dicebat. *Optandum autem eſſet, ex ſiniſtra;*

siniſtras; nam dextras vrere, aut ſecare lethalius eſt; quanto enim robuſtiores ſunt dextræ partes, tanto etiam fortiores morbi in ipſis fiunt. Ex quo loco in confirmationem ſententiæ noſtræ, duo habemus. Alterum, quod dextræ partes præſtantiores ſint ſiniſtris; alterum, quod in ijs deteriores fiant morbi.

In fine capitis inquit. *Sæpius cauſari pleuritidem, ac peripneumoniam ex aſſumptione ciborum craſsi nutrimenti*; quorum ratione incraſſatus ſanguis, indeque fluens ad thoracem, ibi infert pleuritidem, vel peripneumoniam. Horum morborum ita genitorum curatio, inquit, *ſubtiliatio eſt materiæ peccantis, cum balneo, ex cuius egreſſu, ſtatim exhibeatur oxymel, abſtinendo à frictione cum oleo*. Et concludens inquit. *Et Talis modus curandi quandoque excuſat à phlebotomia*; ideſt, adeò eſt ſalubris in attenuatione, & diſcuſſione materiæ, vt aliquando non ſit neceſſarium mittere ſanguinem in hac, vel pleuritide, vel peripneumonia. Sed duo maxime huic curationi aduerſantur. Primo, quia ex balneo habemus humorum liquationem, quæ ſuccis fluentibus eſt infeſtiſſima, & eo magis, cum inde, vt in præſenti caſu, ſit inflammatio, vt recte docebat Gal. Lib. 10. Meth. Cap. 10. his verbis. *At fundere æqualiter, in ſolidis quidem animalis partibus non eſt alienum; ſuccis certe non perpetuo eſt vtile. Sed quoties in animanti, vel phlegmone quæpiam, vel affectus phlegmoni ſimilis conſiſtit; vel vtrauis abundantia, ſiue ea, quæ ad vires confertur, ſiue quæ ad vaſorum capacitatem, omnium profecto inimiciſsimam. Ac phlegmone quidem, cum calefacti ſucci, & liquati ad ipſas confluunt, & augentur; tunicæ vero vaſorum, impares abundantiæ, quæ iam ex liquatione, ſpiritu eſt impleta, diſtenduntur, ac vires hoc ipſo male afficiuntur*. Hæc Galenus. Secundo, quia balneum in morbis thoracis, & pulmonis non eſt tutum, niſi cocta materia. Vnde lib. 4. Reg. Acut. Cap. 61. docens Hipp. quando balnei in hiſce morbis vſus locum habeat, dicebat, tutius in his adminiſtrari, qui tota vtantur ptiſana; hi autem ſunt illi, vt docet Gal. in Com. in quibus morbi ſunt cocti, & quibus balneum ſine periculo adminiſtrari poteſt. At in caſu Auicen. adhuc materia cruda eſt, & craſſa admodum; poſcit enim ex balneo, & ex vſu oxymelitis, attenuationem, & coctionem. Quare, ſuppoſita tanta cruditate, non erit tutum, pleno exiſtente corpore, adminiſtrare balneum.

Cap. II. Quoniam pleura eſt *membrum panniculoſum*, vel vt dicit Gal. à quo exſcripſit Auic. membrana neruoſa; ideo inquit, ſecundum ſignum pleuritidis eſſe *dolorem pungitiuum*. Sed cum punctura aliquando eſt tenſio; quæ tenſio quandoque eſt plurima, punctura autem minor, ita vt ad mentem Galeni Lib. 2. de Criſ. Cap. 10. & Lib. de Conſt. Artis, velit, dolorem omnino eſſe pungitivum; vel ſimul cum pungitiuo extenſivum. Attamen Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 2. de dolore pleuriticorum loquens, non coniunctiuè, ſed diſtinctiuè, & alternatim, ſtatuit ambos fieri dolores in pleuriticis, hæc habens. *Huius accidentia inſeparabilia ſunt, febris acuta, dolor, perinde ac ſi locus, vel intendatur, vel pungatur*. Niſi forſan hoc ab exuperante denominationem deſumens, dixerit Gal.

Ponens ſigna diſtinguentia inter pleuritidem, & hepatis inflammationem, propoſuit ſignum inflammationis hepatis, *pulſum vndoſum*. At cum pulſus non poſſit eſſe vndoſus, niſi qui mollis, à iecore inflammato non po-

terit esse vndosus; nam, nec ex thoracis, nec ex iecinoris tumore, vt habet Gal. Lib. 4. de Præsag. ex Puls. fiunt pulsus molles.

Addit, inter signa inflammationis iecoris, *hepaticam egestionem*. At hæc euacuatio quidem sequitur hepaticam dispositionem, ex qua fiunt egestiones loturæ carnis recenter mactatæ similes; non tamen hepatis inflammationes. Sed Auic. cum legisset Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 7. recensentem, in eo Medico, cuius historiam, ob admirabilem eius morbi dignotionem, narrat, ad fuisse talem egestionem, cum laboraret inflammatione hepatis, forsan huius occasione, & hanc inter signa inflammationis iecoris enumerauit. Sed in eo ægrotante fuit duplex affectus, idest, tum hepatica dispositio, & iecoris inflammatio, vt optime distinguit, & docet Galenus. Quare, non erat inter hæc signa distinguentia illud reponendum.

Cum signa distinguentia pleuritidem ab hepatis inflammatione proponens, inquit. *Et eius vrina est bonæ substantiæ.* Si dixisset, ab Vrina nullum pleuritidis certum signum habemus, melius locutus fuisset; quoniam hæc de pleuræ dispositione nihil iudicare potest; prout nec verum, quod in pleuritide vrina sit bonæ substantiæ; immo in ea potest omne genus lotij, siue boni, siue mali apparere, prout experientia docet, pro diuersa in corpore pleuriticorum dispositione.

Adducens differentiam inter pulsum phreniticorum, & pulsum pleuriticorum, inquit. *Pulsus in sirsen est magnus, declinans ad raritatem.* Quæ sententia ex diametro opponitur Gal. qui Lib. 4. de Caus. Puls. Cap. proprio, docuit, phreniticorum pulsum paruum esse, & mire crebrum; cui ad stipulatur, tum ratio, tum experientia; nam inflammatio est in membro neruoso, ideo fit durus pulsus; duritiem autem sequitur paruitas, & vigentibus, inflammatione, & febre vehementi, à quibus instat multa necessitas, sequitur frequentia. Quare, credo ego, in manifesto adeo errore, corruptum esse Textum, & loco *Pulsus*, legendum esse, *Spiratio*, ita vt sit sensus, & textus talis. *Spiratio in sirsen est magna, declinans ad raritatem; in pleuresi vero est parua ad frequentiam, vt succurratur paruitati.* Quæ sententia est consona veritati, & Gal. præcipuè autem Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 3.

Cap. III. In pleuritide *pura*, facta in *velamine, distinguente*, affirmat non esse eam febris vehementiam, quæ est in alijs pleuritidibus; immo subiungit, quandoque *postponitur, vsquequo putrefiat superfluitas, & tunc fit febris valida.* Sed si per putredinem, intelligit suppurationem, falsum est, quod in hac inflammatione, siuè per *velamen distinguens*, intelligat membranas intersepientes, siue diaphragma, non fiat febris acuta ante suppurationem; immo fiunt valde acutæ, & in his locis ferè nunquam suppurantur; si autem per putredinem, intelligit materiam in loco affecto conclusam, & infarctam, vnde ea accenditur, nulli dubium, quin ex tali accensione, pro ratione materiæ, similis ei febris sequatur; atque adeo, peccante bile, vel erit ardens à principio, vel saltem valde acuta.

Cap. IV. Inter praua signa pleuritidis, recenset *sputum pure rubrum*. At cum tale sputum indicet pleuritidem genitam à sanguine, vt habet Gal. Lib. 6. Aph. 33. & sanguis, inter omnes humores sit benignissimus, videtur hoc

sputum

ſputum ex ſe, pravum ſignum eſſe non poſſe. At, quid ſentiendum ſit de hoc ſputo, & quando poſſit eſſe lethale, ad mentem Auic. & Hipp. declaraui in Com. Libri de Morbis.

Cum inter mala pleuritidis ſigna, numerat *vrinam fæculentam, inæqualem, & ſanguineam*, eſt coniunctio prauorum ſignorum vnius generis, cum prauitate alterius, ad ſimilitudinem eorum, quæ ſcribuntur ab Auctore Prorrheticorum. Sed poſtea, cum ſubiungit, talem vrinam ſignificare *inflammationem commiſſurarum cerebri*, dictum adeo ineptum eſt, & alienum ab hoc tractatu de pleuritide, vt cenſeam textum corruptum eſſe.

Accenſet etiam ſignis prauis, fluxum alui ſuperuenientem in fine pleuritidis; quoniam talis fluxus ſignificat debilitatum eſſe hepar; qui fluxus, *ſi in principio*, ait, *Pleuritidis contingat, eſt ſignum bonum, & eſt res iuvans*. Sed, quod Gal. Lib. 6. Aph. 16. dixerat, de hepate, partibus reſpirationi inſeruientibus multum compatiente, fieri, cum his peſſimè affectis, coafficiatur hepar; & ideo eo non bene ad ſe nutrimentum attrahente, nec in ſanguinem conuertente, & quandoque ventriculo alimentum corrumpente, ſequatur alui fluxus, parum recte tranſtulit Auic. ad tempus, dicens. *Si fluxus in fine pleuritidis eueniat, malum eſſe ſignum, cum indicet debilitatum eſſe hepar*. Cum etiam inquit; quod *ſi talis fluxus fiat in principio, eſt bonum ſignum, & res valde iuvans*, prorſus à mente Galeni recedit, qui inquit. *Si non vehementer, ſed mediocriter affectis partibus ſpiritalibus, vt mediocris ſit pleuritis, alui profluvium ſuperueniens prodeſſe, ratione euacuationis, poteſt; & eo magis, ſi ſigna coctionis apparuerint*. Sed, cum ſigna coctionis, à principio, in validis morbis non apparere poſſint, & decretoria à principio vtiliter non ſe prodant, nec ratione principij, talis fluxus vtilis, vt teſtatur Auic. poteſt eſſe.

Animaduertant autem iuniores ea quæ hic exſcripſit Auic. ex Hipp. de diuerſis prauis pleuritidibus, deſumpta eſſe ex Lib. 3. de Morb. adſcripto quidem Hippocrati, ſpurio tamen, & qui eius doctrinæ puritatem non redoleat. Quare, mirum non eſt, ſi plura de diebus mortis, vel ſalutis; necnon de alijs ſympt. non admodum veritati conſentanea Auic. ſcripſerit.

Cap. V. *Declinatio*, inquit, *completur quando retinetur ſputum, poſt remotionem accidentium pleuriſis*. At melius dixiſſet. Declinatio completur, quando ex purgata pleuritide, nullum remanet ſputum, & iam remota ſunt ſymptomata; non enim in tali caſu retinetur ſputum, cum nihil ſit quod purgari poſtulet; ſed terminatur, expurgatione pleuritidis facta.

Cap. VI. Ex loco patiente poſſe haberi indicium materiei pleuritidem excitantis, docet; cum plurimum contingat, vt ex pituitoſa, & melancholica materia, ob ſui grauitatem, dolor deſcendat ad hypochondrium; ex biliosa autem, & ſanguinea, ob ſui leuitatem, aſcendat ad iugulum. Sed ſententia hæc, licet probabilis ſit, & aliquando vera; non tamen reſpondet dictis Hipp. & Gal. nec etiam experientia confirmatur: docebat enim Hipp. Lib. 2. Reg. Acut. 10. *aſcendente dolore ad clauiculam, eſſe mittendum ſanguinem, vſque ad coloris mutationem, ita vt eo vſque educendus ſit, donec rubicundior multò, vel pro rubro liuidus fluxerit*. Gal. in Com. cauſam huius mutationis reddens, dicebat, tunc rubicundiorem, mutato colore, apparere ſanguinem,

guinem, quãdo qui peccat est pituitosus; cum ob eiusdẽ partẽ, quam phlegmone obsidet, ob inflammationem, factus sit rubicundior; tunc autem liuidum, vel nigrum apparere, quando qui peccat est calidior, & rubicundior, sed qui est in phlegmone aduritur, & assatur. Quare, hinc apparet, quomodo, ascendente ad iugulum dolore, fiat ab vtraque materia, scilicet calida, & frigida pleuritis; sicuti, quæ fit à bile, posse fieri, tum à materia pituitosa; tum melancholica. Præterea, ratio leuitatis, & grauitatis nulla est producendis morbis, vel in partibus superioribus, vel inferioribus; vnde videmus, & in cerebro, ex fluxione, fieri morbos, modo à frigida, modo à calida materia, simili ratione; & similiter infra renes, & in partibus inferioribus, fieri etiam indiscriminatim ab vtraque materia. Quod si vera esset Auicennæ sententia, rarò in partibus superioribus, morbos à materia frigida; in partibus autem inferioribus, à calida videremus; cuius tamen oppositum experientia prodit.

Cap. VII. Inquit. *Ex ruptura saniosi, in die 7. est ex eis, quæ accidunt rarò*. Hanc sententiam exscripsit à Gal. Lib. 2. Progn. Com. 57. quo loco hæc habet Gal. *Sed quæcunque 7. die rumpuntur, id vero rarum est*. Sed in hoc animaduertendum fuerat, talem rupturam contingere solum in his, quibus, dum excreatio adhuc biliosa est, & fit suppuratio, siue vicissim, siue simul, bilis, ac pus excernantur; de quibus Tex. 53. loquebatur Hipp. qui Tex. sequenti, dicebat, potissimum esse exitiosam talem ruptionem, si 7. die contigerit. In his igitur exitiosa est talis ruptio, & solet fieri in 7. licet hoc rarò contingat. Reliquæ autem suppurationes, quæ non sic fiunt, scilicet dum excreatio est biliosa, & simul, vel alternatim excernuntur bilis, & pus, rumpuntur; vt habet Tex. 57. plurimæ ad 20. aliæ 30. aliæ 40. aliæ 60. die. Illæ autem sunt exitiosæ, & citò, idest 7. die rumpuntur; quoniam in his abundat ferocissimus humor, videlicet bilis ipsa, quæ reluctatur coctioni, & simul sui acrimonia corrodit membranas; cuius ratione velox fit ruptio, sed mala, ob interceptam coctionem.

Cum videris inquit, *pulsus tensionem vehementem fieri, & propriè, quando eius frequentia fit fortis, tunc illud indicabit mortem, Si virtus sit debilis*. At credo ego, licet virtus sit fortis, vbi fit pulsus valde durus, cum magna frequentia, pleuritidem perniciosam etiam fore, iuxta sententiam Gal. Lib. 4. de Præsag. ex Puls. Cap. de Pulsu ex septo transuerso, quo loco hæc habet. *At maximum sanè indicium exitialis pleuritidis est, si pulsus sit magnopere durus. Itaque paruus etiam, & ob ambo hæc, caloremque creberrimus, pleuriticus cum tali pulsu nemo est seruatus*. Si tamen non sit tanta durities, licet durior, quàm pro ratione morbi aliquantisper pulsus existat, & virtus sit fortis, tunc vera esse poterit Auicennæ sententia, quam subiungit, dicens. *Et si virtus fuerit fortis, tunc indicat permutationem ad peripneumoniam, & Empyema, & phtisin*. Quam sententiam ferè ad verbum mutuatus est à Galeno Lib. 4. de Caus. Pul. Cap. de Pulsu Pleuriticorum, vbi loquens Galenus de inæqualitate pulsus, quæ serrini speciem præbet, dicebat. *Tales inæqualitates, eum imbecilli facultate coniunctæ periculum habent; si cum firma, aut tardè concoquentur, aut ad suppurationem deflectent, aut tabidus excipiet eas marcor*. Permutationem

nem autem ad peripneumoniam colligebat ibidem Gal. ex crebritatis excessu, qui etiam syncopen instare præsagit. Quare, ex Gal. talis pulsus, vel pleuritidis tardam coctionem, vel permutationem ad Empyema, vel ad marcorem tabidum, vel peripneumoniam succedentem, vel syncopen instantem pronunciat; ex Auicenna autem, permutationem ad peripneumoniam, ad empyema, & ad phtisim. Sed de phtisi notandum, falsum esse, ad eam permutari pleuritidem, nisi mediante empyemate, quod non expurgetur; & ideo ex pulsu hoc non posse desumi. Quare, ad mentem Galeni, à quo exscripsit Auicen. legatur, ad tabidum marcorem, qui ingentibus inflammationibus aliquando succedere consueuit. Nec est vt quis marcorem, & phtisin idem esse opinetur, cum essentia, & causis differant; ex quo Galenus etiam duo capita distincta in eodem Lib. alterum de marcescentibus; alterum de phtisicis apposuit.

Docens solutionem pleuritidis sine sputo, monet, eam aliquando per lotium, aliquando per fluxum alui recte terminari. Sed hoc non est à principio, vt superius docebat, dicens, fluxiones alui à principio esse vtiles; sed in fine, quod indicant verba illa, *post sedatam, vel alleuiatam ægritudinem*.

Declinatio eius ad ambo crura, est vehemens significatio ad incolumitatem, & in huiusmodi quidem, præcepit Hipp. solutionem ventris fieri cum helleboro. Hæc Auic. qui si loquitur de sententia Hipp. Lib. 2. Reg. Acut. 110, corruptus est textus, & legendum, *Declinatio eius ab hypochondria*.

Cap. VIII. In fine, agens de sputo crasso purulento, inquit, hunc fieri *ex humiditatibus, pectoralibus dominantibus in corporibus eorum, quæ à 30 vsque ad 40 diem suppurantes, & in spatio thoracis existentes tandem expuuntur; & accidit,* inquit, *eis hydropisis in spatio 40 dierum, vsque ad 60, & non est in ea plurimum mali*. Sed circa hanc sententiam, hæc notentur. Primò, quod istæ *humiditates pectorales*, si sint ex destillatione, ex Hipp. Lib. 7. Aphor. 38. intra 20 dies suppurantur; secundò, quod si per *hydropisin*, intelligit affectum subortum ob illam purulentam humiditatem, in pulmone aggregatam, de qua loquitur, quod hæc tandiu non perdurat ita incolumis, vt in ea plurimum mali non sit, vsque ad 50 diem. Si autem per *hydropisin* intelligit collectionem humiditatum serosarum, in pulmone dictam, ab Hipp. Lib. 2. de Morb. *Hyderum pulmonis*, quid in hac sentiam, alias scripsi. Si vero intelligit de vera hydrope, succedente læsioni hepatis, per consensum à partibus spiritalibus, mirum est, quomodo dicat eam fieri à 40 die vsque ad 60, atque in ea plurimum mali non esse; cum tamen sit valde perniciosa, iam præcedente mala spiritalium membrorum dispositione.

Cap. IX. *Vbi non expuat pleuriticus, vsque ad 7. vel expuat sine maturatione*, inquit, *quod talium crisis, vsque ad 40, aut 60 differtur*. Et ideo pereunt illi, qui in hoc rerum statu constituti virtutem habent debilem; quia eorum vires eousque perdurare nequeunt. *Si autem virtus fuerit fortis, sperabis, quod pertranseant 14. tamen plurimum morietur, & totum hoc*, subiungit, *accidit, cum materia, quæ facit ægritudinem, fuerit acuta*. Sed oppositum suadet Anaxionis historia, qui post septimum expuit, & tamen 34 die perfectè iudicatus est; cum tamen in eo etiam febris acuta fuerit. Quare, non est dicendum, tales

mor-

guinem, quādo qui peccat est pituitosus; cum ob eiusdē partē, quam phlegmone obsidet, ob inflammationem, factus sit rubicundior; tunc autem liuidum, vel nigrum apparere, quando qui peccat est calidior, & rubicundior, sed qui est in phlegmone aduritur, & assatur. Quare, hinc apparet, quomodo, ascendente ad iugulum dolore, fiat ab vtraque materia, scilicet calida, & frigida pleuritis; sicuti, quæ fit à bile, posse fieri, tum à materia pituitosa; tum melancholica. Præterea, ratio leuitatis, & grauitatis nulla est producendis morbis, vel in partibus superioribus, vel inferioribus; vnde videmus, & in cerebro, ex fluxione, fieri morbos, modo à frigida, modo à calida materia, simili ratione; & similiter infra renes, & in partibus inferioribus, fieri etiam indiscriminatim ab vtraque materia. Quod si vera esset Auicennæ sententia, rarò in partibus superioribus, morbos à materia frigida; in partibus autem inferioribus, à calida videremus; cuius tamen oppositum experientia prodit.

Cap. VII. Inquit. *Ex ruptura saniosi, in die 7. est ex eis, quæ accidunt rarò*. Hanc sententiam exscripsit à Gal. Lib. 2. Progn. Com. 57. quo loco hæc habet Gal. *Sed quæcunque 7. die rumpuntur, id vero rarum est*. Sed in hoc animaduertendum fuerat, talem rupturam contingere solum in his, quibus, dum excreatio adhuc biliosa est, & fit suppuratio, siue vicissim, siue simul, bilis, ac pus excernantur; de quibus Tex. 53. loquebatur Hipp. qui Tex. sequenti, dicebat, potissimum esse exitiosam talem ruptionem, si 7. die contigerit. In his igitur exitiosa est talis ruptio, & solet fieri in 7. licet hoc rarò contingat. Reliquæ autem suppurationes, quæ non sic fiunt, scilicet dum excreatio est biliosa, & simul, vel alternatim excernuntur bilis, & pus, rumpuntur; vt habet Tex. 57. plurimæ ad 20. aliæ 30. aliæ 40. aliæ 60. die. Illæ autem sunt exitiosæ, & citò, idest 7. die rumpuntur; quoniam in his abundat ferocissimus humor, videlicet bilis ipsa, quæ reluctatur coctioni, & simul sui acrimonia corrodit membranas; cuius ratione velox fit ruptio, sed mala, ob interceptam coctionem.

Cum videris inquit, *pulsus tensionem vehementem fieri, & propriè, quando eius frequentia fit fortis, tunc illud indicabit mortem, Si virtus sit debilis*. At credo ego, licet virtus sit fortis, vbi fit pulsus valde durus, cum magna frequentia, pleuritidem perniciosam etiam fore, iuxta sententiam Gal. Lib. 4. de Præsag. ex Puls. Cap. de Pulsu ex septo transuerso, quo loco hæc habet. *At maximum sanè indicium exitialis pleuritidis est, si pulsus sit magnopere durus. Itaque paruus etiam, & ob ambo hæc, caloremque creberrimus, pleuriticus cum tali pulsu nemo est seruatus*. Si tamen non sit tanta durities, licet durior, quàm pro ratione morbi aliquantisper pulsus existat, & virtus sit fortis, tunc vera esse poterit Auicennæ sententia, quam subiungit, dicens. *Et si virtus fuerit fortis, tunc indicat permutationem ad peripneumoniam, & Empyema, & phtisin*. Quam sententiam ferè ad verbum mutuatus est à Galeno Lib. 4. de Caus. Pul. Cap. de Pulsu Pleuriticorum, vbi loquens Galenus de inæqualitate pulsus, quæ serrini speciem præbet, dicebat. *Tales inæqualitates, cum imbecilli facultate coniunctæ periculum habent; si cum firma, aut tardè concoquentur, aut ad suppurationem deflectent, aut tabidus excipiet eas marcor*. Permutatio-

nem

nem autem ad peripneumoniam colligebat ibidem Gal. ex crebritatis excessu, qui etiam syncopen instare præsagit. Quare, ex Gal. talis pulsus, vel pleuritidis tardam coctionem, vel permutationem ad Empyema, vel ad marcorem tabidum, vel peripneumoniam succedentem, vel syncopen instantem pronunciat; ex Auicenna autem, permutationem ad peripneumoniam, ad empyema, & ad phtisim. Sed de phtisi notandum, falsum esse, ad eam permutari pleuritidem, nisi mediante empyemate, quod non expurgetur; & ideo ex pulsu hoc non posse desumi. Quare, ad mentem Galeni, à quo exscripsit Auicen. legatur, ad tabidum marcorem, qui ingentibus inflammationibus aliquando succedere consueuit. Nec est vt quis marcorem, & phtisin idem esse opinetur, cum essentia, & causis differant; ex quo Galenus etiam duo capita distincta in eodem Lib. alterum de marcescentibus; alterum de phtisicis apposuit.

Docens solutionem pleuritidis sine sputo, monet, eam aliquando per lotium, aliquando per fluxum alui recte terminari. Sed hoc non est à principio, vt superius docebat, dicens, fluxiones alui à principio esse vtiles; sed in fine, quod indicant verba illa, *post sedatam, vel alleuiatam ægritudinem*.

Declinatio eius ad ambo crura, est vehemens significatio ad incolumitatem, & in huiusmodi quidem, præcepit Hipp. solutionem ventris fieri cum helleboro. Hæc Auic. qui si loquitur de sententia Hipp. Lib. 2. Reg. Acut. 110, corruptus est textus, & legendum, *Declinatio eius ab hypochondria*.

Cap. VIII. In fine, agens de sputo crasso purulento, inquit, hunc fieri *ex humiditatibus, pectoralibus dominantibus in corporibus eorum, quæ à 30 vsque ad 40 diem suppurantes, & in spatio thoracis existentes tandem expuuntur; & accidit*, inquit, *eis hydropisis in spatio 40 dierum, vsque ad 60, & non est in ea plurimum mali*. Sed circa hanc sententiam, hæc notentur. Primò, quod istæ *humiditates pectorales*, si sint ex destillatione, ex Hipp. Lib. 7. Aphor. 38. intra 20 dies suppurantur; secundò, quod si per *hydropisin*, intelligit affectum subortum ob illam purulentam humiditatem, in pulmone aggregatam, de qua loquitur, quod hæc tandiu non perdurat ita incolumis, vt in ea plurimum mali non sit, vsque ad 30 diem. Si autem per *hydropisin* intelligit collectionem humiditatum serosarum, in pulmone dictam, ab Hipp. Lib. 2. de Morb. *Hyderum pulmonis*, quid in hac sentiam, alias scripsi. Si vero intelligit de vera hydrope, succedente læsioni hepatis, per consensum à partibus spiritalibus, mirum est, quomodo dicat eam fieri à 40 die vsque ad 60, atque in ea plurimum mali non esse; cum tamen sit valde perniciosa, iam præcedente mala spiritalium membrorum dispositione.

Cap. IX. *Vbi non expuat pleuriticus, vsque ad 7. vel expuat sine maturatione*, inquit, *quod talium crisis, vsque ad 40, aut 60 differtur*. Et ideo pereunt illi, qui in hoc rerum statu constituti virtutem habent debilem; quia eorum vires eousque perdurare nequeunt. *Si autem virtus fuerit fortis, sperabis, quod pertranseant 14. tamen plurimum morietur, & totum hoc*, subiungit, *accidit, cum materia, quæ facit ægritudinem, fuerit acuta*. Sed oppositum suadet Anaxionis historia, qui post septimum expuit, & tamen 34 die perfectè iudicatus est; cum tamen in eo etiam febris acuta fuerit. Quare, non est dicendum, tales

mor-

morbos protrahi vltra terminum morborum acutorum, ex decidentia scilicet, vltra 40 diem; quoniam nec vltra iudicantur, nec ratione materiæ possunt tantum prorogari.

Cap. X. *Quandoque*, inquit, *peripneumonia sequitur euentum catarrhi descendentis ad pulmonem*. Sed si per *catarrhum*, intelligit fluxionem catarrhalem, à cerebro ad pulmonem destillantem, scil. quod à tali fluxione fieri possit peripneumonia, longe à veritate aberrat; quoniam, cum peripneumonia sit ex genere inflãmationum, & inflãmatio fiat à sanguine, minime verò à pura destillatione fieri possit, nec etiam à destillatione peripneumonia excitari poterit. Aduertatur autem, quod cum Paulus, à quo forsan hæc sententia non rectè desumpta est, dicit, *peripneumoniam vt plurimum ex valentibus in pulmonem fieri destillationibus*. Per destillationes, intelligit fluxiones. Nisi forsan intelligat Auic. peripneumoniam sequi euentum catarrhi descendentis ad pulmonem, idest, post imbecillitatem pulmonis, ex destillante ad eum catarrho, fieri aliquando peripneumoniam, non quod ab ipso catarrho fiat.

Ea verba. *Et si non confortetur ad expuendam materiam, tunc ipsa secundum plurimum facit cadere in phtisin*. Credo ego legenda esse negatiuè, quoniam si in peripneumonia, materia morbum faciens, per sputum non educatur, sequitur, superstite ægro, suppuratio, & suppurationem sæpius sequitur phtisis.

Ab omni, inquit, *humore fit peripneumonia; sed plurimum eius fit à phlegmate*. Hic per phlegma, ad mentem Galeni Lib. 4. de Caus. Puls. Cap. de Puls. peripneumonicorum, intelligamus sanguinem pituitosum, non purum phlegma; quoniam à puro phlegmate non potest fieri inflammatio; sed potius œdema. Et licet à tali sanguine facilius, iuxtà Galenum, loco citato, necnon Auicennam in hoc loco, fiat peripneumonia; tamen ab omni humore, vt dicunt, produci potest; vnde aliquando fit inflammatio vera, aliquando erysipelas in pulmone; vt testatur Galenus Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 9. de quibus iam egi, in Com. Lib. de Morb.

Cum, inquit, *peripneumoniam quandoque facere succedere stuporem*, rem rationi consentaneã proponit; quoniam, cum sit à materia pituitosa, transmissa hac ad neruos, potest succedere quandoque stupor. Credo tamen, ad mentem Galeni, à quo primo hæc exscripta, legendum esse, Coma, quem affectum coniunctum ipsi peripneumoniæ, loco citato supponebat Galenus; sicuti etiam eundem censuit consequi pleuritides à pituitosa materia genitas.

Cap. XI. Ex Hipp. Lib. 3. de Morb. hoc signum peripneumoniæ apponit, videlicet, quod *quandoque sentitur pulsatio sub spatula, & furcula, & mamillis*. At, non pulsationem, sed dolorem, scripsit Author illius libri, & quidem meritò; quoniam ex magna inflammatione possunt coaffici loca illa; sed sine ingẽti in illis partibus inflammatione non potest adesse pulsatio.

Quandoque, inquit, *aduenit Subeth*, ideſt Coma, *propter multitudinem vaporis humidi*. Immo vt plurimum; quoniam vt plurimum fit ab humore pituitoso; cum enim est erysipelas, quod est rarissimum, non solum non adest coma, sed etiam adsunt vigiliæ.

Differentias pulsus, à Galen. Lib. de Puls. ad Tyr. exscribens, dicit. *Pulsus autem est vndosus, lenis; quoniam apostema est in membro leni, & materia est humida*.

mida. Paulò post subiungit. *Et quandoque est intercisus, & fit bis pulsans in dilatatione vna.* Sed animaduertendum, primam sententiam non esse veram, nisi in peripneumonia genita à pituitosiori sanguine; quæ quoniam frequētior est, ideo eius pulsum docens Galenus, inquit, vndosum, & mollem esse; si autem fiat à sanguine bilioso, & inde fiat erysipelatosus affectus, non amplius erit in ea pulsus, vel vndosus, vel mollis, sed durus potius; cum autem durus fuerit, fieri poterit dicrotus, qui ad sui productionē duritie eget, alias pulsus bis ferire in vna pulsatione non potest; & ideo in huiusmodi casu, poterit esse pulsus bis feriens. Quod explicans Galenus Lib. 4. de Caus. Puls. dicebat. *Quapropter pulsus ijs dicrotus infrequens est, cum aliam habeat multam inæqualitatem; quod dicrotus prorsus requirit vasis duritiem quandam, quam quidem non contrahit ex pituitosa fluxione; siquidem biliosioris munus est cogere, siccare, tendere, indurare, quæ quandoque minus sæpe pulmonem infestant; sane erit rata quoque durities, & si hæc, simul dicrotus pulsus etiam.* Hæc Gal. Quam sententiā non assecutus, Auicenna, confudit pulsum dicrotum cum vndoso, existimans, in omni peripneumonia fieri vndosum, & simul, cum vndoso quandoque fieri dicrotum. At horum diuersa est ratio.

Cap. XII. Quod induretur pulmo, etiam ex Galeno Lib. 4. de Progn. ex Pul. Cap. 1. habetur; vbi reddens rationem, quare induretur quandoque pulsus, pulmone affecto, inquit, hoc fieri ex *sicca intemperie, ex inflammatis, & duris tumoribus.* An autem Galenus intelligat duros tumores, diuersos ab inflammatis, difficile est colligere; cum in duobus locis, ibidem de his sermonem habens, semper copulatiuè, non distinctiuè locutus sit. Quod forsan intelligens Auic. dicebat in fine. *Et quandoque alleuiatur in quibusdam horis, cum paruitate caloris in thorace.* Quoniam, cedente inflammatione, subleuantur pulmonis accidentia, imminuto calore, duritie adhuc persistente; in quem sensum credo etiam Galenum esse locutum; quoniam si disiunctiue eius intelligatur sententia, contra propria principia, & ea, quæ prius docuerat, inflammationis pulmonis signum esset, durus pulsus; quod cum non sit, nec disiunctiuè, sed copulatiuè eius sententia est intelligenda, ita vt inflammati, & duri simul tumoris signum sit pulsus durities. Quod signum hic ab Auicen. prætermissum, est minime fallax, omnium eorum quæ in pulmone duritiem indicare possunt.

An autem absque inflammatione fieri durus pulmo queat, ita vt scirrhosum patiatur affectum, videtur nequaquam fieri posse, ratione propriæ pulmonis substantiæ. Quod animaduertens Galenus Lib. 4. de Præsag. ex Pul. Cap. de Meningibus affectis, dicebat. *Cerebrum, & pulmo fortassis ne admittunt quidem scirrhum.*

Cap. XIII. Pulmonem posse pati œdema, & molles tumores, habetur etiam ex Gal. loc. cit. Sed Auic. signa huius affectus recensens, probabilia tantum enumerauit; illud autem, quod necessario hunc affectum consequitur, prætermisit, scilicet pulsum mollem.

Cap. XIV. Si per *bothor*, intelligit pustulam, nulla potest ex tam leui causa grauitas fieri in pulmone; nec erit anhelitus difficultas vlla consideratione digna. Si autem per *bothor*, intelligit tuberculum, si fuerit crudum, nulla erit

cali-

caliditas in pectore, nec vlla inflammatio; Si quod etiam fuerit suppurans, verũ ex cruda materia, nullum suppurationis potest adesse indicium. Quare, nec caliditas vlla, nec inflammatio sentietur; vnde videmus sæpe in his casibus, reiectionem puris, nullo præcedente suppurationis indicio. Vbi autem fuerit suppurans ex materia non cruda, non poterit non adesse, vnà cum caliditate, & inflammatione, febris.

Cap. XV. Hoc caput de pulmonis hydrope, Auicenna exscribens ab Hipp. Lib. 2. de Morb. nec ita distinctè eius signa apposuit, vt enarrata sunt ab eodem nec eius curationem; prout nec duorum superiorum affectuum, in prædictis duobus capitibus explicatorum, docuit; cum tamen hanc Hipp. loco citato explicauerit; de qua quid sentiendum sit, & quomodo alia methodo possimus eam exequi, alias scripsi.

Cap. XVI. Apostematum, & vlcerum tracheæ arteriæ, signum ponit, primò *febrem debilem*; *secundo pulsationem, & dolorem in medio dorsi*. Quoad febrem, sciendum est, Apostemata hæc nullam excitare febrem, nisi vbi sint, vel inflammata, vel suppurantia; cruda autem nequaquam. Vlcera autem, nisi inflammata, & purulenta fuerint, nec huiusmodi gignunt febrem; à principio enim nondum sunt inflammata; nec post principium, nisi fiant purulenta, vllam inferunt febrem, vt experientia, & Gal. Lib. 5. Meth. docent. Quoad pulsationem autem, & dolorem, sciendum est, non tantum in medio dorsi, sed etiam, vt habet Lib. cit. Cap. 12. in collo posse hunc apparere, cum iam videlicet ea arteriæ pars, quæ è regione colli sita est, affecta fuerit.

Cum legisset Auicenna, Galenum Lib. proximè citato, narrantem historias eorum, qui pestilentiæ tempore in vlcus asperæ arteriæ inciderant, & dicentem, his totum corpus vlceribus manasse, ab hoc singulari vniuersalem deducens normam, dixit. *Et accidunt cum hac pruritus in corpore*. Sed si nouisset, hoc in his contigisse, non ratione vlceris asperæ arteriæ; sed ratione naturæ expurgantis vniuersum corpus, & ad cutaneas, ac superficiales partes materiam, quæ pestilentem affectum produxerat, transmittentis, hęc non dixisset. Sed si quis pro Auicenna dixerit, hanc sententiam non à Galeno eum desumpsisse, sed ab Hipp. Lib. 2. Progn. vbi hæc habentur. *Ac pustulæ circa corpus erumpunt*. Hic sciat, Auicennæ hunc non esse casum; cum Hipp. loquatur ibi de suppuratis non expurgatis, in quibus, emoriente calore innato, generantur in corpore ichores mali, qui ad cutaneas transmissi partes, in eisdem pustulas excitant. At Auicenna, non de his loquitur, sed de simplici, vel apostemate, vel vlcere asperæ arteriæ, ex quibus ratione sui, non est possibile fieri in corpore, tum pustulas, tum pruritum.

Cap. XVII. *Et fit Empyema post 20 dies, secundum plurimum*, ait Auic. Sed pro hac sentẽtia, quã exscripsit ab Hipp. Lib. 7. Aph. 38. duo addenda sunt; primum, quod Hipp. speciatim locutus est de destillationibus, in thoracem decumbentibus, Auicenna transtulit ad vniuersale, statuens de omni Empyemate vniuersale præceptum; secundum est, quod Hipp. dixit, talem suppurationem fieri intra 20 dies; Auicenna autem, post 20 dies.

Empyema, inquit, *concomittatur aliquando febris minuta, ducens ad hydropisin.*

Dixit

Dixit autem, ad *hydropisin*; quia in his incipiunt intumescere pedes, & apparere indicia hydropis; quæ tamen non est vera hydropis species; quoniam hæc fit hepate refrigerato, & male affecto; at in his tales apparent tumores, non ratione hepatis perfrigerati, sed ratione extinctionis caloris innati earum partium; cuius ratione, proprium nutrimentum cum non possint concoquere, intumescunt, & flaccidæ fiunt. Vnde Galenus Lib. 2. Progn. Com. 60. reddens rationem, quare in his pedes intumescant, hæc protulit. *Procedente vero tempore, & pedes eorum intumescunt, totius corporis extinctione inde incipiente: quippe partes ab origine longissime absunt.*

Animaduertatur autem, quod dum Auicenna vult docere signa transmutationis Empyematis ad phtisin, ab Hipp. id mutuatus Lib. 2. Progn. 60. proponit ea signa, quibus Hipp. vult nos cognoscere purulentos, iam suppuratione facta, sed non expurgata; quoniam autem si non expurgentur intra 40 dies, vt dicebat Lib. 4. Aph. 15. ad tabem transeunt; ideo Auic. adducens signa huius transmutationis ad tabem, hoc præcipuum, si intra terminum præscriptum non expurgetur empyema, apponere debuit.

Cap. XVIII. Cum, inquit, *vlcera velaminis penetrantia non consolidari; non penetrantia autem, si sint in partibus carnosis, consolidari posse, si eis succurratur in principio, & non sinantur apostemari.* Quæ tamen nec consolidari possunt, si fiant in partibus neruosis, licet non sint penetrantia. Per velamen, intelligit septum transuersum: hanc enim sententiam desumpsit à Galeno Lib. 5. Meth. Cap. 9. vbi hæc habentur. *Simili modo, & transuersi septi vulnera, quæ foras non perueniunt, in carnosis quidem partibus, subinde coalescere sunt visa, eius motu non obstante; quæ in neruosis eius hærent, insanabilia sunt.* Sane difficilis, grauisque curatio est etiam eorum, quæ in carnosis sunt partibus, si has iam phlegmone occupauit.

Loquens de Vlceribus pulmonis, factis ab humore corrosiuo, & curationis difficultatem exponens, inquit. *Oportet, vt, aut vlcus vlceretur, & fiat fistula, quæ non consolidatur omnino, aut dilatetur &c.* At sciendum est, hanc sententiam, ad verbum exscriptam esse à Galeno Lib. 5. Meth. 14. sed vel Textum Auicennæ corruptum esse, vel eum Galeni sententiam non assecutum fuisse; cum inquit. *Et fiat fistula.* Quoniam, licet Galenus doceat, per exsiccationem vlcus callosum fieri; non tamen fistulam hinc progigni, existimat, cum velit, ex tali vlcere nihil saniei manare, sed tantum exsiccatum esse, vt callosum fiat. Quoniam autem cum callo fit fistula, vel Auicenna, vel interpres eius, ex duritie vlceris deduxit fistulam, sed falsò. Quare ad tuendum Auic. hic erit textus, *vt vlcus siccetur, & fiat callus.*

Hæc Auicennæ verba. *Et vlcera pulmonis magis salua sunt, quàm illa quæ sunt ex genere eschara, cum non sit illic causa ex complexione, & ipso humore, quæ faciat vlcus siccum impetiginosum*, exscripta sunt à Galeno Lib. 5. Meth. Cap. 12. licet satis inconcinnè; quo loco volens demonstrare causam, cur facile curarentur vlcera asperæ arteriæ, orta ex ea pestilentia, adducebat siccitatem vlcerum, ex ea manantem, hæc habens. *Nihil itaque mirum, si etiam ij, quibus huiusmodi exanthemata in pulmone sunt orta, propter vlcerum siccitatem, sunt sanati.* Quod namque in cæteris vlceribus omnibus supra demonstrauimus,

mus, curationi esse propositum, hoc iam ijs, quæ ex pestilentia sunt orta, præstò fuit; omnia namque sicca, & aspera fuere, plurima quidem scabiei; quædam vero etiam lepræ similia.

Testimonium Auicennæ, quod viderit *mulierem phtisicam, vixisse 23 annos, aut parum plus*, est satis suspectum, si eam vere phtisicam supponamus; quoniam, & ratione vlceris putridi, & ratione febris continuæ, & hecticæ, non videtur fieri posse, quin corpus prius fuerit marasmo consumptum. Sed forsan Auic. intellexit hoc, ad mentem Gal. Lib. 5. Meth. Cap. 14. vbi testatur, siccato, & calloso reddito vlcere, hominem longiori vita frui posse. Quare credendum est, hanc mulierem tale habuisse vlcus, ex quo insanabilis quidem est affectus, sed qui tamen diutius perdurare queat; si enim saniosum fuisset vlcus, tanto tempore superstes non potuisset esse.

Cap. XIX. Præter omnes causas vlcerum pulmonis, ab Auicenna enumeratas, superest alia maxime aduertenda, & maximi discriminis plena; quæ si à principio non innotescat, proprijsque remedijs illi statim non occurratur, omnis in cassum curatio adhibebitur. Hæc autem erunt venena, quæ à proprietate talem exulcerationem inducere apta sunt; qualia sunt nonnulla naturalia, & alia artificialia, summa industria à sceleratis viris parata, quæ recensentur inter ea, quæ & determinata dicuntur, & longo temporis spatio mortem inferre patientibus apta sunt.

Cap. XX. Si tabes fiant maxime, vt testatur Hipp. Lib. 5. Aph. 9. *à 18 anno vsque ad 35*, quomodo dixit Auic. quod *leuies, absque pilis, & albi*, sint valde procliues ad phtisin? cum horum temperies sit frigida; adolescentium autem, & iuvenum ætas sit calidior; caliditas autem sit aptior ad suscipiendam phtisin, quam frigiditas.

Cap. XXI. Hoc caput, prout breue est, ita etiam valde diminutum; cum multa supersint recēsenda, ad præseruationem à phtisi. Quare, vel fuit omittendum, vel in eo omnia ad præseruationem necessaria erant describenda. De hac autem argumento alias egi.

Cap. XXII. Dixerat Hipp. Lib. 5. Aph. 11. quod ijs, *qui tabe molestantur, si defluunt capilli, lethale est*. Attamen hic Auicenna scribit, *casum capillorum* signum esse phtisis; cum non phtisis, sed mortis imminentis in phtisi sit signum. *In phtisi*, inquit, *est pulsus fixus, æqualis, cùm velocitate parvus*. Sed quomodo possit esse hic pulsus velox, dubium est; cum hic pulsus sit languidus; cum languore autem non sic celeritas simpliciter. Quare, melius dixit Galenus, Lib. de Puls. ad Tyr. dum hæc habet. *At pulsus est modice celer*; idest in eo celeritas, scilicet comparatione febris. Lib. autem 4. de Caus. Puls. dicebat, hunc pulsum non nimium celerem esse, vt plerisque febricitantiū, quod non detineantur vrente febre. Quare non erat dicendum ab Auicenna simpliciter, hunc pulsum esse cum velocitate parvum.

Et multoties, dicit, *phtisici expuunt lapillos*. At non multoties, immo rarissime id contingit, vt phtisici expuant lapillos. Vnde narrantur ab Auctoribus, tanquam casus singulares; sed nec excretio lapillorum ex pulmone, propriè ex phtisi; sed ex alia quadam pulmonis praua affectione, tum generantur, tum expuuntur. Vnde in nonnullis visi sunt lapides ex pulmo-

ne,

ne, violentissima tussi excreti, nulla præsente, nec imminente phthisi.

Prognosticum illud de *grano, sicut faba, super spatulas* apparente, est quid superstitiosum, & præter artem.

Fen. Decima Tract. V. Cap. I.

Cap. I. SI ea quæ hoc loco Auic. de secanda vena in pleuritide, & alijs thoracis inflammationibus docet, examinanda forent, nimis longus euaderet sermo, & forsan superfluus, cum sæpius, & à pluribus, iuxta Hipp. & Gal. dogmata hanc sententiam perpendentibus, iam hæc explosa sit. Quare, cum perspicuis non sit immorandum, sat fuerit dixisse, hæc Auicennæ præcepta non seruanda esse, vtpote è directò principijs, & Principibus Medicinæ contraria.

Licet Papauer non sit vere narcoticum; attamen suspectum est, ob eius vim stupefacientem, licet lenem, cuius ratione potest materiam nimis incrassare, & coctioni rebellem reddere.

Cap. II. Documentum ab Auicenna traditum, & ab Hipp. Lib. 2. Reg. Acut. 10. exscriptum, quod scil. in *secanda vena, in pleuritide, sit expectanda coloris sanguinis mutatio*, sufficiat ad redarguendam Auicennæ sententiam, quod vena oppositi lateris sit secanda in pleuritide, quoniam si hoc agendum foret, exanimaretur prius æger, quàm vlla coloris appareret mutatio; quæ tamen, in eodem latere secta vena, vtiliter, & facile apparere potest.

Indicationem exhibendi Pharmacum in pleuritide, desumit Auicenna à materia peccante. Si enim inquit, sit alius humor à sanguine, tunc modum euacuandi per pharmacum, docet. Sed hæc est indicatio non accommodata, quoniam quicunque fuerit humor inflammationem faciens, vt etiam ipse inferius testatur, conuenit sectio, vbi adsunt tres illi scopi ab Hipp. enarrati, videlicet, morbi magnitudo, virium constantia, & ætas vigens. Si autem Hipp. aliquando in his casibus, descendit ad pharmacum, non à materia peccante, sed à loco affecto, & à materiæ motu indicationem sumit; vbi enim dolor, eas, quæ sub septo transuerso existunt, partes infestauerit, cum hic sit motus materiæ ad inferiora, nec materia vno loco circunscribatur, tunc descendit ad pharmacum, quæcunque demum fuerit materia; quoniam habet naturam euacuationi obsecundantem, & excretioni per aluum satis paratam.

Alexander Trallianus prohibuit in pleuritide granata, cum omnia adstringentia sint, vt thoraci inimica, repudianda. Auicenna autem inquit: *Exhibere dulcia apud me non est malum*. Sed stando principijs Galeni, cum omne punicorum genus adstringat, licet minus dulcia, quàm reliqua, & omnia adstringentia sint inimica thoraci, nulli dubium, punica etiam suspecta esse, & Alex. sententiam probabiliorem esse.

Auicenna citat Galenum, iubentem, in principio, vtendum esse speciebus *decacore*, idest speciebus diacodion, *quoniam prohibent materiæ fluxionem, & maturant, & dormire faciunt*. Sed Galenus nusquam, quod ego nouerim, hanc habuit sententiam. Quare, credendum non est in hoc, Auicennæ, qui

à Galeno existimans se rem istam exscripsisse, vt eum iure accusaret; cum perniciosam hinc legentes, doctrinam haurire potuissent. Sed Auicenna, vel errauit in Auctore, vel aliquem Galeni librum spurium præ manibus habuit. Quare indignus est Galenus tali calumnia.

De exhibitione tamen ipsius Diacodion in pleuritide, hoc notare volo, quod nusquam exhibendum est, nisi, vt ait Auicen. maxime vrgentibus vigilijs; atq; quidem tunc eiusdem qualitas non paratum cum sapa, vt omnis venenosa fugiatur; sed potius cum melle, ad maiorem absterfionem. Quod si materia fuerit crassa, vt indigeat attenuatione, commisceatur ei oxymel, & alia medicamenta attenuantia, pro ratione materiei peccantis, vt docet Oribasius Lib. 3. Collect. Med. Cap. 19. sub finem.

Cap. III. Docens Auicenna, à quibus in pleuritide sit abstinendum, inter alia, recenset *aquam endiuiæ*. Si autem hæc ei suspecta est, quam ob causam laudauit granata, quæ & frigidiora, & magis adstringentia sunt?

Medicamentum illud ab Auicenna laudatum, in retentione sputi, compositum ex *melle, & flore æris*, mihi est magis suspectum, quam quæcunque alia ab eo proposita; nam licet ratione mellis, adsit in eo abstersio, tamen ratione floris æris, tanta illi inest stypticitas, & morsus, vt censeam hinc maximum nocumentum subsequi posse, & potissimum, cum hæc materia sit metallica, & maximæ caliditatis particeps; quæ duo, in inflammationibus internis fugienda sunt; quod pariter affirmo de medicamento ex pipere, aceto, sinapi, nasturtio, & similibus paratis. Ex his enim ea, in his quibus non facile educuntur sputa, nocumenta metuenda esse suspicor; quæ in simili casu Hipp. Lib. 7. Reg. Acut. 26. ab vsu acris oxymelitis succedere docet.

In vsu medicamentorum exterius administrandorum, notat hoc, quod si materia sit multa, emplastra, & epithemata frigida noxia sunt; si autem est pauca, non nocent. Sed, si loquatur de frigiditate actuali, cum frigidum sit inimicum thoraci, & in pleuritide non conueniant repercutientia, nunquam, siue pauca sit, siue multa materia, erunt administranda medicamenta actu frigida. Si autem loquatur de potentiali; erunt quidem valde noxia, si multa sit materia; quoniam magis eam conculcabunt; sed si pauca sit, erunt quidem noxia, pro ratione materiæ; sed quoniam morbus ex pauca materia non erit magnus; ideo nec noxa erit magna; & ideo, cum inquit Auicen. *non nocent*, intelligantur eius verba comparatiuè, scilicet, quod non tantum nocent, quantum si materia sit multa. Si autem simpliciter intelligerentur, eius sententia est suspecta, cum in nulla pleuritide exterius conueniant medicamenta refrigerantia.

In tradenda curatione pleuritidis siccæ, in qua ante septimã, & aliquando etiam vlterius nihil expuitur, extollit Auicenna curationem traditam ab antiquioribus, in qua, per medicamenta calidiora procedunt ad ruptionem apostematis, licet hoc dicat cum cautela, & obseruatione, & timore esse agendum; & quidem non sine ratione; quia talis curatio est admodum periculosa; cum inflammatione vigente, & cruda, medicamenta calidiora sint potius apta exasperare morbum, quàm lenire, ac proinde mortem, accele-

rare.

rare. Cum autem inquit, ista *magnum, & festinum iuvamentum præstare, cum rumpunt apostema*, aduertendum est, quod si per ruptionem apostematis intelligit, quod locus inflammatus, ex vsu talium medicamentorum disrumpatur, & aperiatur, curatio mala est; tum quoniam cruda apostemata non sunt aperienda; tum quoniam locus affectus in pleuritide, talem non tolerat apertionem; si autem per ruptionem apostematis, intelligit, quod prouocetur sputum, & materia in loco affecto conclusa incipiat expurgati, clarum est, quod vti concoquentibus, tum interius, tum exterius, materiei peccanti proportionatis, est via regia, & tutior, quàm procedere calidioribus, & acrioribus; quoniam ex illis habemus coctionem, cui succedit materiæ excreatio; ex his autem, morbi proritationem, ex qua si quid expuitur, non ratione naturæ dominantis, sed ratione exacerbationis, & morsus, expuitur.

Proposita cura pleuritidis puræ calidę, descendit ad curationé phlegmaticæ; atque in ea, adductis oportunis remedijs, prohibet sectionem venæ, cuius etiam non meminit in melancholica. Sed à quacunque fiat materia pleuritis, dummodo sit morbus magnus, semper secanda est vena; cuius indicationem, non à materia peccante, sed à magnitudine morbi, & virium constantia desumitur.

In melancholica pleuritide, quoniam pendet à materia siccà, quærens humectationem eius, inter alia, exhibet lac asininum. Sed cum in pleuritide sit febris putrida continua, quomodo potest conuenire lac?

Cap. IV. *Si fuerit repletio in peripneumonia, tunc*, inquit, *secanda est vena*. Ex hoc innuens, etiam in alijs casibus non secandam esse, his verbis. *Et similiter quandoque necessarium est in ipsa facere phlebotomiam, si fuerit illic repletio*. Sed præcepta ista Auic. de secanda vena, non sunt tuta, nec Hipp. aut Galeno consentanea. Quare dimittantur, & in hoc sola morbi acuties, & virium constantia attendatur; cum repletio, in sectione venæ nil conferat, nisi ad quantitatem moderandam: præsente enim repletione, copiosus; non præsente autem minori quantitate sanguinem mittimus.

Cap. V. Mithridatium, & theriacam exhibet in empyemate, ad maturandum. Sed cum istæ Antidoti magis faciant ad exiccandum, & absorbendum, quàm ad aliam intentionem, mirum, quomodo dixerit, hæc exhiberi ad maturationem.

Exhibet medicamenta validissima soluentia, ad disruptionem empyematis, sicut *colocynthidem, & pilullas cochias*. Sed vt quid, cum disruptione valide adeo commouere corpus purgante medicamento valido; ex quibus duobus potest succedere syncope, quæ est maximi nocumenti in empyemate.

Cap. VI. An conueniant in phtisi suffumigia, & præcipue ea, quæ *ex arsenico* fiunt, vt docet Auicenna, mihi valde dubium est, cum talia irritantia tussim, pulmones lacerare valde apta sint; quibus diuulsis, vlcus semper magis recrudescit; cuius ratione, credo horum à Galeno nullam factam esse mentionem.

Et quandoque, inquit, *phtisici ingrediantur balneum, ante cibum, & post ipsum*. Sed non explicat, quando hoc conueniat, vel non, quod sic faciendum.

Cum vires sint resolutæ in phthisicis, vel si in principio sint, non conuenit balneum; quoniam hinc vires magis dissiparentur, & vlcus ex humiditate balnei magis putridum redderetur; sed in processu, sanato vlcere, ad humectandum corpus, & renutritionem potest quandoque conuenire.

Fen Vndecima Tract. I. Cap. I.

Cap. I. Ratio qua nititur Auic. demonstrare, cor magis declinare ad partem sinistram, est satis leuis, quoniã inq. situs hepatis est in inferiori ventre, infra septum transuersum; cor autem est in superiori, supra septum ipsum. Quare non erat necessarium, quod cor huc, vel illuc declinaret, ratione positionis hepatis. Quod autem declinet ad læuam partem, est contra Anatomen, & Galenum ipsum Lib. 6. Epid. Sect. 2. Com. 44. & Lib. 6. de Vsu Partium, Cap. 2. & Lib. 2. de Placitis Hippocr. & Platonis Cap. 4. & Lib. 7. Anat. Administ. Cap. 7. Si vero sensus secus suadet, ex pulsu cordis, qui in læua sentitur parte, hoc fit ratione sinistri ventriculi, in quo maior spirituum, & caloris copia viget, quorum ratione, in ea parte magis sentitur pulsare, & eidem facilius omnes passiones communicantur; vel dicamus pro Auicenna, quod cor dicitur ad læuam partem declinare, quoniam, vt habet Lib. 7. de Anat. Administ. Cap. 7. Gal. Vertex eius in eam partem deflectit, licet basis exactè in medio thorace sita sit.

Difficultatem illam antiquam, an cordis magnitudo faciat ad audaciam, & paruitas ad timiditatem, soluens Auicenna, inquit, quod *aliqua animalia timida habent magnum cor, & aliqua audacia habent paruum*. Quod prouenit, quia in illo magno, paruus; in hoc autem paruo magnus viget calor. Adeoque eius solutio sita est in hoc, quod calor multus ille est, qui facit ad audaciam, non magnitudo, vel paruitas ex se; sicuti paucus calor ille est, qui facit timiditatem. Cum autem subiungit. *Verum illa, quæ sunt plurimum audacia, sunt ea, quæ sunt magni cordis*, non superioribus dictis, nec sibi ipsi, vt nonnulli opinantur, contradicit Auicenna; quoniam superius dixerat, magnum cor, cum paucitate caloris, esse timidum, & paruum cor, cum multo calore esse audax; nunc autem, non loquens de simplici audacia, sed de maxima, qualis est in leone, & similibus animalibus, inquit, huiuscemodi animalia magnum habere cor; quod etiam plurimum habere caloris consentaneum est, ita vt supponens audaciam à plurimo calore, timiditatem à minimo prouenire, tres ordines posuerit; quorum primus est ille, in quo magnum est cor, cum pauco calore, & tales sunt timidi. Secundus, in quo paruum est cor, cum multo calore, & tales sunt audaces. Tertius, in quo est magnum cor, cum plurimo calore, & tales sunt audacissimi; deest quartus ordo, non descriptus ab Auicenna, in quo scil. est paruum cor, cum minimo calore, & tales non sunt audacissimi. *Cor non tolerat*, inquit, *nocumentum dolorum, neque apostema*. Quod non toleret apostemata, videlicet, quod hæc patiens, non possit superstes esse, omnibus patet; sed quod non toleret dolores, ita vt his non supersit, experientia ipsa contrarium demonstrat; cum sæpius in corde contingant sæuissimi dolores, qui vel ab arte, vel à natura

sol-

solvuntur. Vnde credo Textum esse corruptum, & legendum esse, *vlcerum*, *seu vulnerum*; quoniam cor verè nec tolerat solutionem continui, nec apostema, ita vt his passionibus superesse queat.

Cap. II. Docens diuersos modos, quibus cor per consensum à cæteris membris patitur, exemplo cerebri, inquit. *Si in cerebro abundet melancholicus humor, in eius substantiam penetrans, qui à cerebro penetret per arterias, vsque ad cor, tunc tremor cordis excitatus, vel animi defectus, & causat tristitiam, & prauas cogitationes, & angustiam. Si vero hic humor, qui in cerebro abundat, & per illud transmittitur ad cor, sit humidus, facit hebetudinem, & pigritiam, & aufert viuacitatem, & agilitatem vitæ, & naturæ.* In qua sententia duo sunt aduertenda. Primum, quod licet in cerebro melancholicus abundet humor, tamen ab eo non potest illius ad cor fieri transmissio; quoniam fluxiones à cerebro non fiunt per arterias. Si autem contingat quandoque, vt cerebri melancholicos affectus, sequantur & in corde læsiones ab eodem humore, non est quod à cerebro ad cor transmittatur; sed quia eius copia exuberat, & ad cerebrum, & ad cor pariter, per vasa influit: quod & de quocunque alio humoris genere affirmo; nec per venas scil. nec per arterias cerebri ab eodem ad cor transmitti; sed vel propter eiusdem copiosam generationem cordi impertiri; vel per proprios cerebri ductus ad idem demandari. Secundò notandum est, quod Auicenna in hac sententia insinuat, animales passiones ad læsionem cordis generari per se in ipso corde; cum dicat fieri, ob humorem melancholicum in corde hærentem, homines tristes, quibus malæ cogitationes, & angustiæ contingant; & ob humorem humidum, in eodem susceptum, hebetes, pigros, & nequaquam viuaces. Quæ sententia ex diametro opponitur doctrinæ Galeni, & Hipp. qui cerebrum animalium, cor, vitalium functionum principium statuerunt. Et licet alterum alterius affectibus compati possit; non tamen per se affecto corde, & non consentiente cerebro, animales passiones excitari; prout nec per se affecto cerebro, & non consentiente corde, vitales produci poterunt.

Inter passiones, quæ fiunt in corde, per consensum ab ore ventriculi, proponit læsionem factam à *vermibus*, & *ascaridibus*. De vermibus concedatur quidem; sed de ascaridibus, qui generantur in extrema intestini recti parte, & qui nullum symptoma verendum inferunt, hoc habeatur, quod ventriculum adeo lædere nequeant, vt his compatiatur cor.

Ex communitate *doloris ventriculi, vel alterius partis, quando vehemens fit, & peruenit ipse dolor ad cor*, inquit, *fieri tremorem, & aliquando interficere*. Sed mirum, quomodo proponens Auic. tot cordis affectus, meminerit doloris cordis per consensum, nec de dolore cordis primario, & per se in corde genito ullum verbum fecerit; cum & hic sæpe fiat, & hinc sæpe periclitentur patientes; cuius etiam doloris meminit Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 2. in principio.

Cap. II. *Pulsus lenis significat humiditatem cordis, & eius durities significat siccitatem*, inquit Auic. Quod intelligatur in his, qui naturaliter se habent: in affectibus enim præter naturam, pulsus potest mollis, vel durus, ex aliqua partium corporis affectione præter naturam esse, corde naturaliter aliter se habente.

Monet

Monet fieri *tremorem cordis, plurimum, propter fortitudinem sensus cordis, ita vt ex qualibet leui causa patiatur*. Sed nisi simul etiam adsit cordis debilitas, non fiet passio; immo iste cordis vehemens sensus, quem Auic. appellat *fortitudinem sensus*, nil aliud est, quàm cordis imbecillitas, ex cordis intemperie non leui genita, vnde ex leui patitur causa. Alias, si Auicenna, per *fortitudinem sensus*, intelligit exactum, & perfectum sensum, cum hic habeat optimā temperaturam, & ab hac membra reddantur fortia, & valida, vt morbificis causis reluctari possint, in hoc casu non læduntur facile à leuibus causis.

Testatur, in fine huius capitis, se vidisse *congelatum morientem cum sudore, & sine sudore*. Sed quid hoc est, cum sudore, & sine sudore? si sudabat, quomodo sine sudore? & si sine sudore, quomodo sudabat? Quare, vel textus est corruptus, vel alternatim est legendus, scilicet, quod quandoque sudabat, quandoque non sudabat; sed nec etiam hæc interpretatio admittenda videtur; quoniam in congelatione, occlusis præter modum cutis meatibus, & repressis ad interna omnibus humoribus, non potest emanare sudor; immo, refrigerato corde, non tantum sudor, sed nec vapor exhalare potest; vt docet Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 4. Com. 29. his verbis. *Igitur, cum frigida intemperie cor ægrotat, calidum vaporem exhalare nunquam reperies, quando iam vicinus morti constitutus æger frigidum reddere spiritum inceperit*. Quod cum fiat in congelatis, quoniam hi morientes, frigidum necessariò expirant, necessariò etiam nec sudare poterunt.

Cap. III. Inter signa calidæ, & siccæ cordis intemperiei, proponit *pulsum velocem, & propriè in constrictione*. Sed cum celeritas contractionis, ex Gal. Lib. 2. de Prognost. ex Pulsu, in principio, sit indicium fuliginosorum excrementorū, quorū ingentē copiā colligi, expurgariq; eo tempore opus est; corū magna autē copia coaceruetur in putrescētibus humoribus, non videtur in tali temperatura, absque febre, posse fieri celeritatem contractionis. Quod si in hac aliqua fiant, pauca erunt, nisi prauis abundet humoribus, satisque erit proportionata ad dilatationem, celeritas contractionis: ex prauis enim humoribus plura eleuantur fuliginosa excrementa; ex probis verò, pauciora; cuius quantitatis proportione, non autem temperaturæ, modò celerior, modo minus celer debet esse contractio.

Cap. IV. *Quando fuerit insignis intemperies in corde, siue calida, siue frigida, siue sicca sine materia*, inquit Auic. *incipit corpus procedere in via phtisis, & liquefactionis*. In qua sententia notandum est, quod phthisis hoc loco non sumitur proprie, videlicet pro corporis extenuatione, sequente vlcus pulmonis, cum parua febre; sed potius, ex vi illius vocis, quæ à Græcis phtoe, à Latinis dicitur tabes, seu marcor. Sed quoniam Arabes non habebant has voces distinctas; ideo postea Auic. conatur declarare, quomodo per phthisin, non intelligat illam quæ fit à pulmone.

Cap. VI. Loquens de animi accidentibus, seu affectionibus, *in corde imprimentibus*, inquit, *quod ira raro interficit*, quasi affirmans, iram aliquando interficere. Galenus tamen, absolutè loquens Lib. 2. de Sympt. Caus. Cap. 5. & rationem sui dicti exponens, hæc habet. *At ab ira nemo interijt, vtpotè nec calore perfrigerato, nec eius robore soluto.*

Cap. VI. Loquens de venæ sectione administranda in passionibus cordis, & docens quæ vena secanda in his affectibus veniat, hæc habet verba. *Et repletio quidem sanguinea remouetur phlebotomia basilicæ dextræ; sed repletio vaporosa, phlebotomia basilicæ sinistræ*. At quæ potest esse ratio huius diuersitatis, cum ab eodem loco semper detur indicatio secandi easdem, vel proximas, non è directo oppositas venas? Nisi Auicenna existimauerit, cum in dextro cordis ventriculo maior sit copia sanguinis; in sinistro autem sit maior copia spiritus, quod abundante sanguine in corde, sit secanda basilica dextra, quæ sit è regione dextri ventriculi; abundante autem vaporoso spiritu, sit secanda basilica sinistra, è regione sinistri ventriculi. Attamen Galenus indistinctè, quæcunque sit materia, in affectibus cordis secat semper basilicam dextram; vt habet Lib. 13. Meth. Cap. 21. nec sine ratione; cum sit maior communicatio vasorum, & venarum in dextro latere, quam in sinistro, in quo non videtur vnquam magis conuenire, quàm in dextro, sectio venæ; nisi cordis passio per consensum fuerit ab aliqua parte, quæ sit in sinistro latere, vt puta à liene; cuius ratione, potest conuenire in affectibus cordis phlebotomia basilicæ sinistræ.

Docens canones obseruandos in alterandis complexionibus cordis, tradit obseruandum elegantissimum pręceptum, cum calidam cordis intemperiem ad oppositam permutare intendimus, dicens, in hac curatione nos non debere vti pure refrigerantibus, sed cum his etiam, aliqua medicamenta calida esse admiscenda, quæ spiritus ipsos vitales, qui sunt calidi calore innato, non præter naturali, possint conseruare, non autem lædere, vel extinguere. Attamen Galenus oppositum statuit Lib. 10. Meth. Cap. 9. dum in curatione hecticæ, applicat cordi, & thoraci medicamenta purè refrigerantia; nec tantum purè refrigerantia, sed etiam actu talia, quale est illud suum ceratum simplex, & succi hęrbarum frigidarum, cum polenta, & alia similia; quæ insuper, cum incalescunt, remoueri, & subinde mutari, ac rursus apponi frigida iubet. Sed forsan diuersa est ratio Galeni, ab Auicenna; quoniam Galenus curat morbum vniuersalem totius Corporis, qui licet habeat sedem, & originem in corde; tamen est passio totius, cum à corde in totum corpus diffundatur; atque adeo, non tantum cor, sed etiam cætera membra consentiunt in eadem intemperie; & ideo visus est, ad tollendam illam intemperiem calidam, in corde sedem habentem, sed & reliquis exterioribus membris impertitam, purè, & actu refrigerantibus; quoniam, & ab his refracta medicamenta, cum perueniunt ad cor, facultate integra, non sunt purè, & actu refrigerentia, nec possunt cor multa afficere frigiditate. At Auicenna loquitur de proprijs cordis passionibus, quæ non impertiuntur alijs partibus; sed tantum sunt peculiares cordi, qualis est palpitatio, tremor, syncope, & similia; in his enim, purè refrigerantia suspecta sunt, licet intemperies opposita sit calida; & ideo in tali casu, Auicennæ præceptum seruandum; nisi tamen cordis intemperies calida fuerit admodum insignis: in exupęrantia quippe caliditatis, pure refrigerantia conuenire possunt, nulla ex eis metuenda læsione; at vbi remissior fuerit hæc caliditas, tutius erit admiscere refrigerantibus aliqua calefacientia,

tia, quàm illis solis vti.

In curatione complexionis siccæ cordis, laudat, *sumere in potu, aquam frigidam*. Sed cum aqua substantificè humectare nequeat, quid proderit in sicca cordis intemperie? nisi forsan faciat ad prohibendam maiorem siccitatem, & ad conseruandam cibi assumpti humiditatem; alias enim, aqua magis lædere, quàm iuvare est apta.

In curanda cordis intemperie calida, & humida, monet patientes *vti debere coitu*. At cum Veneris vsus principalium membrorum potius languorem, quam robur conciliet, si hæc laborauerint, non erit tutus eius vsus. Et licet hic possit exiccare, tamen, ratione resolutionis spirituum, poterit etiam lædere. Quare censeo, ab intemperie cordis humida, & calida non sumendam esse Veneris indicationem, vtpote quæ cum corde nihil commune habeat; sed potius censendum esse, in tali cordis intemperie, si patientes plurimò abundent semine, Veneris vsum non esse infensum, sed tolerabilem; adeo vt hic sit sensus Auicennæ, quod in affectibus cordis, sit à Venere abstinendum, præterquam in calida, & humida intemperie, quæ Veneris vsum potest tolerare; non autem quod iubeat, ad tollendam hanc intemperiem, patientes Veneri indulgere.

Quomodo Auicenna, existimans coriandrum siccum esse frigidæ complexionis, opponatur Galeno, rationi, & experientiæ, alias scripsi; quare non est quod hic eadem repetam.

Fen Vndecima Tract. II. Cap. I.

Cap. I. COr tripliciter mouetur. Primo ab insita facultate, ad tutelam proprij caloris, excernendo fuliginosa excrementa, & spiritum frigidum hauriendo. Secundò, à materia subeunte, & erumpente per poros, & cauitates eius, cuius vi, seruato eodem loco, eleuatur, & deprimitur. Tertiò, causas morbificas, & lædentes eodem fugiente, eisdemque reluctante. Primus motus fit ab innata, & propria cordis virtute, instituta à natura, ad conseruandum calorem innatum, vitæ nostræ fontem. Secundus fit, non à materia; sed à vapore crasso, qui sit aptus discurrere per poros, & meatus sensibiles cordis; qui motus, vt in alijs partibus, ita & in corde appellatur palpitatio. Tertius motus fit ratione eius virtutis, quæ à natura omnibus partibus insita est, per quam noxia refugiunt, eisdemque reluctantes, offendentes causas propellere nituntur. De primo motu hic non agit Auicenna; cum hoc loco, cordis morbos, non eius facultates innatas, & vitæ vtiles perscrutetur; sed agit de reliquis duobus motibus; quoniam sunt præternaturales, & morbosi, sub nomine tremoris, licet cor, cum non sit musculus, tremere nequeat, vtrumque comprehendens: nam per tremorem, intellexit Auic. non proprie tremorem dictum, sed quęcunque motum cordis, qui magnus, & sensibilis sit ægrotanti, genitus à causis præternaturalibus, & morbificis. Vnde valeant, qui palpitationis nomen huic adscribunt; cum palpitatio vnicum tantum motum præter naturam cordis exprimat; multi autem sint, quibus cor contra naturam mouetur,

præter palpitationem; cum plurimas causas præter naturam, de quibus in progressu, refugiens, eisdem reluctatur, noxia à se propellere contendens.

Cum inquit Auic. *Et causa eius, est omne, quod lædit cor ex eis, quæ sunt in ipso, aut in panniculo eius, aut continuantur ei ex membris vicinis communicantibus ei.* Si intellegit, quod omnia lædentia, ex enarratis ab eo, faciant tremorem cordis, hoc non esset admittendum; quoniam multæ fiunt læsiones in corde à recensitis causis, quæ tamen in palpitationem non degenerant. Quare, intelligendum erit, quod vbi sit tremor cordis, hic necessariò consequatur aliquam ex enarratis causis.

Materias tremorem cordis excitantes exponens, enumerat sanguinem, humores serosos, melancholicos, biliosos, & præter hæc, flatum. Sed addendum est, quod non expressit Auicenna, quod sanguis copia tantum; humores autem serosi, & copia, & qualitate; melancholici verò, tum biliosi, potius qualitate, quam copia tremorem inducunt. Flatus autem, & vaporosa materia duplici nomine hunc affectum producit. Primo, penetrans, & recurrẽs per poros; atque ita efficit palpitationem tantum. Secundo modo, conclusa, vel in ventriculis, & arterijs cordis, vel intra pericardium; & tunc constituit tertiam tremoris speciem. Læsio autem est multiplex; quoniam hæc materia potest esse plurima, quæ proinde coarctans cor, & motum naturalem eiusdem impediens, tremorem facit; cui potest accedere simul praua qualitas, quam cor refugiens, cogitur tremore concuti.

Inter causas tremoris, enumerat simplicem cordis intemperiem, dicens, hoc inde fieri: quoniam *omnino complexio dominans facit debilitatem, & ita omnis debilitas afficit cor, & residuum virtutis in corde remanens, facit agitationem quandam, ad similitudinem expellentis aliquid noxij à se.* At Gal. Lib. 2. de Præsag. ex Pulf. 21. docebat, corde intemperato existente, debilique inde reddita facultate, non posse fieri inæquales pulsus, nisi exhaustis, humoribus, vel inæquali temperie cor laboret. Si autem hoc, quomodo pura intemperies potest excitare tremorem? Quare, non sufficit sola intemperies, ad hunc efficiendum; sed requiritur pręterea, vt vel virtus exhauriatur humoribus; vel cor inæquali laboret intemperie. Sciendum tamen est, quod ista cordis intemperies, cum possit esse duplex; altera in succis proprijs cordis; altera vero in eiusdem partibus solidis; quæ est in partibus solidis, non potest, ad mentem Galeni, inducere talem motum præter naturam; sed tantum ea, quæ est in succis, vt idem docebat Lib. 3. Præsag. Ex Pulf. 44. A. Vbi babet hæc verba. *Quæ causa etiam fit duplex; altera in succis eius proprijs; altera in partibus solidis. Illa ex succis, perfecta, vnà cum totius corporis palpitatione fit; hæc verò ex solidis partibus, absque palpitatione.* Ex quo Gal. loco habeatur, etiam contra quosdam, qui se Galenistas profitentur, quod non semper Galenus, per cordis palpitationem, intelligit veram, & propriè dictam; cum hic intelligat motum quendam cordis præter naturam.

Existimauit Auicenna, omnem intemperiem simplicem cordis posse inferre tremorem. Quod licet rationi consonum videatur; tamen non ita probatur experimento, in passiuis qualitatibus, prout in actiuis. Vnde, in hecticis,

ćticis, & marasmatis non videmus tremorem cordis succedere, nisi ex propria causa antea fuerit.

Loquens de tremore facto à *subtilitate sensus cordis*, inquit, *hunc facile fieri ex qualibet leui causa*. Quare, per *subtilitatem sensus*, intelligamus id, quod valde sensibile est, quod indicat debilitatem, & intemperiem cordis; sicuti enim in vulneribus caro valde sensibilis est, & valde intemperata; ita, etiam, cui cor acuti est sensus, idem intemperatum, & debile habet.

Cum docet *fieri tremorem per consensum à pericardio, patiente, vel apostema aquosum, vel durum*, allúdit ad historias enarratas à Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 1. Ex quibus tamen non habetur, ea animalia palpitationem, vel tremorem cordis passa fuisse, sed tantum hęc enarrata fuere à Gal. vt suaderet quod perinde ac in animalibus, ita etiam in hominibus pericardium possit aqua abundare, & varios tumores pati.

Proponens causas tremoris per consensum ab ore ventriculi, inquit, *quod quandoque causatur propter tremorem in ore ventriculi*. Qui tremor incipiens ab ore ventriculi, tandem propagatur vsque ad cor. In quo duo hęc animaduerto. Primo, quod de tremore ventriculi agens Galenus, Lib. de Sympt. Diff. Cap. 4. docet, modum cognoscendi hunc tremorem. Secundo, quod hęc passio non est passio oris; sed totius ventriculi, idest eius partis, quę cibos complectitur, vt ibidem docet Galenus. Quare, si Auicen, tueri volumus, vel impropriè hìc locutus, per os ventriculi, ventriculum, ipsum intellexit; vel Textus corruptus est.

Cum inquit. *Si quis conqueritur post ægritudines, & habet nauseam, & vomit choleram plurimam, & non remouetur nausea, est malum, & indicat spasmum in stomacho*. Intelligamus spasmum in stomacho, idest convulsionem per consensum ab ore ventriculi; qualem passus fuit iuuenis ille, de quo Gal. Lib. 12. Meth. in fine, & Lib. 5. Aph. 5.

Cap. II. Quoniam palpitatio cordis, ex Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 1. est duplex; alia *simplex*; *alia cum sensu, ac si cor nataret in aqua*. Ideo Auic. proponit hunc sensum, pro signo eius palpitationis, quæ ab humiditate, idest, ab humore aquoso generatur. Attamen, sicuti ex dictis Galeni colligi potest, in hoc tremore duo sunt inuicem distincta; quorum primum est, propria palpitationis causa; secundum, copia humoris aquosi in pericardio; quę est causa, ob quam cor videatur natare in aqua; atque hæc duo non coincidunt, ita vt vnica sit palpitationis causa.

Cap. III. Monet, in *sanguineo tremore secandam esse venam; in alijs purgandum esse*. At ex Galeno; cum hic morbus sit magnus, si vires constent, quicunque peccet humor, secanda erit vena.

Curans tremorem per consensum à ventriculo, ad euacuandum, vtitur hieris magnis, pulpa colocynthidis, & similibus medicamentis validis. At, quod hęc conueniant in hoc affectu, nec ratio persudere potest; hęc enim medicamenta trahunt ab vniuerso corpore, non à solo ventriculo, & potius apta sunt lędere ventriculum, quàm prodesse; pręter id, quod etiam cordi infensa sunt.

Inter medicamenta *magni iuvamenti*, enumerat *potum buglossæ in tempore somni*,

somni, noctibus continuis. Sed, quod sit hoc somni tempus in nocte, erat declarandum; quoniam, si per tempus somni, intelligit tempus, quo ad dormiendum se componunt patientes, quid poterit prodesse hoc medicamentum super epotum cœnæ, & cum cibis commistum? qui casus erit similis ei, in quo mulsa, post ptisanæ sorbitionem exhibetur. Casus ab Hipp. lib. 3. Reg. Acut. 21. damnatus. Quare melius est, vt ieiunio, vt præcipit in sequentibus medicamentis, exhibeatur.

Curatio tremoris cordis cum nausea, proposita ab Auic. potius respicit symptoma sedandum, quam tollendum morbum. Quare melius erit, præparata materia, vti medicamentis soluentibus, quæ, & materiam peccantem minuēt, & eam ad partes inferiores, longius à regione ventriculi diuertent; quo penitus eius generatio prohibeatur, & ventriculus, membrum recipiens, roboretur.

Cap. IV. Inflammationem incipientem in corde curat *solo potu seminis mandragoræ, & opij*. Hac forsan ratione; quoniam hęc possunt refrigerare, & sistere sanguinem fluentem ad cor. Attamen, sęuitia huius morbi indicat vt statim sectione venę, & omni reuulsionum, & deriuationum genere potius vtamur, quibus non satisfacientibus, narcotica etiam exhibēda fuerint; non autem autem his solis fidendum. Vnde iure merito inferius Cap. 11. ad hoc, proponit sectionem venę.

Cap. V. Curans tremorem frigidum cum materia, proponit modum iam ab eo expositum, euacuandi per pharmacum; sectionem autem venę, pręsidium omnino necessarium, vbi vires valeant, prętermisit: morbus enim grauis, & valde molestus.

Cap. VI. Recensens syncopes causas, enumerat *resolutionem corporis, non restauratam, & simul famem ingentem*. Quę fames ingens non intelligatur de affectu ventriculi, quo valde appetit cibum; quoniam talis fames, nisi alia causa pręter naturam accedat, non facit syncopen; sed intelligenda de inedia, & magna cibi abstinentia, ex qua, cum deperditum non instauretur, succedit syncope.

Cum docet modum, quo materia oppilans est causa syncopes, inquit, *talem oppilationem propriè fieri in membris anhelitus; quæ tamen quandoque est communis in omnibus venis corporis*. Qui casus est affectus, dictus ab Hipp. 4. Reg. Acut. 23. interceptio venarum, & hic causa ex syncopes cardiacę, de qua alias egimus.

Docens, quomodo syncope fiat ex consensu oris ventriculi, inquit. *Aut quia infrigidat ipsum valde, sicut in bolismo*. At sciendum est, quod in bulimo adest animi defectus, non tantum ex frigiditate ventriculi, ad ipsum cor diffusa; sed etiam, quia cum in hoc affectu sit indigentia, nec cibus ad instaurationem deperditi, resumatur, imminuta substantia membrorum solidorum, sequitur syncope.

Cap. VII. Tradens signa causarum syncopes, inquit, hæc esse *proportionalia signis tremoris cordis, ita vt, si sint debilia, sint signa tremoris cordis; si autem sint fortia, sint signa syncopes*. Quæ sententia videtur docere, quod hęc signa non differant inuicem, nisi secundum magis, & minus; quoniam eadem si sint

minora, sunt signa tremoris; si autem maiora, sunt signa syncopes; ex quibus sequitur hoc, quod ratione causæ, tremor, & syncope non differant, nisi secundum magis, & minus, cum eadem causa, si sit debilior, efficiat tremorem; si fortior, syncopen. At hi duo affectus longe aliter distant à se inuicem, quam secundum magis, & minus; quoniam tremor non semper præcedit syncopen, nec syncope semper sequitur tremorem, quamuis magnum; quod tamen necessariò contingeret, si eorum causæ non differrent ab inuicem, nisi secundum magis & minus. Quare, credo Auicennam hoc sentire, quod ista signa sint *proportionalia*, idest, quod sicut in syncope, signa causarum sunt fortia, quia indicant validam causam; ita in tremore sunt debilia, quia indicant debiliorem causam, quam quæ excitat syncopen; non autem quod sint eadem signa, quæ debilia, indicent tremorem, fortia, autem, syncopen; quoniam omni tremori inualescenti succederet syncope, & omnem syncopen præcederet tremor, & sic tremor foret via ad syncopen, syncope autem esset terminus tremoris.

Cap. VIII. Docens, quale vinum sit exhibendum in syncope, accidente ex causa humoris hærentis in ore stomachi, inquit, dandum esse *vinum subtile quidem, sed in quo sit residuum virtutis stypticitatis, quamuis sit fortis hæc virtus in eo, quod recens est*. At sciendum, ex Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 4. quo loco docet exacte vina conuenientia syncopi, damnari vina austera in syncope, cuiuscunque demum generis sit. Vnde dicebat, *Austera vina ventriculum roborant, caputque inter cætera minime tentant; cæterum digestionem in corpus non promouent, quo magis fugienda tibi in syncope prehensis sunt, non minus quam aqua*. Quare, si vina styptica digestionem in corpus non promouent, quod primo intenditur in exhibendo vino, reuocandis à syncope, nulli dubium, quod huiusmodi vina non conueniunt. Galenus quidem, in syncope à bile, os ventriculi obsidente, exhibet vina natura austera; vult tamen, quod ista præ vetustate, omnem vim adstringentem amiserint, dicens. *Commodissima igitur his vina sunt, quæ cum naturaliter austera sint, sensibilem iam adstringendi vim, propter vetustatem, non amplius exhibent; calorem tamen admodum euidentem habent: omnia enim, quæ requirimus in ijs, quorum stomachus amara bile vexatur, efficient*. Hæc Gal. Ex quibus clare liquet, eum admittere quidem vina naturaliter austera; sed quæ non amplius ab antiquitatem, vim adstringendi retineant. Quare Auic. in hoc, vel Galeno, & rationi non consensit; vel Textus eius fuit, negans, qui forsan corruptus; cum ad mentem Galeni debuerit dicere; *sitque vinum magis penetrabile, & melius, & melioris saporis, eo, in quo non est residuum stypticitatis, quamuis sit illa virtus fortis in eo, quod recens est*.

Curans syncopen à materia, dicebat. *Et si est syncopes causa materia, tum, si est possibile, vt expellatur materia cum vomitu; cuius speratur facilitas, aut cum clystere, aut phlebotomia, fiat illud*. Hic aduertendum, quod stante, & perdurante syncope, vomitus, quoniam concitat naturam, est prouocandus; clysteres etiam ad eandem excitandam conuenire possunt; at sectio venæ nequaquam; mittere enim sanguinem in patiente, dum actu syncope laborat, est necare hominem; atque adeo nec Gal. Lib. 1. ad Glauc. curans syncopen,

copen ex inflammationis magnitudine, meminit sectionis venæ. Quare intel ligatur Auic. de phlebotomia, in cura præseruatiua; vel saltem, si loquitur, dum viget syncope, deferatur hæc eiusdem sententia, cuius nec ducem, nec rationem habuit.

Paulo post subdit. *Et si fuerit causa doloris, stupefac illum dolorem, si non est possibilis abscisio causæ eius, sicut curatur colica cum philonio, & similibus ei.* At cum narcotica debilibus viribus, imminutoque calore innato, ob metum eiusdem extinctionis, non conueniant, nec vigente actu syncope, talia exhibenda erunt; sed tantum ad prohibendam futuram syncopen: hæc enim fuit cura dolorum apud Galenum. Immo hic Lib. 1. ad Glauc. curans syncopen ex dolore colico, vel iliaco, ne verbum quidem fecit de stupefacientibus, dicens. *Animi vero defectus, qui intestini laxioris doloribus, aut ilei, aut similibus vehementibus cruciatibus fiunt, ex patientium locorum concalefactionibus, frictionibusque extremorum præcipuè curantur.* Quare dimittantur narcotica, præsente syncope, solumque admittantur, vbi immineat eiusdem periculum.

Docens, vinum in omni genere syncopes conuenire, excipit quatuor casus, dicens. *Nisi aliquid prohibeat à vino, sicut apostema, aut humor immaturus, aut solutio uentris, aut soda.* At Gal. Lib. 1. ad Glauc. à quo forsan hęc exscripsit Auic. longè melius, & clarius has exceptiones proponit, dicens. *Sed aduertendum est an aliquid sit quod prohibeat hanc vini exhibitionem, neluti si unum aliquod ex uisceribus inflammationem patiatur, aut caput uehementius doluerit, aut passio aliqua, quæ delirare cogat, aut febris accedens in morbo crudo.* Vnde patet, cum inter hæc quatuor enumeretur solutio ventris, vel errasse Auic. in hoc; quoniam solutio ventris nihil habet quod prohibeat vini exhibitionem in syncope; vel textum corruptum esse. Vnde non *solutio uentris, sed deliratio mentis*, legendum.

Cum inquit. *Et paroxysmo syncopes siccitatis, aut cum siccitate, oportet ut succurratur naturæ, cum bucellis panis in aqua granatorum;* alludit ad historiam Galeni, relatam Lib. 10. Meth. Cap. 3. Verum, non ratione siccitatis, ita nutriebat Gal. sed quia corpora eorum, qui natura stomachum biliosum habent, & qui facile iniurijs patent, ex inedia promptè in syncopen incidunt. Vnde Galenus, ad hanc vitandam, eo vtebatur victu. Si autem ex siccitate pendeat syncope, non adstringentia, & siccantia, sed humectantia, & laxantia potius, conueniunt, qualia sunt vina ad dulcedinem vergentia.

Cap. IX. Cum dicit, casum hunc virtutis contingere, *vbi non est dolor, nec solutio uentris, nec apostema magnum, nec euacuatio magna*, vult dicere Auic. hunc affectum non accedere ex causa manifesta: fit enim tantum ab humoribus conclusis intra venas, & arterias, casque obstruentibus, & oppilantibus; ex quo sequitur, vt ab his calido, & spiritu innato fere extinctis, facultates partium cōcidant; & licet nerui nullam patiantur obstructionem, partes tamen motui dicatæ, destitutæ proprio calore, inualidæ ad omnem actionem reddantur. Vel, hic affectus fit ex abundātia humoris pituitosi vitrei, os ventriculi, & ventriculum ipsum obsidentis, cuius ratione, communicata hæc

O 2 frigi-

frigiditas reliquis neruosis partibus, ineptæ euadunt ad omnem motum, vt sæpe experientia compertum, ex tali affectu statim concidere in patientibus vires omnes, præsertim autem motrices. Cum autem inquit. *Illud autem quod sæpius est, vt sint causa humores grossi in stomacho, aut in uenis, oppilantes uias anhelitus*. Si per vias anhelitus, intelligit tantum vias organorum spiritalium, in thorace contentorum, sententia hæc, nec experimento respondet; videmus enim etiam in catarrho præfocante, vires non concidere, nisi ex præfocatione præcedente; nec rationi consentanea est; quoniam ista obstructio potest quidem facere anhelitus difficultatem; non tamen virtutis casum. Quare ego legerem, *uias spiritus* non autem *anhelitus*, & per *vias spiritus*, intelligo omnia vasa deferentia sanguinem, & spiritus simul; qui casus est ab Hipp. Lib. 4. Reg. Acut. 23. descriptus, nomine interceptionis venarum.

Præter huius affectus duas prædictas causas, tertiam adducit Auic. docens, fieri hunc virtutis casum *quandoque, propter subtilitatem humorum, ex quorum resolutione, & præcipuè in febribus*, corruunt omnes virtutes, tam motrices animales, quam vitales, qui est casus propositus à Galeno Lib. 12. Meth. Cap. 6.

Cap. X. *Cura eius quæ est ex repletione*, inquit Auic. *est phlebotomia; eius uero quæ est ab humoribus grossis, cura est purgatio facta hora cessationis*. At cum morbus iste sit magnus, à quacunque fiat causa, semper secanda erit vena, duabus his cautionibus obseruatis. Primo seruatis his, quæ docuit Hipp. Loc. cit. Tex. 20. videlicet, quod præmittantur fomenta, & frictiones; secundò, seruata conditione tradita ab Auic. in cura eius, quæ est ex *humoribus grossis*, videlicet, vt hoc fiat tempore cessationis, id est cum ægrotantes vacant à paroxysmo syncopes, & absoluti defectus. Factam autem venæ sectionem sequatur purgatio; ex Hipp. quinetiam Loc. cit. Quid autem in hoc casu sit agendum, alias scripsimus, cum de syncope cardiaca egimus.

Cap. XI. Non potest cordis inflammationis indicium vllum haberi, absente febre vehementissima, & æstuosissima. Quare, vel sub inflammatione vehementi, hanc intelligamus, vel hanc, alijs adductis signis addamus.

Auicenna, Græcos, à quibus plurima, & præstantiora exscripsit, imitatus, egit de prænarratis cordis affectibus, duos prætermittens, quorum essentiam, & curationem, cum sint maximi momenti, docere tenebatur. Alter est cardiaca affectio; alter verò cordis dolor. Per cardiacam affectionem, hic non intelligo affectum illum, qui fit ratione prauorum humorum, os ventriculi affligentium, cuius Galenus sæpius, cæterique Græci meminere; sed cum, cuius causa malè affecto corde, calor innatus dissoluitur, corpusque vniuersum, continuis sudoribus diffluit. Huius autem affectus meminit semel Galenus, quod ego nouerim, Lib. de Theriaca ad Pisonem, dum vires Theriacæ recensens, dixit. *Porro maximum ipsius opus sæpe in cardiacis innotescit*; quippe, dum corpus *multis, continuisque sudoribus diffluit, & robur ipsius dissolutum est, neque frequenter tolerari morbus potest, antidoti potio, & sudores sistit, & virtutem collabentem ueluti erigit, ualidamque efficit*. Auctor vero Finitionum Medicarum scripsit. *Cardiaca dispositio est innati roboris labefa-*

labefactatio, *& languor*. Quoniam autem languor hic innati roboris, fieri potest, vel ore ventriculi, vel corde ipso patiente, vtriusque causæ meminit; at de prima non loquor; sed de secunda. Aetius Lib. 9. Cap. 1. egit de Cardiacis; sed in eam sententiam delapsus, vt fieri per passionem, & afflictionem stomachi, hunc affectum censeat, multa (quoniam hæc forsan ab aliquo antiquiori Methodico exscripserat) confusè, in enarrandis signis, & explicanda curatione eiusdem affectus adducens: inter signa enim, proponit, cardiacos, acuta, & valde æstuosa febre prehendi; quod sicuti rarissimum est, ita etiam fallacissimum. In curatione autem, modo refrigerantia, & constringentia; modo calefacientia, & rubificantia administrat; quodque magis absurdum, si hic affectus ab oris ventriculi læsione dependet, vt monuerat, nulla methodo, & ratione egit, dum exteriora administrans, oris ventriculi curationem prætermisit. Cęlius Aurel. Lib. 2. Acut. Morb. à 30. Cap. vsque ad finem Libri de Cardiacis, licet Methodicus, fusè adeo de hoc egit, vt pauca desiderari possint; qui licet de loco affecto dubitans, censeat Cap. 34. hunc affectum, Methodicorum more, non cordis; sed totius corporis esse solutionem, nihilominus, & curatio per medicamenta thoraci adhibita; & resolutio vniuersi corporis, quæ non nisi per resolutionem cordis sequi potest, certò persuadere possunt, cor ipsum in hoc affectu principaliter læsum esse; & potissimum, cum Cęlius ipse signa tradat distinguentia cardiacos, ab his, qui stomacho patiente, sudauerint, & exoluantur; qui etiam docet, hunc affectum, cum febribus, & sine febribus contingere posse. Quæ omnia, tanquam veritati maxime consentanea, attentè animaduertenda sunt, in primis, cum hic affectus sæuissimus sit, sæpiusque in ægrotantis perniciem, quàm in salutem terminetur; licet Recentiorum medicorum notitiam, cum dogmatici, & Græcorum, Arabumque asseclæ, nihil certi de eo ordine tradiderint, fugiat, vt propterea, vel negligatur, vel male curetur. Curatio autem à Cęl. Aurel. adeo exquisite, omnibus singularibus casibus consideratis, traditur, vt nihil de ea mihi dicendum videatur, præterquam, resecanda esse nonnulla, quæ Methodicis peculiaria, à Dogmaticis autem aliena sunt; hoc vnum tamen moneo, huius curationis summam in hoc consistere, vt cutis meatus obducantur, & adstringantur, cordisque spiritus vniantur, ac roboris dissolutio prohibeatur. Quæ per aeris ad frigidum alterationes, per odoramenta, per oris collutiones, per corporis inunctiones, irrorationes, aspersiones actu frigidas, per emplastra, & epithemata, infusiones, linimenta, ad mammam sinistram, actu refrigerantia applicata, nisi vires omnino collapsæ fuerint, quo casu ea tepida administrentur, per sorbitiones, per potiones, per medicamenta cordialia, (in quibus præcipue theriacam, sed aliquo succo, vtpotè, limonum, vel citriorum dilutam ad mentem Galeni, commendo) curamus, vitantes omnia, quæ calorem augere, spiritus dissoluere, corpus rarefacere, sudoresque prouocare queant. Hac autem curandi norma testor me plurimos ab orci faucibus, certò morituros reuocasse, tutòque omnia prædicta remedia, non tantum in non febricitantibus, sed etiam in febre correptis administrasse; in quibus animaduerti, hunc affectum, in fe-

bricitantibus; vt etiam testatur Cælius Aur. quinta, vel sexta accessione superuenisse; qui affectus, ob casum virium, & ob sudorem manantem, accedente aliquando partium externarum frigiditate, præbens speciem febris prauæ, ac pestilentis, dum quandoque calorificis medicamentis, pestilentibus febribus destinatis, à nonnullis curaretur Medicis, integram virium vidi resolutionem inductam; qui tamen, dum prædicta à me methodo, & ratione curatus est, non tantum vlterius progressus non est; sed etiam sublatus omnino fuit, tanta felicitate, vt etiam in puerperis, contra mulierum adstantium, quæ frigida actu medicamenta, & aeris ad frigidum actualem alterationem, in his valde perhorrescebant, & pertimescebant, clamores, & iurgia, ausus fuerim eadem vti medendi ratione; quæ nihilominus tandem, ab omnibus, puerperæ salutem admirantibus laudata fuit. Hęc notasse volui, vt Iuniores hunc affectum animaduertant, rectamque eius curandi rationem adhibeant, nec vsum actu refrigerantium, vrgente casu, timeant; ita enim plurimos, qui perituri forent, à morbo liberabunt, artisque nostræ excellentiam extollent. Atque hæc de primo affectu.

Alter affectus, de quo erat agendum ab Auic. est dolor cordis. Et sanè mirum est, cur Auctores de eo peculiarem tractatum non scripserint, cum de dolore capitis, ventriculi, intestinorum, ac de alijs particularium membrorum doloribus, cum tamen minus corde nobilia sint, ac proinde eorundem passiones minus, quàm cordis sint periculosæ, distinctè tractauerint. Nec est quod dicas, sub tremore cordis, cum in eius tractatu habeamus omnes cordis morbos, siue similares, siue organicos, siue communes, contineri etiam cordis dolorem; quoniam tremor, alius est, & planè diuersus affectus à dolore, & hic est quid distinctum à tremore; dolor enim est symptoma in genere deprauatæ sensationis; tremor autem est symptoma in læsione motus. Sicuti autem hæc duo ab inuicem distincta sunt; ita & causas diuersas habere debent. Quare hæ erant explicandæ, simulque tradenda Methodus, qua his occurrendum sit. Nec quis dicat, tractatum de cordis dolore, iure merito prætermissum fuisse; cum in corde nequeat fieri insignis dolor; nec illi, vel vllus, vel tenuissimus saltem implantetur neruus, vt patet ex Gal. Lib. 6. de Vsu Partium Cap. 18. Quare, si non potest pati insignem dolorem, neque ex dolore grauem offensam perpeti poterit. At licet Gal. perfectam neruorum diuaricationem in cor non fuerit prosecutus; nihilominus ratio persuadere potest, naturam non dereliquisse nobilissimum membrum sine exacto sensu, ne contristantium occursu, aut queat, aut non debeat ad eorum expulsionem insurgere; quod animaduertendum, nunquam satis laudatus præceptor meus Gabriel Fallopius, & exactè sensus cordis causas perscrutatus, satis manifestè demonstrauit, & docuit; in cor scil. insertos esse plures, & sensibiles neruos, quorum ratione, potest noxia dignoscere & persentire; vnde causas morbificas, & dolorificas sentiens sæpius à doloribus conflictatur; de quibus locutus Galenus Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 2. dicebat. *Igitur, vbi dolorificis affectibus molestatur, exiguam, densamque reddit respirationem.* Experientia etiam sæpè compertum, plures à sæuis in corde, non per consensum, sed per primariam passio-

passionem, affligi doloribus; quorum dolorum eædem fuerint causæ, quæ & aliorum, videlicet, omnia quæ vel intemperiem insignem, vel continui aliquam leuem, non dixerim tamen sensibilem, quoniam talibus cor superesse nequit, solutionem inducere possunt; cuius generis sunt, insignis intemperies, vel calida, vel frigida, confertim, non sensim inducta, qualitas venenata, humores acres, flatus, humorum in ventriculis copia, similiaque alia; quibus singulis, pro ratione doloris, occurrendum erit; quanquam contingunt in corde aliquando dolores ex occulta adeo causa, vt non sit fas Medicis, aut coniectura, aut analogia veram doloris causam inuestigare; qualem narrat Antonius Beniu. Hist. 35. deprehensam in muliere, quæ afflicta cordis dolore diuturno, & in dies inualescente, tandem ex eo cruciatu è viuis sublata fuit; cuius in cadauere inciso, tuberculum carneum, mespili forma, supra cordis arteriam, in sinistro cordis ventriculo se exhibuit, in quod, & doloris, & mortis, iure merito relata fuit causa. Casum singularem, & narratione dignum ego etiam præmanibus habeo, cuius historiam, aliorum exemplo, refero. Monialis quædam in cœnobio conclusa, à decimo anno, & quod excurrit, incepit pati, per interualla, quendam dolorem cordis, adeo vehementem, vt anxia, nec loqui, nec moueri queat. Color faciei immutatur, animo linquitur, pulsus deficit, & vt verbo rem expediam, moritura videtur. Huius causam, nec in vterum, quoniam ex naturæ præscripto semper expurgatur, & ieiunijs frequentibus dedita est; nec in aliam aliquam partem; quoniam nullius læsio apparet, retuli; sed morbum ipsum cordis primariũ, & per se esse iudicaui; anceps verò cum essem, an ab humore acri, an à sanguine calidiori, an à vapore mordaci ortum haberet, omnes causas refrigerantes ablegaui; cum à calorificis eam magis molestari, & dolorem exacerbari nouerim. Plurima, & varia tentaui auxilia; quorum tamen nullum contulit, præter sectionem venæ, quæ in ipsa accessione administrata releuat patientem, & à dolore, & à cæteris symptomatibus illum consequentibus. Plura tentaui ad præseruationem, tùm scil. purgationes totius corporis, & alterationes morborum, & humorum, tum cauteria; exhibui plura alexipharmaca, plura medicamenta cordialia, optimam iniunxi victus rationem; attamen nusquam potui, non dixerim, superare morbum; sed nedum eundem demulcere. Vnde spatio annorum decẽ, dolor perstitit, adhucnum atrox, qui nullo remedio, præterquam sectioni venæ cedens, singulis mensibus solet inuadere, modo semel, modo bis. Vnde integri anni curriculo, non minus vigesies sanguis ei mittitur, non minori copia qualibet vice, quàm nouem, aut decem vnciarum; quod sanè mirum, cum ex tam frequenti, & copiosa sanguinis missione, vel morbus declinasse, vel corpus refrigeratum, in cachexiam, vel atrophiam delabi debuerit; quorum tamen neutrum accidit; cum & morbus adhuc vigeat, & nullo alio morbo conflictetur ægra, præterquam asthmate, quo duobus abhinc annis circiter cepit per quædam interualla corripi, non tamen doloris periodis. Quapropter, cum viderim hunc dolorem ita perdurare, totiesque repetere, & soli sectioni venæ cedere, in hanc deueni sententiam, hunc dolorem fieri ex nimia sanguinis copia, in cordis ventriculos irruente; hoc quidem

quidem argumento, quia cor in hac Vestali, plurima polleat facultate attrahendi, qua nimiam sanguinis copiam in se rapiens, sit causa doloris. Hæc autem sanguinis copia, distendens, & inde continui solutionem inducens, in cordis substantia dolorem parit, qui eadem sanguinis copia imminuta, per sectionem venæ, postea imminuitur. Hanc censeo ego esse causam huius doloris, ob dictas coniecturas, aliorum in hoc casu sententiam desiderans; non ita tamen, quin alia abstrusa, & recondita, quæ Medicorum indagationem fugiat, huius possit esse causa: sicuti enim fuit ignotum illud tuberculum, ita forsan, & huius doloris causa ignoratur, quæ forsan fuerit quid latens in corde, vel ei adnascens, vel supperadditum; quod cum sit præter naturam, per quasdam periodos, aliqua ratione recrudescens, sævum dolorem parit; in corde enim huiusmodi adnasci posse, ex analogia illius tuberculi, credendum est; prout & alia, præter naturæ ordinem, ei adnasci testantur historiæ, sine vllo dolore; qualia narrantur de Aristomene Milesio, omnium suæ ætatis virorum fortissimo, in quo, siue Athenienses, siue Lacedæmonij, eum captum trucidarint, inuentum est cor pilis refertum. Quod in latrone quodam deprehensum fuisse Antonius Beniu. Hist. 83. testatur, quæ quidem pilorum generatio, non aliunde, quàm ex summa cordis caliditate, plura fuliginosa excrementa generante, ortum habere potuit; ex qua ingenti caliditate, ille fortissimus, audacissimus, peruicax, ac in omnia scelera præceps euasit; quorum tamen neuter vllum persensit ex pilis illis adnatis, aut dolorem, aut passionem. Quæ omnia, sicut rara; ita etiam sunt mirabilia, & potissimum, cum aliqua adnata cordi dolores pariant; aliqua autem nullam passionem inferant.

Fen Duodecima Tract. I, Cap. I.

Cap. I. IN *Mamilla*, inquit, *propter albedinem carnis glandulosæ* (cum id, quod nutritur, nutrimentum ad proprium mutet colorem, si assimilari, & agglutinari debet) *albificatur illud, quod nutrit ipsam, & albificatur illud, quod superfluit ab ea, & fit lac.* Ex quibus vult, lac esse superfluitatem mamillæ. Sed melius dixit Galenus, docens, lac esse superfluitatem alimenti; non autem ipsius mamillæ. Vnde Lib. 5. Aph. Com. 39. loquens de omni excremento vtili, dicebat. *Hoc quidem commune est omnibus animalis partibus, quæ aptæ sunt humores aliquos vtiles generare, aut ad vsum aliarum partium, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum, quandam veluti superfluitatem alimenti partis ipsum generantis.* Hoc idem affirmabat Lib. 7. de Vsu Partium Cap. 22. dicens. *Postea igitur, quam lac vtilis alimenti est superfluum &c.* Rectius autem dicetur superfluitas alimenti, quam mamillæ; quoniam sanguis ad eam demandatus, totus albus fit, pro eius nutritione; cuius tamen pars sola in substantiam, & in nutrimentum propriè dictum absumitur; reliquum autem, quod huic parti in nutrimentum absumptæ superest, est lac, & ideo alimenti, & non mamillæ est superfluitas.

De venis mammarum animaduerto, Hipp. docuisse, in legitimo eiusdem libro Lib. 2. Epid. Sect. Vlt. *crassam venam in vtraque mamma haberi, quæ maximam*

ximam prudentiæ partem præferat. Quibus sic stantibus, non iniuria affirmauit Lib. 5. Aph. 40. *Quibuscunque mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significari*. Quod idem loco citato, vltimis verbis prædictæ Sectionis, non de mulieribus, sed de omnibus etiam, ex naturæ lege, loquens affirmat, signum proponens, futurum furorem, antecedens collectionem sanguinis ad mammas, dum ita scribit. *Cum quis furere, uel insanire incipit, sanguis in mammis colligitur*. Quę sententię sunt legitimę Hipp. non autem spurię, nec spernendę, licet Galenus talem casum fateatur se non vidisse; nec ita causam huius affectus exactè perscrutatus sit; qui tamen, experientia comprobante, quandoque accidere consueuit, pręcipue in feminis, ex mensium suppressione. Sicut enim, his suppressis, transmissa materia ad mammas, potest, licet Mulier vtero non gerat, in lac conuerti, vt ipse Hipp. & Gal. testantur Lib. 5. Aph. 39. pariter, illis suppressis, potest transmitti sanguis ad mammas, ita feruens, vt à frigiditate mammarum, quantum sufficit non possit alterari; quinimo ipse sanguis, suo feruore mammas alterans, cerebroque propriam intemperiem communicans, furorem, & insaniam inducat; vel influit ad mammas feruens adeo, vt ab eis alterari nequeat, quia talis in toto abundet. Si autem huius conditionis in ambitu totius corporis abundat, talis etiam in cerebro erit, in quo, ob feruorem, potest delirium excitare. Sed animaduertatur etiam, locum illum 2. Epid. aliter legi à nonnullis, videlicet, quod venę illę faciant ad prouidentiam, non ad prudentiam; ad prouidentiam quidem, quia Medicus videns sanguinem ad eas transmitti, & non alterari, possit pręuidere motum sanguinis ad superiora, idest ad cerebrum, si autem ad cerebrum, ergo poterit etiam pręuidere delirium.

Cap. II. *Lac*, inquit Auicenna, *non generatur nisi ex sanguine bono*. Sed si hoc verum esset, semper lac bonum foret, nunquam autem vitiosum. At vitiosum sępe reperitur; & ideo Aetius Lib. 6. Cap. 36. de eo agit, & simul cum ipso alij Auctores tradunt modum corrigendi lac vitiosum; prout & etiam ipse Auic. docet. Quare, vel legendum, vel exponendum est, vt lac bonum non generetur, nisi ex sanguine bono; non enim vera est eius sententia, prolata proprio sensu, ad demonstrandas causas pauci sanguinis, videlicet, quod lac copiosum non generetur nisi ex sanguine bono; cum experientia testetur, plures mulieres vitioso lacte, & vitioso sanguine simul abundare, & ratio dictet, quod vbi sit copia sanguinis, licet praui, sit copia etiam praui lactis, cum lac sequatur naturam sanguinis. Quare, non erit vera hęc sententia, quod lac copiosum non generatur, nisi ex sanguine bono; cum ex multo sanguine vitioso, multum etiam lactis, licet vitiosi generari possit.

Proponens signa lactis pituitosi, ennumerat *odorem, & saporem acetosum*. Sed cum non omnis pituita sit acida, atque aliquæ etiam sint dulces, vel salsæ, hoc signum incertum erit; cum & lac, ex qualitate pituitæ, possit etiam esse vel dulce, vel salsum. Quare hoc signum erit mancum, ad indicandam pituitam, licet pituitam acidam indicare queat, vbi ea adsit.

Inter ea, quæ faciunt exuberantiam seminis, & lactis, quæ coincidere dicit,

dicit, enumerat *lactucæ semen, & papaueris*. At ex Galeno, semen lactucæ cohibet seminis fluxum, & libidinosa somnia prohibet; semen autem papaueris habet vim leuem stupefaciendi. Quare, neutrum videtur aptum ad producendam seminis, vel lactis abundantiam; vnde Textus mihi suspectus est.

Enumerans medicamenta temperata, facientia ad multiplicationem lactis, tandem recenset *raphanum, & furfures in vino cocta*. At raphanus est calidus in tertio, siccus in secundo, vt docet Galenus; furfures autem sunt exiccantes, & detersorij; vinum etiam calidum est. Quare, tale medicamentum nullo pacto temperatum erit; sed si vtile fuerit, conueniet tantum in temperatura pituitosa, sanguinem similem accumulante.

Cap. III. *Lac in mamilla quandoque aggregatur*, inquit Auic. *absque pragnatione, & proprie quando retinentur menstrua*. Dixit propriè; tum quoniam hic est particularis casus, ab Hipp. Lib. 5. Aph. 39. propositus; tum quia etiam alia ratione potest, absque conceptione mulieris aggregari lac in mamilla, non tantum in mulieribus, sed etiam in viris; nam & ex vsu ciborum huic rei idoneorum, & ex confricatione, & suctu papillarum, in vtero non gerentibus aliquando fit lac; quod vidimus contigisse in mulieribus, quæ amatores suos, cum fingerent se grauidas, deceperunt. Quod testatur Aristot. Lib. 3. de Animalibus Cap. 20. hæc habens, *Non prægnantibus aliquando, sed raro, edulijs quibusdam efficitur, vt lactescant, etiam quibusdam mulieribus natu maioribus, suctu frequentiore lac prodijt, & copia tanta, vt infantem enutrire potuerint*. In viris etiam aliquibus vidimus lac effluxisse (sicut etiam affirmat Auic.) quod non negauit Arist. ibidem, dicens. *Maribus magna ex parte, nec bestijs, nec hominibus gignitur lac; fieri tamen potest, vt aliquibus interdum gignatur*. Et paulo inferius dicebat. *Viris post pubem, exiguum nonnullis exprimitur; veruntamen per suctuum frequentiorem, vel multum prodijsse in aliquibus traditum est*. Non solum igitur, quando retinentur menses, potest fieri lac; sed etiam ex alijs causis; & ideo vsus est Auic. illa voce, *propriè*; quia hæc causa accedit ad naturalem; non autem cæteræ, quæ difficile est imaginari, quomodo affectum, quem curaturus est, inferre queant.

Adducens rationem, quamobrem retentis mensibus possit lac in mammis aggregari, dicit hoc fieri, *quia conuertitur materia, quæ non inuenit virtutem expellendi per matricem, propter paruitatem eius, & peruenit in vbere, & fit lac*. Sed oppositum demonstrat experientia; quoniam in illis mulieribus tantum, quæ pluribus abundant mensibus, cum retinentur, fieri lac videmus; secundo est sententia Galeni, qui vult, venas communes mammis, & vtero esse oppletas sanguine; sicut contingit 8 & 9 mense gestationis vteri, si retentis mensibus debet succedere generatio lactis; quod ex exuperanti sanguine ad mammas conficitur, ex Lib. 5. Aph. Com. 39. Quare, non ex conuersione mensium ad vterum, nec propter eiusdem paruitatem; sed ex abundantia, & repletione venarum, mammis, & vtero communium, vbi retenti sint menses, generatur lac.

Inter causas *minorantes lac*, enumerat *humectantia vehementis humectationis*. At humectantia valida faciunt quidem lac serosum, & humidum valde;

de;non tamen illud minuunt; humida enim non possunt minuere sanguinem, licet aquosum illum reddant.

Hic inter *minorantia lac, enumerat semen papaueris*; quod tamen in superiori Cap. docebat facere in pluribus exuberantiam lactis; quod item de semine lactucæ, siue papaueris, siue lactucæ, legamus affirmat.

Ex minorantibus lac prætermisit conuersionem sanguinis ad alias partes, cuius meminerat in sup. Cap. quod tamen in curatione erat apponendum; quoniam in abundantibus lacte, si diuertatur materia ad vterum, lac minuitur.

Cap. IV. Ad facilem lactis *caseationem*, duo concurrunt. Alterum est ex parte materiæ; alterum ex parte agentis. Ex parte materiæ, est crassities lactis, & abundantia in eo partis caseosæ. Vnde videmus, raro in eis mulieribus, quæ serosum lac habent, lac caseari in mammis; at in illis sæpius, quæ crassiori lacte abundant, contingere hunc affectum conspicimus; cuius ratione, à partu facilis est caseatio; quoniam hoc primum lac admodum crassum est, vsque adeò, vt emulsum, post editum fœtum, sine coagulo protinus concrescat, si supra cineres calidos parumper calefiat; quod genus lactis à Græcis pyriaste, huius rei ratione, appellatur, vt testatur Galenus Lib. 3. de Aliment. Facult. Cap. de oxygala; ob hanc rem potissimum, quia facilis est in puerperis, ob crassitiem lactis eiusdem caseatio. Ideo omnes docent, medicamenta prohibentia lactis caseationem in puerperis; quæ causa cæteris temporibus, eandem caseationem efficere potest; cuius tamen non meminit Auic. cum ab hac nihilominus altera pars indicationis curatiuæ desumenda veniat. Hæc de materia. Ex parte verò agentis, *est caliditas extranea*. Vnde videmus, in externis, lac non coagulari, nisi à calido; nam coagulum, ficulneus succus, Gallion, & similia omnia, lac coagulantia, sunt calida; lac etiam schiston, cuius meminit Gal. Loc. citato, quod vel affuso oxymelite frigido, vel mulso, vel demisso in eum vase aquam frigidissimam continente, coagulatur, hoc non patitur, nisi prius abundè calefiat, vel etiam ferueat. Vnde, non ratione frigidorum appositorum per se, quia sic etiam coagularetur lac non calefactum, caseatur lac; sed ratione caloris præcedentis, qui per antiperistasin, magis in lac, & validius agens, illud tunc potest coagulare. Hoc idem affirmabat Arist. Lib. 3. de Animalibus Cap. 20. dicens. *Nullum lac coit frigore; sed igne omne spissatur, & crassescit.* Quare, cum lac non coaguletur nisi à solo calore, non erat proponenda ab Auic. pro altera causa caseationis lactis in mamilla, frigiditas ipsa; quoniam *caseatio* non potest fieri à frigore. Si autem à frigiditate extranea aliquando videatur induci *caseatio*, sicuti ex vsu medicamentorum admodum refrigerantium, hæc, non alia vnquam poterit fieri ratione, quàm ex lactis feruore præcedente; non autem ex ipsa frigiditate per se; vbi enim lac prius non incaluerit, ex vsu talium medicamentorum, & à frigiditate extranea, non fit lactis caseatio; sed compingitur lac in mammis, & omnia vasa coarctantur; quoniam frigidi est condensare omnia; vnde tam contenta, quam continentia, simul vnita, ex illa intemperie, simul comprimuntur; quod non contingit in caseatione, in qua lac tantum, non autem

vasa

vasa coeunt. Quare, vnica statuatur caseationis causa, scilicet caliditas, à qua, sumpta indicatione, proponuntur ab Aetio medicamenta refrigerantia, incidentia, & repellentia. Si autem præcesserit frigiditas extranea, dum adest, tollatur, tanquam causa antecedens; si non adest, curetur affectus, sumptis indicationibus à præsenti affectu.

Hic notentur verba illa Auicen. *Et ex eis quidem, quæ conferunt apostemationi, post caseationem.* Quoniam per hæc, fit distinctio *caseationis ab apostematione*. Ratio est; Quoniam, vt dixi, in *caseatione*, affectus est in lacte, non in vasis, nisi ab eodem; ac in *apostematione* vtraq; iam per se patiuntur. Hanc distinctionem coagulationis à tumore, & apostemate mammarum, animaduertit & Aetius, dum Cap. 35. dixit. *Ad coagulationem vero lactis priuatim &c.* Hoc autem notasse volui, in confirmationem dictorum; quoniam, cum à frigiditate, non tantum lac, sed & tota mamilla afficiatur, simul, & eodem tempore, non potest præcedere ista caseatio apostemationem.

Ad tollendam *oppilationem* factam à coagulato lacte, laudat *Aquam caulium*. Quæ prodesse potest, ratione acrimoniæ, quam possidet brassica. Ipsa tamen brassica noxia est lacti, propter eius exsiccationem; quod non animaduertentes fatuæ mulieres, vtuntur ea ad vbertatem lactis.

Cap. V. Cum inquit. *Et quando caseatur sanguis in mamilla*. Si per *sanguinem*, intelligit lac, impropria est locutio; si autem intelligit verum sanguinem, casus est similis proposito Lib. 5. Aph. 40. & Lib. 2. Epid. Sect. Vlt. ab Hipp. Sed huic, præter proposita ab Auic. medicamenta, alius conuenit curandi modus. Præterea, cum sanguis intra venas nunquam coaguletur, nisi ex causis alias adductis, potest, his absentibus, in mammis colligi, & tamen non coagulari. Quare, si legimus, *sanguinem*, intelligamus illum, qui ad mammas iam fluxus, nondum perfectè, & omnino sit mutatus in naturam lactis, licet non longius absit; atque hic poterit coagulari, cum non sit sub propria sanguinis forma; vt exemplo patet in puerperis, quibus copiose fluente sanguine, nondum tamen perfectè in lactis substantiam immutato, facilis est eiusdem caseatio; quæ tamen non est veri sanguinis, sed eius, qui fit lac, nondum tamen factum est.

Cap. VI. Quod notaui de congelatione sanguinis in mamilla, iterum hic ab Auic. repetitur, docente, Post initium apostematis, debere fieri curationem cum Emplastris dictis in Cap. Extensionis, & Congelationis sanguinis. Quare, quid per *sanguinem* hic debeamus intelligere, si Auic. auctoritas non veniat explodenda, ex superiori annotatione habeatur.

Quando dolet caput mamillæ, docet mittendum esse sanguinem. At mirum est, quomodo affecta minima parte mamillæ, tantum præcipiat venæ sectionem; quasi vero non fuerit secanda vena in alio casu mammarum, quàm vbi caput mamillæ doleat. At res longe aliter se habet; quoniam in apostematibus mammarum, præsente plenitudine, vel magna inflammatione, vel grauissimo cruciante dolore, semper secanda erit vena, siue doleat, siue non doleat caput mamillæ.

Cap. VII. Diminutè admodum docet modum curandi apostemata phlegmatica

matica mammarum,quarum tamen accuratior debuit esse curatio;tum quoniam hæc solet admodum esse diuturna; tum quoniam difficillimæ sunt curationis.

Cap. VIII. Nodus in mamilla, est affectus, quo aliqua pars glandulosæ mammarum substantiæ induratur, ad similitudinem strumarum; quoniam, sicut induratis partibus glandulosis, fiunt strumæ in alijs corporis locis, & potissimum circa adenas colli, & inguinis; ita pariter, obdurescente aliqua parte glandulosæ mammarum substantiæ, fiunt nodi. Quare, fuerint hi, sicut & strumæ, inter species scirrhi recensendi. Verum, cum scirrhus aliquando fiat à phlegmate crassiori; aliquando vero à succo melancholico, aduertendum erit, tales nodos pariter à duplici hoc succo produci posse. Qui à phlegmate oriuntur, curationem eandem, ac qui à pituita crassiori gignuntur, postulant; qui autem à succo melancholico, eam desiderant, quæ scirrhis à melancholia pendentibus debetur. Quæ monere volui, ne in ijs curandis, Iuniores, curatione Auic. simplici, & quæ nulla ratione fulcitur, procedant; sed vt materiam peccantem spectantes, rationali Methodo curatiuas indicationes ob oculos habeant, aduertentes, in curatione nodorum, pendentium à succo melancholico, cautè procedendum esse; cum hi facile in naturam cancri desciscant.

Cap. IX. Qua ratione, medicamentis suppurantibus, ad maturandum apostemata mamillæ, stercus caprinum, & stercus columbinum, & nitrum admisceat, difficile est iudicare; cum ista inter valide discutientia recenseantur. Nisi forsan hæc, cum vi attrahendi polleant, materiam ex alto, ad disruptionem apostematis addantur.

Cap. X. Inter medicamenta, quæ Testes, & mamillas paruas conseruant, & crescere prohibent,sæpius vtitur hyoscyamo. At cum sit hyoscyamus adeò virosus, eius vitandus est vsus; quoniam, licet verè incrementum eorum prohibere queat; tamen partes ipsas solidas valida refrigeratione lædit. Vnde tutius est consilium Dioscoridis, qui monet, tantum eo vtendum esse ad excrescentes testes, & mammas, post partum. Quod si hæ partes paruæ fuerint, & nondum excreuerint, tutus non est eius vsus; sicut nec opij, quod ad idem probatur ab Auic. cum sit medicamentum valde stupefaciens, & aptum partem ipsam exitiali noxa lædere.

Cum in fine capitis proponit ad hoc, idem, *alsucharam*, seu hyoscyamum, solum per *nouem dies appositum*. Sciendum est, *cicutam*, non *hyoscyamum*, legendum esse; hoc enim exscripsit à Paulo Lib. 3. Cap. 35. qui hæc habet. *Cicuta in pollinem detrita, ad nouem dies imponitur*. Sed de vsu cicutæ hoc sciendum est, quod quidem prohibet excrescentes mammas in Virginibus, & testes in pueris: at in illis, extinguit vim lactis; prout in his, seminis prolifici generationem; vnde iure Dioscorides dicebat. *Apposita mammis virginum, eas crescere prohibet; Testes autem puerorum exiccat, prohibens eorum nutritionem*. Quare, cautus sit medicus in huiusmodi medicamentorum applicatione; nec ad eorum vsum vnquam descendat, nisi præcedente affectu præter naturam; quo casu, tutius adhibentur.

Fen Decimatertia Tract. I. Cap. I.

Cap. I. CVm, inquit, Auicen. *Quandoque autem fit difficilis deglutitio eius, cuius scinditur Meri in longitudine, &c.* Credo corruptum, vel saltem mancum esse Textum, & legendum, *cuius scinditur tunica exterior meri, in longitudine*; quia sic alludit ad casum adductum à Gal. Lib. 3. de Naturalibus Facul. Cap. 8. quo nititur probare, vtramque tunicam facere ad deglutitionem; quoniam secta tunica exteriori in longitudinem, nihilominus animal deglutit; prout è, secta interna in transuersum, licet cum difficultate. Credo igitur Auicennam loqui de tunica externa, tum ob dictam rationem; tum quia addit, *Ita vt priuetur attractio adiuuans ad vomitum humoris*. Gal. siquidem Loc. Cit. expressit, solam tunicam exteriorem exerceri in vomitu.

Cum dicit, œsophagum, *post quartam vertebram, recedere parumper ad dexteram, dilatando locum venæ venientis à corde*. Recedit à Galeno, qui Lib. 6. de Vsu Partium Cap. 5. docet, œsophagum, post quartam vertebram, digredi ad dexteram, vt locum det meliorem, ac cedat instrumento præstantiori, omnium scil. maximæ arteriæ.

Cum loquitur de peritoneo, ait. *Et illic adueniunt ei duo foramina, apud duo inguina, quæ sunt duæ viæ, &c.* At notum est, ex Anatome, non verè perforari peritoneum; sed in seipsum cogi, & reduci, & infra pubem, intra scrotum, partem eiusdem interiorem, ad vestienda, & succingenda ea vasa, descendere. Quare, in hernia intestinali, licet altera peritonei pars disrumpatur, externa scilicet; interna tamen nunquam disrumpitur, sed laxatur tantum.

Triplicem modum nutritionis ventriculi mutuatus est à Gal. Lib. 4. de Vsu Partium Cap. 19. Sed de tertio modo hoc notandum fuit, quod non in omni subiecto, præsente inedia, aptus est ventriculus puro sanguine, à iecore attracto nutriri; non enim in biliosis temperaturis hoc fieri potest; cum in his, vrgente inedia, non sanguis, sed biliosus humor, & serosæ superfluitates, quæ non quidem nutrire, sed potius lædere ventriculum aptæ sunt, transmittantur; vt docet Galenus Lib. 6. Aph. Com. 50. Quare, illud tantum locum habebit, vbi sanguis benignus abundet; vt rectè innuit Gal. Lib. Cit. de Vsu Partium.

Cap. II. Satis confusè ægritudines œsophagi explicat; cum ex Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. 4. hæ sic exponendæ forent. Oesophagi duplex vsus. Primò, vt via ingesti cibi, & eorum, quæ per vomitum reijciuntur. Secundò, vt instrumentum attractionis assumptorum, ex ore in ventriculum; per quam attractionem fit deglutitio. Quatenus est via, patitur angustiam, aut ex tumore, vel in ipso, vel in vicinis partibus existente; aut ex compressione vertebrarum colli; aut obstruitur, vel à materia crassa, viscida, & tenaci, vel à vermibus, vel à quopiam simili. Quatenus autem est instrumentum attractionis, patitur in deglutitione, ab intemperie, vel simplici, vel composita; vel cum materia, vel sine materia; quoniam quælibet intemperies

insi-

insignis operationem membri labefactat; patitur etiam à solutione continui, sicut ex vlcere, vel vulnere. Præterea, quoniam habet venas intextas, patitur etiam sanguinis fluxum, vel rupta, vel aperta, vel erosa aliqua eiusdem vena.

Quod autem dicit Auic. quod *Gula sæpius patitur ex ægritudinibus communibus, fluxum sanguinis*, experientiæ non respondet, cum rarissimè ex hac parte sanguis fluat.

At præter omnes prædictas œsophagi ægritudines, quæ tum à Gal. tum ab Auicenna simul recensentur, experientia, & ratio perduxit me in cognitionem alterius morbi, in gula contingentis, nempe eiusdem paralysis, qua, statim omnem degluriendi, & sentiendi vim, nullo alio infestante, aut præsente morbo, amittit. Hunc casum cum aliquando in praxi viderim, duo hinc ab alijs non notata, obseruaui. Alterum, quod œsophagus verè paralysin patiatur, cum enim nulla intemperies subito induci queat, hic autem affectus subitò, cum repentina, sensus, & motus abolitione fieret, non ex eius intemperiè, sed ex vera paralysi fieri iudicaui. Alterum, quod deglutitio nō sit purè motus naturalis; sed etiam voluntarius; nā vt eodem affecto patet, etiam nos volentes non posse deglutire, sicuti etiam eo non affecto, volentes, licet cibus ad internam oris partem, vi etiam detrudatur, non deglutimus. Si autem non deglutimus, cum non volumus deglutire, & eo non affecto, volentes, deglutimus, iure inter motus voluntarios erit recensenda deglutitio. Et licet deuorato cibo, & in media gula hærente, non sit in nostro arbitrio, illum, vel reuocare, vel sistere; tamen hoc non prohibet, quominus fuerit voluntaria à principio deglutitio; sicut enim in sternutatione, & tussi, dum irritata natura à causa præter naturam, instrumenta voluntaria excitantur ad hos motus peragendos; quos tamen postea aliquando etiam volentes, vrgente causa præter naturam, sistere non possumus, non euincit, quin hi motus sint voluntarij; ita, in motu isto deglutitionis, qui à principio fuit voluntarius, si eum in medio, & in fine sistere non possumus, cum pariter, vt in illis causa præter naturam, ita in his virtus naturalis vrgeat, non obstat, quin hic motus dicendus sit voluntarius; qui licet non sit in musculoso corpore, est tamen in satis carnoso, & quod suscipit multos villos à sexto pari neruorum, quorum ope, potest, & sensum, & motum habere, cuius sensus, & motus frustratio cum sit vera paralysis, verè etiam dicendum fuit, œsophagum pati paralysin; quam conieci ex obstructione in villis illis susceptis ex sexto illo pari factam fuisse. Hanc autem sententiam mihi hoc confirmauit, quod cum in muliere quinquagenaria obseruatio hic affectus cōtingeret, adeo vt nec deglutire, nec immissa per siphonem sentire posset, nec vllo remediorum genere leuaretur, cepit etiam voce priuari, qua amissa, paucis post diebus vitam cum morte commutauit; quod mihi fuit indicio, eandem obstructionem, quæ in villis gulæ proprijs facta erat, auctam, se insinuasse in integros illos sextæ coniugationis neruos, indeque etiam vocem amisisse. Quapropter hinc concludo, assignatis à Galeno, & ab Auicenna œsophagi ægritudinibus, addendam etiam esse paralysin.

Cap. IV. *Constrictio deglutitoris*, inquit, *aut fit propter causam in ipso Meri*; *aut propter causam vicini eius*. Si per constrictionem, intelligit, vt habet Textus, angustiam, in œsophago, plures causas minus proprias assignat; non enim, præter siccitatem, vlla intemperies simplex potest tantam angustiam gulæ inferre, vt deglutire nequeat æger; sicut nec *casus virtutis*, *& debilitas eius*; hæc enim deglutitionem ex imbecillitate labefactare, aut ex angustia nequaquam possunt. Quare, cum enumeret causas communes, & imbecillitati, & angustiæ, per constrictionem, legerem, *impedimentum, vel læsio deglutitoris*, aut fit, &c.

De Vermibus, sciendum, eos non tantum obstruentes œsophagum, sed etiam in ventriculo hærentes, posse adeo deglutitionem labefactare, ex praua eorum qualitate, & habitu, vt patientes nihil ingerere queant.

Cap. V. Signa apostematis calidi tradens, negat in omnibus fieri febrem; sed tantum in pluribus. At Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 4. addebat, inter signa, febrem, licet non admodum ardentem.

Inter causas subuersionis, assignat *humiditatem malam putrefactam*, *sicuti accidit prægnantibus*. At in prægnantibus, subuersionem ventriculi, appetentias vitiosas, picam, aliaque similia inducunt corrupta excrementa, ad os ventriculi decumbentia, de quibus fusè egit Gal. Lib. 1. de Symp. Causis Cap. 7. non tamen putrefacta. Nisi forsan hic Auic. per *putredinem*, intelligat omne excrementi vitium, & corruptionem; at sic sumpta, impropriè putredo dicitur, quæ quantum differat à corruptione, & à reliquis excrementorum vitiosis qualitatibus, alias notaui.

Cap. VI. Docens curam apostematis, & intemperiei calidæ, sola localia remedia recenset. At cum vniuersalia particularibus sint præmittenda, hoc etiam monendum fuerat.

Exponens signa intemperiei humidæ, inquit, quod *hoc scitur*, *ex communitate superficiei oris*, *& linguæ*. At destillante materia à capite, hoc signum est mancum. Quare, hac destillatione excepta, tantum veritatem obtinet.

De cura siccitatis, hoc aduertendum, quod dum est intemperies inæqualis, curatio Auicennæ conuenit; si autem sit æqualis, non sufficit, quoniam curatio hecticæ tradenda deerit.

Cap. VII. Loquens de apostematibus phlegmaticis, & duris, inquit, quod *eorum maturatio est difficilis*, *& tarda*. At sciendum, quod potius est impossibilis, quàm difficilis horum maturatio; nullus enim locus patiens in corpore, minus adeo commodus applicationi remediorum maturantium isto; & qui patiuntur talia apostemata, & tubercula cruda, diutius quidem, scilicet menses plurimos vitam protrahunt; attamen extenuati tandem, & consumpti ab his pereunt.

Cap. VIII. Ex Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 4. habemus tres ordines apostematum. Primus est calidorum simpliciter; secundus, non adeò calidorum, sed quæ media sunt inter calida simpliciter, & frigida; tertius est frigidorum. In primo ordine vult semper adesse febrem; in secundo, monet tantum accedere febrem aliquando, quę sit similis *ephimeræ*, & horrorem pariter in maturatione eius; in tertio autem, negat, pręsertim si durum sit,

febrem

febrem adesse. At Auic. apostemata primi, & secundi ordinis simul iunxit, communia eorum ponens signa.

Cap. IX. Cui dubium, quod pręsente inflammatione in œsophago, cui necessariò febris succedit, ad diminuendam, & retrahendam materiam, sit secanda vena; de qua tamen, ne verbum quidem Auic. sicut nec de vllo reuulsionis, aut diuersionis genere.

Cap. X. In Apostematibus frigidis, si localibus tantum insistimus, rarò vltimam manum operi imponemus. Quare hic omni genere reuulsionum indigemus; in quem vsum præcipue veniant clysteres acres, si assumendo cibo æger sit idoneus; nec hoc casu dimittantur localia valide attrahentia, non tamen exulcerantia.

Cap. XI. Satis diminutè egit de eruptione sanguinis ex œsophago; cum non distinxerit, nec causas, nec signa. Cum enim aut rupta, aut erosa, aut aperta vena effluat sanguis, de his omnibus agendum fuerat; simulque ponenda signa, quemadmodum accuratè docuit Gal. Lib.5. de Loc. Aff. sub finem Cap.4.

Cap. XII. Vlcera *meri* docet *fieri aliquando ex humoribus acutis, transeuntibus in ipso, cum fit vomitus*. Sed melius fuerat addere, vel ad eum fluentibus per venas, quo modo facilius fiunt vlcera, quàm per vomitum; quoniam tempore vomitus, possunt in defluxu tantum; at per venas, etiam ibi hærentes, lædere queunt. Præterea, hæc vlcera possunt etiam fieri à causa externa, quod vidi in aliquo, qui degluttiens numum argenteum, non tantum passus est vlcus, ab eo lacerante tunicas œsophagi, vt ex cruentis, & saniosis excrementis eductis apparuit; sed etiam ex eodem mortuus est, cum hærens in œsophago nullis potuerit remedijs inde auelli, & remoueri; vnde semper lancinans partes illas, & dolore, ac difficultate deglutiendi continuè affligens, hominem miserè adeo excruciauerit, vt accedens perfecta deglutiendi impotentia, & singultus grauissimus cum de medio sustulerint.

Cap. XIII. Prognosticum illud de vlcere *ex præcedente plaga*, videlicet, quod *sit patiens propinquus morti*, plurimùm exscriptum est à Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 4. qui paulo aliter rem describens, inquit, quod *ex tali vlcere natu maiores*, idest, qui intra declinantem ætatem sunt, *omnes periere*; qui autem curatus est à Gal. *seruatus est beneficio ætatis*, scilicet, vel iuuentutis, vel consistentię. Ratio est, quia hęc vlcera diuturnum tempus, & naturę robur, ad perfectam curationem postulant; maiores autem natu, vt plurimum naturę robur non habent, & ideo diuturnos hosce morbos perferre nequeunt.

Cap. XIV. Modum applicandi medicamenta loco affecto hic tantum indicat, cetera referens ad caput de vlceribus stomachi. At sciendum, hic primo abstergentibus, secundo agglutinantibus, vel incarnantibus, vltimo cicatrizantibus agendum esse, nisi vlcus sit cacoethes, & corrosiuum; quoniam in his, pręter abstergentia, validis medicamentis, erosioni, & prauę vlceris qualitati est obluctandum.

Cap. XV. Quoniam rectum est norma sui & obliqui, ideo Auic. antequam deueniat ad affectus pręter naturā ventriculi, explicat eius complexiones naturales in hoc capite, quod omnino, & ferè ad verbum exscripsit ex Gal.

Lib. Art. Medicinalis. Circa quod, hoc habetur, quoad signa complexionis calidæ ipsius ventriculi, obseruandum, cum in nostro corpore, vt pluribus in locis, præcipue autem in hanc rem, expressit Lib. 6. Epid. Sect. 4. Com. 24. Gal. duplex reperiatur calidum; alterum, tum ab ipso; tum ab Hipp. ingenitum vocatum; alterum acre, & igneum, quod non de calore innato, sed igneo hic locutus fuerit; ab eo enim coctiones æque, ac in durioribus, & quæ facile alterantur cibis, perfectæ, & laudabiles fiunt, quod non contingit in complexione calida, quam naturalem, non ab innato calore; sed quia ex primordijs naturæ, & ab ortu ita producta est, appellat, liquet, hanc calidam esse, non ingenito, sed igneo calore. Quod cum ita sit, patet etiam, nec Gal. in Lib. Artis Medicinalis, qui tamen omnia, non vno solum, sed omnibus locis docuit; nec Auic. in hoc capite, omnem naturalem temperaturam ventriculi explicasse: præter enim omnes enarratas ab his complexiones, datur, vel temperata ventriculi complexio, vel saltem, quæ plurimo abundet calore innato; altera temperatura calida, potens æquè, vbertate caloris innati, concoquere, & dura, & facile alterabilia; dico æquè, non ratione temporis, sed ratione perfectionis; quoniam in vtraque perfectam efficit coctionem.

Inter cibos, qui facile in ventriculo calido corrumpuntur, rectè numerantur, lac, oua recentia, tremula, & sorbilia, & forsan caro pullorum iuniorum; sed caro pullorum antiquorum, & caponum, non est huius classis.

Quod ventriculus calidior, calidos cibos melius suscipiat; vel vt dicit Galenus, calidis cibis, & potibus gaudeat, non ita experimento, sicut rationi consentire videtur; sunt enim ventriculi calidioris, qui potu vini, vel aquæ admodum refrigeratæ gaudent, & delectantur, minimumque ab his noxæ patiuntur; cum omnes aliæ temperaturæ tale victus genus ferre nequeant, & raro appetant.

Cap. XVI. Declarans signa ægritudinis ventriculi ex opilatione viarum splenis ad ipsum, hoc vnicum ponit signum, scilicet *paruitatem appetitus*, alludens ad eam opinionem, quod naturę, à splene ad ventriculum transmittatur succus melancholicus, ad excitandam famem; cum tamen hęc habeat Gal. Lib. 5. de Vsu Partium Cap. 4. *Cum hic succus sit acerbus, & acidus, factum eße ad promouendam ventriculi actionem*, videlicet, *vt contrahat ventriculum in se ipsum, ac cogat eum cibos ad vnguem complecti, ac retinere, quousque fuerint percocti*. Non autem dicit Gal. transmitti hunc humorem ad famem excitandam; & quidem iure, quoniam si succus melancholicus hoc munus obiret, etiam ventriculus repletus famesceret semper; cum semper ea vena repleta sit, etiam vsque ad perfectam coctionem, & potissimum, quia tum ieiunus, tum cibo satur fame tentaretur.

Reddens rationem, quare, *quod plurimum reperitur, et generatur in ventriculo, ex humoribus, est phlegma*; non autem bilis, nec succus melancholicus, inquit, primum causam esse, *quoniam chylus est naturæ propinquæ phlegmati; vnde cum non digeritur digestione integra, non fiunt sanguis, nec bilis, nec melancholia, sed tantum phlegma*, innuens veluti quod phlegma generatur tantum, cum

cibi

cibi digestione integra non concoquuntur. At etiam in perfectissima coctione generatur phlegma, & quidem copiosum, cum cibi sunt eius conditionis, non quidem errore; sed tum ratione materiæ; tum ex præscripto naturæ, alioquin hoc deficiente, cederet in hominis perniciem, multaque membra, quæ sanguine pituitoso aluntur, proprio alimento carerent.

Loquens de ventriculo præparato passionibus præter naturam, ex vehementia sensus, inquit, *Et quandoque plurima repletio facit eos pati subeth prolixum, perdurantem, usqueque vomant*. Quod desumpsit à Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 51. At isti, non solum vomitu; sed etiam coctione assumptorum, vel cibi, vel potus immoderatorum, releuantur à somno illo profundo; vt contingit in ebrijs, præcipue qui sine vomitu, soluta ebrietate, ex coctione, à somno liberantur.

Cap. XVII. Hoc caput aureum certè est, in quo plurima optimo ordine, & doctrina, ad hanc materiam exponendam accommodata continentur, diligentissimè propterea legenda.

Exponens significationes dispositionum ventriculi, ex ventris egestionibus, dicit, *Amplius tinctura significat materiam*. Quam sententiam exscripsit à Gal. Lib. 1. de Loc. Aff. Sed satis imperfectè; quoniam tinctura in excrementis, potest esse, tum ratione ciborum; tum ratione excrementorum in corpore redundantium, quæ vel sint in ventriculo, vel ab alijs partibus ad intestina demandentur. Quare tinctura egestionum non potest absolutè significare materiam in ventriculo peccantem. Propterea attendenda erit Gal. sententia, qui omnia membra circunspiciens, tandem ad absolutam materiei existentis in ventriculo cognitionem, & distinctionem, an sit læsio à simplici intemperie, vel etiam à materia, exhibet cibos corruptioni reluctantes, & qui proprio calore rem difficiliorem reddere queant. Vndè in fumosis eructationibus, exhibet mel, & chondrum, in acidis autem exhibet mel: quibus adhibitis, expendit excrementa, quæ si parum mutata sint nulla alia materia admista, indicat id fieri à pura intemperie; si autem sit alicuius excrementi permistio illud indicat.

Sitis inquit, *significat complexionem calidam, & si est cum nausea, significat materiam, vel biliosam, vel pituitosam, sed salsam*. At sciendum est, etiam sitim ex intemperie calida cum materia, absente nausea, vbi materia non sit ventriculi tunicis impacta, sed in cauitate tantum, & ibi quiescat, induci.

Docens significationes complexionum ventriculi ex appetitu, hanc sententiam proponit, scilicet, quod *fortis stomachus declinat ad pinguia*. Quam sententiam desumpsit à Galeno Lib. 6. Epid. Sect. 5. Coment. 14. vbi habet hæc verba. *Naturaliter autem se habentes, & ab excrementis vacui, pinguibus, & dulcibus, & nulla vehementi qualitate præditis, cum voluptate vescuntur*. Sed paulo post Auic. loquens de appetitu vitiato, inquit. *Nam si appetit pinguia, tunc illic est stipticitas, & spissitudo, & siccitas*. Quare, sibi videtur in paucis verbis contrarius, cum superius, esse appetitum ad *pinguia, esse proprium ventriculi fortis*; hic autem affirmet, fieri à causa præter naturam. At ex Gal. verbis, solutio patet, cum inquit, homines naturaliter

ter se habentes, pinguibus, & dulcibus delectari. Quare, vitantes dulcia, & appetentes pinguia, naturaliter non se habent, & hunc sensum Auic. admittunt verba.

Subiungit. *Et mordicatio quidem excitat famem vehementem, & est species famis, quæ nullo modo toleratur, & associatur ei syncope, proprie quando tardatur cibus*. Quo loco, duo hæc proponit; alterum, quod mordicatio inducat famem vehementem; alterum, quod ex tali fame, si non exhibeatur cibus, subsequatur syncope. Sed de primo hoc aduertendum, cum mordacitas sit communis, vt habet Gal. Lib. 4. de Simpl. Med. Fac. Cap. 17. tribus saporibus, scilicet, acido, acri, & amaro, quod non omnia mordacia sunt apta excitare famem, sed tantum acida; quia hæc cum frigida sint, apta sunt corrugare, & adducere os ventriculi, ex quo fames oritur; acria autem, & amara, cum sint calida, dissoluunt, & fundunt, & ideo non excitare, sed tollere famem apta sunt; quod item docens Gal. Lib. 1. de Sympt. Causis Cap. 7. cum intensæ appetentiæ causam assignasset, vitiosum succum acidum, mordentem os ventriculi, dicebat. *Vitiosus namque succus, qui frigidus est, similem suctus morsum infert; appetentiam vero proritat naturalis affectus, similitudine autem alimenti, non potus desiderium excitat, propter frigus. At vitioso succo, qui salsus, & biliosus sit, ventrem mordente, potio magis quam cibus appetitur: præterquam quod enim calefiat, sicceturque ab eo ventriculus, quæ vtique sitis causa sunt, liquari etiam, fundique, tum in eo, tum venis contingit*. Ex quibus verbis, sicuti ex his, quæ infra subiungit, clare liquet, calida, & mordacia tollere famem; frigida autem, & mordacia eandem excitare. Quare, dictum illud Auic. quod mordicatio inducat famem, est mancum; cum mordicantia frigida hanc tantum inferre queant, nequaquam autem calida. Et hæc de primo. De secundo, hoc aduertendum, quod ad mordicationem factam ab acidis succis, potest sane subsequi canina appetentia, vt suis locis apud omnes habetur; sed non syncope, ratione famis, & inediæ; quæ syncope si contingat, non ex abstinentia cibi acidit, sed communicata cordi frigida ventriculi intemperie, ope arteriæ magnæ, vt docet Gal. Lib. Cit. 1. de Cauf. Sympt. Cap. 7. & Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 5. Quare, superfluum erit quod addit Auic. videlicet, *tardante cibo in fame, ab acidis, & mordentibus succis*, succedere syncopen.

Enumerans significationes ex eructatione, ait, *eructationem fumosam, exhibito cibo non fumoso, indicare intemperiem calidam ventriculi, vel puram, vel cum materia*, in quo casu, attendendam esse egestionem monet, dicens, quod *si cholerica sit, significat quod causa est caliditas stomachi*. At Gal. Lib. 1. de Loc. Aff. à quo exscripsit hanc sententiam Auic. longe clarius hoc idem expressit, dicens, quod in *ructu nidoroso, ad discernendum, an à pura sit intemperie, vel à materia, exhibendus est cibus corruptioni contrarius, qualis est panis, & chondrus, quæ exhibita, si deijciantur sine humore, per quam exigua in eis facta mutatione, indicant calorem igneum ventriculi. Si autem humor quoque cum his deijciatur, aptus cibum corrumpere, cibi dati videntur in huiusmodi humore submersi, & ab ipsius actione manifestius alterati*. Ex quibus habemus, ructus nidorosi causam esse à materia; quæ sententia Galeni exactè declarat differentiam in-

tem-

temperiei à materia; in intemperie enim, cibi illi, corruptioni non obnoxij primo deijciuntur fine humore; secundò parum alterati, ideſt parum corrupti. Vbi autem cauſa fuerit materia, primo deijciuntur, quaſi in humore corrumpente ſubmerſi; ſecundò manifeſtius ab eius actione alterati, ideſt, magis corrupti; quod voluit innuere Auicenna ex Gal. quanquam longe aliud indicant eius verba, forſan, quia malè translata.

Perſiſtens Auicenna in expoſitione *ſignificationum ex eructatione*, poſteaquam propoſuit eructationem acidam, non prouenientem ratione aſſumpti cibi, indicare frigiditatem ventriculi, vel puram, vel cum materia. Subiungit. *Quandoque autem aceſcit eructatio à caliditate, &c.* In qua re Auicenna recedens à principijs Galeni, qui vbique, præcipuè autem Lib. 4. de Simpl. Med. Facul. Cap. 12. 13. & 14. aciditatem ab intemperie frigida fieri demonſtrauit. Secutus autem Alexandrum Trallianum, qui Lib. 7. Cap. 14. conatus eſt docere, aciditatem etiam à caliditate generari, proponit caſum ſingularem, in quo aciditas ex caliditate proueniat, cum ſcil. *caliditas inuenit materiam dulcem, & facit eam ebullire, & facit ipſam acetoſam; atque tunc, cum eructatione acida, aderunt ſigna caliditatis, inflammatio, amaritudo oris, ſitis, & iuvamentum ex refrigerantibus.* Ad confirmationem autem huius rei, videlicet, quod caliditas ſuperflua in ventriculo ſit apta reddere cibum acidum, adducit, quod *caliditas velocius frigiditate facit lac ipſum aceſcere.* Verum hæc Auic. ſententia, ſicuti & illa Alex. quoniam principijs Galeni cõtraria eſt, perpendenda venit. Caſus quidem Auicennæ experimento quidem reſpondere videtur; cum nouerimus, mel, ſi æſtate, ratione ambientis calidioris ebullierit, acidum fieri. Nihilominus rei huius cauſam perſcrutantes, cognoſcemus hanc, cibo in ventriculo hærenti accommodari non poſſe. Omnes ſiquidem ſucci, præter excrementum tenue, & craſſum, habent etiam, vt docet experientia, & Gal. Lib. 4. de Simp. Med. Cap. Vltimo, tertium illud aquoſum, cuius ratione, facile ebullitionem, & corruptionem incurrunt; vt autem conſeruentur, vel indigent eiuſdem exiccatione; vel alteratione per coctionem. Hanc eandem partem aquoſam habet mel, plurimam quidem à principio ſuæ generationis. Vnde Ariſtoteles Lib. 5. de Animalibus Cap. 22. dicebat. Quod *ab initio aqua dilutum eſt, & primis diebus, ſine craſſitudine cernitur; in progreſſu craſſeſcit;* non tamen tota hac parte aquoſa conſumpta; cum in ea portio adhuc inſignis remaneat, cuius merito, & fluidum ſatis eſt, & tollerat ſufficientem ignis coctionem; dum enim in coctura huius aquoſæ partis portio ſeruatur, ſemper mel ex coctione dulcius euadit; quoniam hæc aquoſitas à calore alterata concoquitur, & fit dulcior; qua conſumpta, mel, ex coctura incipit amareſcere; cum ab hac non amplius coquatur, ſed aduratur. Quoniam vero mel, comparatione cum alijs ſuccis, minus hac aquoſitate abundat; ideo etiam diutius ex ſe, quàm alij ſucci conſeruari aptum eſt. Quanquam diutius adhuc conſeruetur, vbi perfectè coctum fuerit; quoniam in eo abſumpta eſt ea pars aquoſa, cuius cauſa ſucci ebulliunt, & corrumpuntur; atque hac ratione, qui diutius, vel condita, vel medicamenta conſeruare volunt, ad hunc vſum mel ſatis coctum aſſumunt; minus quippe coctum, facile ebullitio-

litionem, & corruptionem, vnà cum admistis, vel conditis, vel medicamentis, suscipit; ex qua primò quidem fit acidum, postea autem, perdurante ebullitione, & aucta corruptione, amarescit. Hoc supposito, liquet, mel, ex ambiente aeris caliditate acescere; quoniam eius pars aquosa, ab eodem alterata, ebullitionem excitans in melle, dissoluit naturalem eiusdem caliditatem, ob quam prius incolume conseruabatur; vnde mel, postquam ebullierit, minus est calidum quàm prius. Sed ad hanc actionem duo requiruntur. Alterum, temporis diuturnitas; non enim mel paucis diebus, sed pluribus, alteratum ab aere ebullitionem patitur. Alterum, quod calor ambientis, non in substantiam mellis, sed in eius partem aquosam agens, eam quidem alterat, sed non superat; si enim hoc fieret, mel coctionem adeptum, dulcius euaderet; cum autem eam non superat, facile alterata, putredinem quandam concipiens, ebullitionem in toto melle inducit, quæ cum non sufficiat coctioni, sed potius dissolutioni caloris naturalis, fit, vt imminuto calore innato mellis, acidum reddatur. Quæ duæ conditiones, melli in ventriculum assumpto accommodati nequeunt: non enim diututnitas temporis, ad actionem caloris necessaria adest; tum quia, vel coctiones, vel cruditates breui tempore fiunt; tum quia mel, ob propriam dulcedinem, quam citissimè à venis, & ab hepate attrahitur, vnde parum in ventriculo moratur. Nec ventriculi calor in partem aquosam, sed in substantiam mellis agit, cuius ratione, non ebullitionem, sed coctionem ei inducit; atque ideo dicebat Gal. Lib. 4. de Simpl. Med. Fac. Cap. 17. mel, ex coctione nunquam aciditatem admittere; quippe cum caliditas ei insit, quæ si non superetur, acescit; cuius ratio est, quoniam à prædominio, ipsa substantia mellis, quæ calidior, non autem aquosa, quæ frigidior, ea est, in quam agit calor ventriculi. Quare patet, experimentum illud sensatum de melle, non posse respondere actioni ventriculi in ipsum; atque adeo inde non posse colligi, aciditatem à caliditate fieri. At fortasse Auic. hoc de melle, ratione eiusdem substantiæ, concederet, non proinde negans, in alia materia melle minus dulci, ebullitionem à caliditate, ac proinde aciditatem fieri posse; prout in lacte, in conditis ex saccharo, in pituita dulci, & similibus, quæ cum patiantur ebullitionem à caliditate, omninò saporem acidum acquirunt. Sed cui dubium, quod à caliditate alterante, & mutante, non tamen superante, vt docet Gal. Lib. 4. de Simpl. Med. Fac. Cap. 15. fiat aciditas? Calor autem in materiam dulcem agens, & eam fermentans, eandem quidem mutat, & alterat, non tamen superat, nec concoquit. Quare, cum in ea ebullitionem inducit, hoc accidit, quia materiæ non prædominatur, atque ideo in ea actione, crudiorem illam deserit; quod non alia fit ratione, nisi quia calor improportionatus est materiæ, ac proinde languidior, quàm vt eam possit vincere; & minor, quàm vel possit concoquere, vel quàm sit opus ad perfectam coctionem. Si autem minor, ergo aciditas, non à caliditate simpliciter, sed à caliditate imminuta, & ideo à frigiditate, vti docet Galenus, inducitur. Vbi enim ventriculus, copia, vel cibi, vel humoris grauatus in exuperantem agit materiam, nec eam potest vincere, vt aliquando accidit in lacte, vel saccharo conditis, præter
alios

alios cibos assumptos, omninò in eo possunt hæc acida fieri, ob ebullitionem inductam à calore, valido quidem, & multo, ex se; sed tamen respectu materiæ, in quam agit, debiliori, & minori; qui tamen copia non grauatus, eandem materiam perfectè vincet, & superabit, nulla in eo inducta qualitate non naturali. Quare, & in hoc casu, aciditas, non à calore exuperante; sed à minori inducetur. Nec confirmatio Auic. scil. quod lac velocius à caliditate, quàm à frigiditate acescat, quicquam probat; non enim lac, ratione caliditatis externæ acescit; sed ratione propriæ, ob quam dulce conseruatur, euanescentis. Cum autem euanescat, & dissoluatur facile cum sit pauca, vt docet Galenus Lib. 4. de Simpl. Med. Cap. 17. à calore ambientis; conseruetur autem ab eiusdem frigiditate, hinc ab aere calidiori facile acescit; à frigidiori autem minus facile, & tardius; quæ lactis aciditas, cum fiat, euaporante calore eiusdem proprio, ac proinde frigidiori reddito, semper indicio erit, aciditatem à frigiditate, non à caliditate, vti existimauit Auic. fieri. Signum autem illud, quod adducit, videlicet, quod aciditatis à caliditate signa sint, oris amaritudo, sitis, & iuuamentum à refrigerantibus, quæ caloris certissima sunt indicia, quibus probari possit, cum adest aciditas, hanc à calore exuberante productam esse, probabile quidem est, non tamen demonstrativum; quoniam huiusmodi signa se prodere in calidiori quidem ventriculo possunt; sed, quia multa materiæ copia obrutus, illi sit improportionatus, & multo illa debilior, ebullitionem, non coctionem inducens, eam non vincat, ac proinde aciditatem inducat; quod aliud non probat, quam aciditatem fieri à diminuto calore. Vbi autem nulla copia vel alimenti, vel alterius materiæ in ventriculo adest, nunquam à valido calore aciditas generabitur; sed potius, victa materia, perfecta fiet concoctio; si autem quandoque amaritudo oris, sitis, & leuamen à refrigerantibus adsit, cum acida eructatione, hoc fiet potius ratione affectus complicati; quoniam in ventriculo frigido, potest effundi bilis, cuius causa, tum oris amaror, & sitis subsequatur, iuueturque ab assumptis refrigerantibus, dum bilis, quæ prius robur ventriculi imbecillioris, & coctionem labefactabat, ab eisdem temperatur, & demulcetur. Atque hæc de Auic. sententia satis. Alexander autem, qui eiusdem fuit, contrà Galen. opinionis, quod scil. aciditatis causa immediata possit esse caliditas, conatur hoc persuadere, ex lædentibus, & iuuantibus; inquit enim, se obseruasse in multis, qui acidum eructabant, vinum facilius, quàm potiones ex pipere, aniso, & similibus paratas acescere, quæ postea ab aqua temperata, copiosius exhibita, ex cibis boni succi, & qui ægrè confici possunt, ingestis, leuati sunt. At cui dubium, aut difficile fuerit credere, vinum, ex compositis portionibus, in languidiori ventriculo facilius acescere; & præcipuè si fuerit, vel generosum, vel crassum, vel etiam copiosum? Vinum enim, cum celerrimè nutriat, facile quidem in ventriculo valido superatur; at in languidiori, difficilius; vnde aliquam potest admittere, vt fiat acidum, alterationem; potiones autem conditæ, difficilius actuantur, nec ita vt vinum mutationem ex propria natura in alienam qualitatem suscipiunt. Quare, non erit mirum, si vinum in ventriculo languidiori, acidum facilius, quàm

quàm potiones arte paratę, reddatur. Quod licet arguat ventriculi imbecillitatem; non tamen eius caliditatem necessario indicat; quoniam vinum, quamuis suaptè natura calidum, proportionatum calorem ad eius coctionem requirit, quo deficiente, alteratur quidem, & mutatur; non tamen superatur ab eo, vnde fit acidum; cum potiones compositæ, quæ aduentitium calorem ab arte susceperunt, non eandem, quam vinum, admittant mutationem, cum aqueæ sint propria substantia, quæ in acetum, sicuti vinum conuerti non est habilis; vnde non ita facile hæ potiones in ventriculo frigidiori fiunt acidæ, prout vinum. Quod autem his contulerit aqua temperata, largius exhibita, & cibi boni succi, & qui ægrè conficiantur, non sufficiens est signum, ad indicandam intemperiem calidam; quoniam aqua temperata, temperando, aciditatem potest tollere, non sublata eius causa; sicuti & cibi illi, qui cum sint boni succi, nulla praua qualitate donati sunt, & cum ægrè conficiantur, vapores ex se difflare non sunt apti, ac proinde nec ructus excitare poterunt. Vnde ex hac cura, habebimus quidem eructationum acidarum leuamen, non autem indicium caliditatis; cum, & in frigidiori ventriculo, huiusmodi curatio sit accommodata tollendis acidis ructibus, licet causam eorum non auferat, quæ veræ curationis, idest, oppositæ qualitatis ope, calefaciendo perfici solum potest. De aqua autem temperata hoc speciatim animaduerto, me in plerisque, qui languidiori, & frigidiori ventriculo laborabant, felicius administrasse aquam, vino; atque præcipuè hoc obseruaui in his, qui pituita dulci, crassa, & copiosa abundarent, & quibus iecur præcalidum erat; in horum enim ægritudinibus, hi magis lædebantur à vino, quàm ab aqua, & aquæ potum tolerabant facilius, quam vini; & quidem non alia ratione, nisi quia aqua, temperando, iuvabat; vinum autem, ex cuius noxa, & ructus plurimus, & tensiones, & dolores contingebant, agitando, lædebat. Vnde, iuvamento potius fuisse aquam temperatam, quàm vinum, ægrotantibus curatis ab Alexandro, non fuerit argumentum necessariò indicans intemperiem ventriculi calidam. Quare hinc colligere est, Auic. & Alexandri sententiam suspectam esse, & solum standum esse principijs Galeni, quod scil. aciditas immediate fiat à frigida intemperie.

Cap. XVIII. *Sitis est ex significantibus calidam ventriculi complexionem*, inquit Auic. *nisi superfluat, & deijciat virtutem*. At scimus quidem, inarescente lingua, ventriculoque ex febre æstuante, aliquando ægrotantes non sitire; vel quia facultas ipsa extinguatur; vel quia à vaporibus prauis offendatur, vt experientia ipsa docet, & Gal. Lib. 3. Epid. Sect. 1. Com. 11. & Sect. 3. & alibi sæpius testatur. Quod autem ita superfluat pura caliditas, vt virtutem deijciat, licet rationi consentaneum sit, ab omni insigni intemperie virtutē labefactari, non ita tamen experimento comprobatur; scimus enim, quod in hectica ventriculi, adest sitis, quod Gal. idem testatur; cum tamen in ea innatæ humiditates sint consumptę, & siccitas in summo sit gradu; quinimò Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 8. referens historiam ęgrotantis, patientis hecticam ventriculi, vna cum intemperie calida, affirmat, in eo ingentem fuisse sitim. Quare, nisi quid aliud pręter naturam adsit, vt puta, vel

extinctio facultatis, vel læsio ex alia causa, non obseruamus, ex sola caliditate exuperante ita virtutem deijci, vt sitis tollatur.

Si insignis sit intemperies calida, vna cum præsentia materiæ biliosæ, dicit, appetentiam quidem labefactari; nihilominus, *digestionem esse fortem*. At si nouerimus causas, propter quas bilis naturaliter non transmittitur ad ventriculū, explicatas à Gal. Lib. 5 de Vsu Partium Cap. 4. nouerimus etiam, cum præsentia bilis in ventriculo, non posse fieri, nec fortem, nec laudabilem coctionem.

Quandoque, inquit Auic. *associatur huic complexioni febris hectica*. Sed, quid intelligit per febrem hecticam, num, quæ est in calefacto esse, in cordis substantia solida? Nequaquam; cum hæc duo inter se nihil commune habeant. Sed per febrem hecticam, intelligit febrem eiusdem formæ, quæ nullas annotationes, vel remissiones suscipiens, semper eodem modo procedit; prout pulsum hecticum vocamus, qui semper est æqualis, nec vlla interualla, aut accessiones habet; vt docet Gal. Lib. 4. de Cauf. Pulf. dum agit de pulsu suppuratorum. Quod autem hæc sit mens Auic. ex eo pateat, quod hanc sententiam ad verbum exscribit à Gal. Lib. 3. de Cauf. Sympt. Cap. 1. quo loco, agens de ventriculi exuperante calore, dicebat, hinc protinus cibos corrumpi, generatim quidem, corruptione ad fumosum inclinante; speciatim autem, iuxta specialem cuiusque cibi naturam; ex qua corruptione, subiungebat Gal. *Sitiunt immodicè, qui ita sunt affecti, & febricitant interdum, tenui, paruaque hectica febre*. Quo loco Gal. per *hecticam febrem*, non habitualem, sed æqualem intellexit.

Intemperies ventriculi calida si sit insignis, non tamen adeo, vt virtutem deijciat, inquit Auic. *commouet famem vehementem, per id quod resoluit*. At Gal. Lib. 1. de Sympt. Cauf. Cap. 7. oppositum omnino docuit, dicens, quod, *caliditas est non esuriendi continens causa, vt quæ solida corpora laxando, resoluat, atque ad tactum imbecilliora reddat; liquida autem liquando, amplius extendat*. Sed dum dicit Auic. *superfluens caliditas, non laxat, nec liquat, sed absumit, & resoluit*. Sciendum est, quod durante vita, non potest fieri à calore tanta resolutio humiditatum, & partium solidarum, vt fiat indigentiæ sensus; quod experimento demonstrat hectica ventriculi, in qua, consumptis roridis humiditatibus, nihilominus non fit fames; quoniam proprium caloris est laxare, sicuti frigoris, constipare.

Cum *venas eorum, quibus stomachus est igneus*, dicit esse *exuberantes*, intelligatur ad mentem Hipp. Lib. 6. Epid. Sect. 4. Tex. 24. eas apparentes esse, & conspicuas, ob carnium paucitatem. Hos autem appellat propriè Hipp. *venosos*, non ob copiam sanguinis; quia in eis paucus, & pravus generatur; sed quia manifestæ, & conspicuæ sunt, ob corporis gracilitatem, & earundem venarum plenitudinem. Quod autem addit, de phlebotomia, in hoc casu, alludit ad historiam apud Gal. illius mulieris, cui, suppressis mensibus, sanguinis impuri copia quam maximè abundabat, in qua copiosam venæ sectionem administrauit.

Cap. XIX. *Colorem habentis ventriculum frigidum* docet esse *citrinum*. At hic color à barbioso pendet humore, vt in ictericis patet. Quare, non verè citri-

nus intelligatur, sed pallidus; quoniam, inquit, *citrinitas, & albedo*, qui tamen color verè citrinus, solet in huiusmodi ventriculum habentibus, quandoque succedere demand ita pituita ad hepar, & illum obstruente. Color autem, qui prius in his solet esse, vt superius dixit Cap. 12. proponens significationes ex colore, solet esse plumbeus; vbi autem citrinus adsit, generatur ex causa prædicta.

Si intemperies frigida complicetur cum complexione radicali calida, multiplicantur, inquit, *rugitus, & inflatio, & exiccatio, & sitis, & augmentatur corruptio, quoties indiget phlebotomia*. Si per *complexionem radicalem calidam*, intelligit temperaturam ventriculi calidam ab ortu, sententia est omninò falsa; quoniam, licet præfuerit calida intemperies à natura, vbi inducta sit frigida, non amplius à calida fit actio. Si autem intelligit temperaturam reliqui corporis ab ortu genitam, & adhuc permanentẽ calidam, iure, propter circunstantium membrorum caliditatem, possunt rugitus, inflatio, & exiccatio, & sitis succedere. Cum autem inquit, & *augmentatur corruptio, cum indiget phlebotomia*, intelligatur, quod ex phlebotomia ventriculi intemperies augeatur; quoniam, cum sectio venæ, exhauriendo sanguinem, & spiritus, refrigeret vniuersum corpus, hinc semper magis labefactabitur ventriculus. Ad euitandam autem hanc noxam, subiungit, quæ agenda sint, vbi sit necessitas secandi venam. Quod pulcherrimum est præceptum, & in actu practico diligenter obseruandum.

Cap. XX. Siccitatis indicium proponit *attenuationem corporis, & arefactionem ipsius supra factam à natura*. At sciendum est, ista quidem indicare siccitatem ventriculi, vbi adsint eiusdem prauæ dispositiones, cum absentia earundem in alijs partibus. Præterea notandum, quod cum siccitate ventriculi non semper coniuncta est corporis extenuatio; quoniam, nequaquam à principio adest, sed temporis progressu accedit. Vnde Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 6. loquens de siccitate ventriculi, cum communicatur vniuerso corpori, dicebat. *Tempore uero, totum corpus, utpote parum probè nutritum, macrescit*.

Cap. XXI. Plura sputamina possunt quidem significare humiditatem ventriculi; quæ tamen non in quacunque ventriculi humiditate fiunt; sed in ea tantum, in qua eadem confluat ad os, præcipue si adsit caliditas agens in humiditatem; quod non tantum famis tempore, sed etiam repleto ventriculo, sæpius contingere consueuit.

Sæpius, inquit Auic. *humiditas irrigat os uentriculi; quo casu, si habens eam, comedit aliquid, existimat, quod si moueretur, uomeret*; quod item ait fieri ex debilitate stomachi. Quomodo autem distinguantur hi duo casus ab inuicem, docet, dicens, quod in *debilitate stomachi, sunt significationes propriæ*, & eius casus *contingit uacuo existente uentriculo*; alter autem casus euenit tantum post *comestionem, uentriculo repleto*. Quam sententiam exscripsit à Gal. Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, vbi examinat primum medicamentum Asclepiadis, declarans, quid ipse Asclepiades, per ventriculi subuersionem intelligat. Sed Gal. sententia, vel male ab Auic. exscripta; vel malè ab Interprete translata fuit. Nam Gal. inquit, per *subuersionem uentriculi*, illud

lud symptoma intelligi, per quod patientes, ab accepto cibo, si paulo validiori motu moueantur, statim vomunt. Cuius Symptomatis duplicem assignat causam; altera est debilitas oris ventriculi, ex simplici intemperie dependens, cuius ratione, cibos amplecti, eisque adhærere pressius nequit, veluti tota ventris amplitudo solet. Altera est, eiusdem oris ventriculi affectus, cum materia, quæ sit corrupta *quidem, sed pauca, quoniam multa, & valde vitiata, etiam citra cibum, nauseam efficit; vbi enim humiditate redundat ventriculus, largiori humectatione, perinde ac ligamenta neruorum, laxatur*. Ex quibus Galeni verbis, liquet, Auic. oppositum proposuisse, cum dicit, *ex debilitate fieri vomitum, secundum vacuitatem; ex humidiori autem ventriculo, fieri tantum post comestionem*.

Cap. XXII. *Cadit Appetitus*, inquit Auic. *vbi in uentriculo aggregata sit materia phlegmatica plurima uiscositatis*. At pituita vitrea est huiusce conditionis, & tamen excitat appetitum caninum, vt proprio loco habet, si sit acida. Quare, per hoc phlegma, quod appellatur à Gal. Lib. de Plenit. *crudum pituitæ genus*, quod dicit facere homines minime appetentes, intelligatur, succus crudus, exclusa pituita vitrea.

Ex significatione, quod materia effusa sit melancholica, inquit Auic. *est appetitus plurimus*. At sciendum est, ex Gal. Lib. de Plenit. melancholiam non excitare famem ex se; sed hanc ei tunc facultatem inesse, quando qualitatem acidam exuperantem habuerit, quod fit, cum malignior existit; & ideo iure merito dicebat Galenus Lib. 6. de Loc. Aff. in principio, quod *non expurgato sanguine à succo melancholico, per lienem, si excrementa ad ventriculum transmissa fuerint, valde acida, tunc patientes cibos valde concupiscunt. Si autem alia accidat humoris melancholici corruptio, subuertitur, deijciturque appetentia*. Ex quibus habeatur, ex sola melancholica valde acida plurimum appetitum succedere; non ita autem si sit naturalis, vel quæ aliam aliquam corruptionem susceperit.

Cap. XXIII. *Significationem oppilationum cadentium inter ventriculum, & hepar*, docet esse *paucitatem appetitus*. Alludens scil. ad opinionem, quod melancholia naturaliter faciat ad excitandam appetentiam.

Oppilationum cadentium inter cerebrum, & ventriculum dat plura signa. Sed ad quid tot verba, cum sufficiat dixisse, ea accidentia, quæ consequuntur obstructiones neruorum sexti paris.

Inter *ventositatis* signa, ponit *natationem cibi*. Sed parum rationi conuenit, quod flatus faciat supernatare cibum; solus enim flatus, sine multo potu, hoc non potest.

Quid sibi velit Auicenna in prognostico illo, *ex duritie existente inter hepar, & ventriculum*, difficile est perscrutari, nisi forsan intelligat scirrhum in membrana iecoris, quo perdurante, afficitur simul hepar, & ventriculus, ad quorum læsionem naturalis facultatis robur exoluitur.

Cap. XXIV. In ventriculi alteratione, præfert Auic. linimenta, seu epithemata, & emplastra embrochis. Ratio inquit est, *quoniam Embrochæ sunt debilis impressionis*. At longe in hoc decipitur, cum validior sit operatio Embrocharum, nihilque magis teste experientia, possit ventriculum intem-

peratum alterarè, quam embrochas ipsas. Vnde moneo Iuniores, ab his maiorem vtilitatem, quam à linimentis, & emplastris sperari posse.

Ad expurgandum ventriculum excrementis in eo consistentibus, monet, non *assumenda esse medicamenta, quæ stomachum, & vias stomachi proximas transcendant*. Quod documentum, sicuti est rationi consonum, & semper aduertendum; ita ab eo, alias notaui, non fuit semper obseruatum; cum in his casibus, sæpius docuerit, hieras magnas, colocynthidem, vt & alia valida pharmaca assumenda esse.

Desumpto argumento Auic. à viribus medicamentorum agentium, censet, *intemperies ventriculi actiuas esse facillimas curatu; passiuas autem, difficillimas*. At de intemperie humida Gal. oppositum (quod item experientia testatur) docet, Lib. 7. Meth. Cap. 9. dicens. *Humida vero intemperies, siue sola consistat, siue cum calore, frigoreue coniuncta sit, omnium facillimè curatur.* Cap. autem 10. recensens, quæ intemperies difficillimè omnium curentur, dicebat. *Scire vero licet, omnium harum pessimam esse, inter simplices, siccam, in compositis simul, siccam, & frigidam.* Cur autem sicca sit omnium difficillima, superius Cap. 7. explicabat, dicens; hoc fieri, *tum quia ei parti, quam refici oportet, cibus coalescere non potest; tum quia pars nutrienda est adeo imbecilla, vt nutrimentum sibi præparandum concoquere nequeat.* Ex quibus patet, normam facilis, vel difficilis curationis, ab Auic. propositam non esse seruandam.

Curatio casus suprapositi, quando est durities cum gracilitate, inter ventriculum, & hepar, non videtur sufficiens; cum indicationibus, à duritie partis affectæ desumendis nequaquam satisfacere possit.

Cap. XXV. Vtitur oleo de cydonijs, in intemperie ventriculi frigida curanda; cum tamen nequaquam calefaciat, vt ab omnibus Auctoribus, & ipsa experientia compertum habetur.

Medicamentum ex *scylla* traditum ab Auic. est optimum; at eius confectio non ita perfectè tradita est, vt hoc modo in vsum venire debeat. Quare, præferatur modus ille conficiendi, quem tradidit Gal. sub finem consilij pro Puero epileptico.

Cap. XXVI. In curatione intemperiei calidæ ventriculi, exhibet *carnem pullorum*; quam tamen superius Cap. 15. & in pluribus alijs subinde adductis locis affirmauit, in huiusmodi complexione corrumpi.

Ad uentriculi intemperiem, laudat quandoque *appositionem vesicæ impletæ aqua frigida*. At Archigen. clarius sic rem explicans, vt habet Lib. 8. de Componend. Med. secundum loca Gal. applicabat etiam niuem; sed aduertebat, hæc conuenire æstuantibus, non autem simpliciter ventriculis calidis, quo casu, etiam glaciem manducandam præbebat. Verum in vsu horum medicamentorum notandum est, hæc nunquam conuenire, nisi in robustis admodum, & carnosis corporibus; atque ad euitanda pericula imminentia, notanda ea sunt, quæ narrauit Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 8. de læsione partium ventriculi circunstantium, vt & certò nobis constet locus, cui applicantur medicamenta, & eorundem qualitates cognoscamus; quod idem etiam animaduertens Auicenna, subscripsit sequentia.

Cap.

Cap. XXVII. *Cucurbitularum super stomachum appositionem* laudat in *doloribus frigidis*. At non tantum in doloribus, sed etiam ad appetentiam excitandam, & ad restituendas imbecillo ventriculo vires, conueniunt; vt habetur in proprio Lib. Galeno adscripto,& Lib.7. Collect. apud Orib. Cap. 17.

Cap. XXVIII. Curans ventriculi humiditatem, admiscet *incidentia exiccantibus*. At incidentium hic nulla est indicatio, & nullus vsus. Et si his vtitur Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 9. exhibens aeria in ventriculi humiditate (ex quo loco hæc deprompsit Auic.) ijs non vtitur in simplici intemperie humida, sed in complicata cum frigida. Exhibet postea, ad exiccandum, cibos assos in patella, qui inter cibos, ad siccitatem, conditurae pessimus est modus.

Cap. XXIX. Hoc caput totum exscriptum est à Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 6. Sed male in multis. Quare ad Gal. confugiendum. Ad exiccandam humiditatem, præscribit, *vel inunctionem, vel fricationem*. Sed alia est Gal. mens; nam fricationem mandat, ad attractionem humiditatum vtilium; inunctionem autem, ad prohibendam digestionem attractarum humiditatum, & ad occurrendum siccitati corporis.

Cap. XXX. Per *linimentum factum ex eo, quod est sicut pix*. Intelligit picationem Gal. quæ fit per dropacem, cuius confectionem omnes docent. Sed Auic. deuenit ad picationem, vbi vehementius vrgeat frigus; Galenus autem ad renutritionem corporis ea vtitur.

Cap. XXXI. Illud vinum quod Gal. Lib.7. Meth. Cap.8. vocauit minimum antiquum, idest, quod non sit admodum antiquum, conueniens in siccitate ventriculi, iuncta cum pauca caliditate, Auic. ad alterum extremum declinans, proponit *vinum recentis temporis*, idest nouum, quod nullo pacto, cum nondum à suis excrementis sit defæcatum, & flatuosum, ac crassum, quia recens sit, conuenire potest.

Oleum de cydonijs,quo superius Cap. 25. vsus fuerat,in intemperie ventriculi frigida, nunc, in curatione calidæ, & siccæ, meliori vsus consilio, vtitur, in hoc secutus Gal. sententiam.

Quod ex potu plurimæ aquæ frigidæ possit *sanari caliditas* ventriculi, *non siccitati iuncta, superflua*, desumsit Auic. ex historia à Gal. enarrata Lib. 7. Meth. Cap. 8. Attamen, quam periculosus sit huius medicamenti vsus, habetur ex Gal. eodem loco Cap. 9.

Cap. XXXII. Galenus calidam intemperiem, humiditati iunctam, loco proximè citato, curare se tutò profitetur, potu aquæ frigidæ; quem tamen curandi modum, vel neglexit, vel non considerauit Auic.

Cap. XXXIII. Quatuor modos, quibus materia aliqua in ventriculo continetur, explicauit Auic. quorum primus est, quando materia in porositatibus ventriculi continetur; secundus, quando in propria substantia, & parte solida; tertius, quando adhæret tunicis; quartus, quando est in cauitate. Primi, Tertij, & Quarti modi sæpius meminit Gal. de secundò verò non est locutus; quia in eo, vel materia non est contenta in ventriculo, cum eius substantia, in propriam eiusdem naturam commutata, nutrimentum, & materiam subministrauerit; vel quia secundum sub primo complexus est.

Exhibita hiera, monet, post ipsam parumper ambulandum esse. At potius quies facit ad actuandum medicamentum, nisi sit ex his, quæ vomitum cient, qualis est Helleborus albus, quo exhibito, ad promouendum, & minori molestia sollicitandum vomitum, iubet Hipp. mouendum esse corpus Lib. 4. Aph. 14.

Propositis pluribus medicamentis, ad euacuandam materiam, & præcipue cholericam, in stomacho hærentem, subiungit. *Et in huiusmodi quidem materijs, confert phlebotomia, quando illic est repletio, vt moueatur humor ad venas, & extremitates.* Quod documentum admodum suspectum est; cum ex impedientibus, aut certe remorantibus venæ sectionem, præcipua sint, ventriculi, primarumque viarum cruditas, & noxiorum humorum colluvies; quia, his præsentibus, ad venas internas, & maiores potissimas attrahuntur, venæ sectione, praui, & crudi succi in ventriculo, & venis communibus delitescentes; quod vitans Gal. Lib. de Curandi ratione per sanguinis Missio. Cap. 10. & Lib. 9. Meth. Cap. 4. laudat, differendam esse sanguinis missionem, quousque ventriculus purus, à cruditatibus, & corruptis cibarijs fuerit. Hoc autem Auic. nihili pendens, laudauit phlebotomiam; quæ tamen hoc casu, admodum est periculosa, cum à communi omnium excrementorum sentina, altius, ad nobiliores venas noxij attrahantur humores. Potest quidem venæ sectio tunc prodesse, non ad attrahendam à vijs communibus, ad venas materiam, sed ad refrigerandum hepar, si materia peccans sit humor biliosus; expurgato tamen eodem prius in ipso ventriculo, & primis venis; vbi autem materia peccans sit pituita, nunquam secanda vena ante coctionem materiæ, & expurgationem ventriculi, vt clarè docet pluribus in locis Gal. sed præcipue Lib. 1. ad Glauc. Cap. de Cura Feb. cum accidentibus.

Ad prouocandum vomitum pituitæ crassioris, si materia sit contumax, propinat *decoctionem nucis vomicæ, cum sinapi, & pipere.* At quoniam nomina nucis Metel, & nucis vomicæ, in officinis inuicem confunduntur, cum illa veneni naturam sapiat; hæc minimè, cauendum, ne pro vomica, nux Metel exhibeatur.

Quandoque necessarium est, reluctante pituita crassiori, deuenire ad *hieras magnas*. At istæ euacuant ab vniuerso corpore, & à remotis membris; non autem propriè à ventriculo. Quare, melius est, propria medicamenta sæpius repetere, quàm improportionata, & quæ noxam membro patienti inferre possint, exhibere, potissimum verò, cum ipse Auctor, Cap. 24. ad expurgandum ventriculum, docuerit, non assumenda esse pharmaca, quorum vis ventriculum, & venas proximas transcendat.

In effusione bilis atræ ad stomachum, exscribens à Gal. Lib. de Remedijs Fac. Par. & Lib. 8. de Med. secundum Loca vbi exponit medicamenta Archigenis, laudat, apponendam spongiam, aceto calido infusam. Sed cum expresserint, Gal. & Archigenes, aceto quàm acerrimo, dixit Auic. *calido valde*. Quare, credo Textum corruptum esse, & vocem illam Arabicam, significare, *quam acerrimo*, non quod dixerit Auic. *valde calido*.

Raritatem ventriculi curans, iubet administranda *medicamenta calefacientia*,

tia, styptica. At ex Gal. Lib. 5. Aph. 63. raritas corporis, in calidioribus, & humidioribus fit temperaturis; nam humiditas agenti non reluctatur; quod agens est calidum, cuius proprium est rarefacere. Quare, si conueniunt styptica, quoniam rara densanda sunt, erunt in actiuis, potius refrigerantia, nisi ex nimia raritate calor innatus expirans imminutus fuerit.

Cap. XXXIV. Quæ curatio conueniat, vbi ventriculus, ob acutum eiusdem sensũ, sit causa epilepsiæ, vel similium accidentium, habetur ex Gal. Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 5. in historia Grammatici, in quo, cum morbus sacer ab eadem causa illi immineret, nunquam tamen Gal. vsus est narcoticis; hæc enim sensum auferendo, vires ventriculi simul labefactant, potissimum quidem, si cum adeo exquisito sensu sit intemperies frigida coniuncta.

Si fuerit frigidum, id, quod lædit ventriculum, facile sentientem id, quod plurimum accidit, inquit Auic. *est tremor, & spasmus*. At sæpius fiunt dolores, quàm conuulsio, & tremor.

Cap. XXXV. *Pelles intrinsecas ventrium gallinarum iuuare stomachi debilitatem*, ex Gal. falsum est; cum nusquam hoc habeatur; quinimò Gal. Lib. 11. de Simpl. Med. Fac. vbi loquitur de ventre mergi, testatur, se expertum esse inutile esse huiusmodi medicamentum, & vanam promissionem huius facultatis præstare. Præterea Lib. 3. de Alim. Fac. Cap. de Differentia à partibus volucrum, dicit, falsum esse, ventriculos coctionem iuuare; quinimo hos non facile concoqui affirmat.

Pluribus, inquit, conuenire semel in die, & parcè cibum sumere. At vbi corpus sit raræ texturæ, & difflabile, ac habitet sub cœlo, & in regione, quæ resolutionem corporis inducant, ad fouendas vires, huiusmodi victus non sufficiet. Quare hæc norma seruanda tantum fuerit in oppositis conditionibus.

Solutiua magis conuenientia stomacho, sunt, inquit, *aloe, & absinthium*. At notandum est, hæc conuenire in materia biliosa, non pituitosa; quod pluribus locis notauit Gal. aloe enim, & absinthium, non sunt idonea euacuandis humoribus pituitosis, & crassioribus, vt in primis docet Gal. Lib. 6. de Tuenda Sanitate, dicens. *Porro absinthij potio his aduersissima est, vt quæ pituitosum succum ipsorum ventri affigat, cum detergendi vim non habeat, quæ adeo sit æstimanda*. Sed nec aloe his valde conducit; cum ei biliosi humoris trahendi facultas insit, Cum autem addit Auic. quod *Absinthium ipsum totum, non succus eius est exhibendus; quia hac stypticitate, quæ est in herba, caret*; apparet falsum dixisse, tum sensu, tum ex prædicta Galeni sententia; quoniam succus non alia ratione succum pituitosum ventri affigit, quàm per adstrictionem.

Laudat *passularum vsum in secunda mensa*. Sed si subducentia aluum, in prima mensa, vt docet Gal. conueniunt, & alijs cibis præmittenda sunt, tutius fuerit passulas, si non fuerint in adstringentium, & austerarum censu, sed dulces potius, alijs præmittere cibis.

Cap. XXXVI. Cum ait Auicenna. *Et sciat, quod omne, quod stypticitatem non habet, ex succis propriè, & alijs, communiter est malum stomacho*. Si loquitur de ventriculo non naturaliter se habente, sed vel laxato, vel debili, vel supino,

no, vel quid huiusce modi patiente, sententia hæc admittenda erit. Si au hac complectatur etiam naturaliter se habentes, improbanda, aliqua parte erit; quoniam homines naturaliter se habentes, cum vtilitate, & delectatione cibis dulcibus, & pinguibus, atque nulla qualitate vehementi præditis, vtuntur; quæ tamen omnia stypticitate carent, vt habet Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 14.

Ex medicinis propriè lædentibus stomachum, enumerat *grana iuniperi*. Quæ tamen calida, & adstringentia sunt, quorum ratione, maxime prodesse potius possunt ventriculo; vnde non immeritò Dioscorid. ea ventriculum iuvare monet. Quare credo ego, Interpretem in hoc errasse.

At cum in hoc Tractatu Auic. plurima docuerit, agens de naturalibus ventriculi temperiebus, quæ ægritudines ei contingant, & multa de significationibus complexionum præter naturam addiderit, & exquisitam omnium affectuum ei accidentium doctrinam tradere conatus sit; attamen solum neglexit casum, maximè in actu practico aduertendum, & quid difficillimum, tum cognoscendo, tum curando morbo, videlicet, cum os ventriculi contrariam toti eius cauitati sortitur temperiem, vt puta, cum os est calidum, reliqua vero substantia frigida; vel è contrario, cum hæc calida, illud frigidum est; nam, licet hepar, vt habet Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 5. videatur totum ventriculi spatium simili dispositione afficere, quales sunt, quæ ipsius oris; tamen quandoque accidit, vt dissimili, vel contrario temperamento prædita sint, vt sæpius experientia mihi compertum; & vt docet etiam Gal. Lib. 1. de Sanitate Tuenda, dum scribit, partes corporis nostri, quandoque esse diuerso, & cõtrario temperamento donatas, & hoc non solum aliquando in diuersis, sed etiam in eadem parte contingere; vbi, exemplo ventriculi, & oris eius, ait. *Ego vero in vnica instrumentalium partium, intemperiem, idque non in paucis notaui, ita vt, uerbi gratia, reliqua omnis uentriculi concauitas, uno temperamento commodo, incommodoue esset, alio ipsum duntaxat uentriculi os.* Hoc itaque notetur, quoniam in praxi maximo vsui esse potest.

Fen Decimatertia Tract. II. Cap. I.

Cap. I. D*Olorem uentriculi ex intemperie cum materia, propriè*, inquit Auic. *fieri à materia acuta mordicatiua.* Sed cur dixit, *propriè*? Græci responderent, quod propriè cardialgia, vt habet Gal. Lib. 2. de Dec. & Plac. Hipp. & Plat. Cap. 8. & pluribus alijs locis, fit ab humore acri, ventriculi os mordente; & ideo dixit, *propriè*. At Arabes non vtuntur hac voce, proprium affectum significante; & ideo Auic. sub hoc Cap. omne doloris ventriculi genus comprehendit. Sed forsan dixit, *propriè*; quia ab hac materia sæuiores inducuntur dolores. At frigidis admotis, tactus aliquando adeo grauiter afficitur, vt sequatur etiam mors, vt apparet ex potu aquæ frigidæ, cuius inferius ipse meminit.

Quandoque fit dolor ex uentositate, ait Auic. *& tunc dolor, aut est fortis, aut pungitiuus.* Quid autem per *dolorem fortem* intelligat Auic. difficile est iudicare,

care; cum dolor fortis, ideſt vehemens, poſſit dari in quacunque doloris differentia. At ſciendum, dolores à flatu hoc pacto fieri, quod inter membranas hic concluſus, pungentes excitat dolores; in cauitate autem, extendentes; quod ſi augeantur, fiunt dilacerantes. Præterea ſciendum eſt, quod non tantum à flatu fiunt pungentes dolores in ventriculo; ſed etiam à materia tenui, acri, & pauca; ſi enim huiuſmodi materia fuerit multa, erunt lancinantes.

Quod ex potu aquæ frigidæ, grauis ſuccedat dolor, & aliquando ſubita mors, id nobis teſtata eſt experientia: quod potiſſimũ accidit, cũ patientes ex concitato exercitio prius valde incaluerint; vt contigit in luſore magnę pilæ, qui media æſtate ludens, & æſtuans, & ex valido motu, & calore, phialam aquæ frigidæ bibens, accedente oris ventriculi ſummo cruciatu, paucis poſt horis è medio ſublatus eſt. Quod autem dicit Auicenna, prouenire *ex tali potu dolorem æſtuoſum*, impropriè locutum eſſe arbitramur, per *æſtuoſum*, non qui calorem, ſed qui moleſtiam maximam inducat, intelligentem.

Miror, cur Auic. enumerans doloris ventriculi differentias, neglexerit eos, qui à materia pituitoſa, & frigidiori pendent; cum tamen hi frequentius, quàm illi, qui à materia calida, humanum genus affligant; & cur omiſerit eos, qui à vermibus inferuntur; cum tamen hi ſæpius conſueuerint eſſe pernicioſi, & lethales.

Prognoſticum illud, quod citat, ex Lib. *mortis feſtinæ*, præter id quod rationi non conſentaneum eſt, *cum pedi, & ſupercilio* nihil ſit commune cum ventriculo, experientiæ non reſpondet, ſuperſtitioſum potius, quàm verum, iuxta Medicinæ præcepta.

Cap. II. *Doloris mordicatiui* duplicem proponens differentiam; alteram *cum inflammatione*; alteram *ſine inflammatione*; illam, *materiam calidam*; hanc, *frigidam ſignificare docet*. At Gal. Lib. 4. de Simpl. Med. Cap. 2. monet, non tantum ab acribus humoribus; ſed etiam à frigiditate dolorem mordicatiuum fieri. Quomodo autem diſcernantur, & diſtinguantur ab inuicem, idem tradit, dicens, quod, *cum frigiditate, eſt ſenſus contractionis, & condenſationis; cum caliditate autem, prout quando ſunt humores acres, cum ſenſu fuſionis, & diſſolutionis*.

Mordicantium humorum ſignum, eſſe rigorem à ventriculo incipientem docet Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 31. vbi habet hæc verba. *Nam cum frigidus, aut mordax ſuccus in ore ventriculi conſederit, ex corruptis cibis, aut praua qualitate, vel etiam confluxu ex corpore contractus, initium rigoris inde capitur.*

Proponens ſigna doloris ex Cholera, præter alia, addit, *vt non ſit digeſtio diminuta*. Quæ verba ſimpliciter ſic prolata, falſa ſunt; quoniam bilis in ventriculo omnino coctionem lædit; ſed intelligatur comparatiuè, ad productum à melancholia.

Cap. III. Docuit Galenus, dolores tripliciter remoueri, ſcilicet, per remotionem cauſæ, per anodyna, & per ſtupefacientia. Si dolor non ſit vehemens, curandus eſt per remotionem cauſæ; ſi vehementior, ab anodynis incipiendum; ſi verò his non cedat, vel periclitentur patientes virium diſſo-

lutione,

lutione, deueniendum est ad stupefacientia. Ex his tribus modis, solum curandi modum docet in hoc Cap. Auic. videlicet, per remotionem causæ; alios verò neglexit, vel quia dolores non vehementes ab eo curantur, vel quia sperat omnes hac curatione tolli posse.

Si videris arefactionem, & extenuationem, inquit Auic. *administrabis tinas, & potabis ipsum, &c.* Quæ verba, significanr, eum curare dolorem à siccitate. Sed oppositum obseruamus; primo, quod in hectica ventriculi, non est dolor; & ideo in nulla eius siccitate meminit Galenus doloris: secundo, quod quæ dolorem inferunt, debent confestim agere, at siccitas videtur potius esse materialis qualitas, quam actiua. At forsan Auic. intellexit non simplicem, sed siccitatem iunctam caliditati, de qua loquebatur. Atque siccitas, cum est inæqualis intemperies, non verò, cum æqualis, apta est dolorem inferre, qui moderatus necessariò est; quia à siccitate, cum non sit actiua, huiusmodi fiunt, vt habet Gal. Lib. 2. de Comp. Med. Secundum Loca, in principio; vehementissimi autem fiunt à caliditate, & frigiditate; quia hæ duæ qualitates propriè actiuę sunt.

In curatione doloris ventriculi, qui tardè ab assumpto cibo inuadit, exhibet *Troch. stellæ*; qui tamen cum recipiant radices mandragoræ non videntur idonei; vt apparet ex Gal. qui Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, in examine noni, & decimi medicamenti Asclepiadis, improbat, ad affectus ventriculi, ea medicamenta, quæ recipiunt radices mandragoræ, tanquam humanæ naturæ contrarias.

Iterum ex Gal. laudat ad stomachi dolorem, *internas uentriculi gallinarum pelliculas*. Sed quid censeat in hac re Gal. colligere est ex annotatione super Cap. 35. superior. Tract.

Mordicationem stomachi curare docet Auic. *per res frigidas, sicuti per lac acetosum*. Gal. autem Lib. 2. de Simpl. Med. Fac. Cap. 12. sub finem, & 13. monet, quod vbi ventriculus morsum sentiat, & doleat, propter mordaces, & malos humores, ægri sint nutriendi cibis contemperantibus, sicuti ptisana, lacte, chondro, & similibus, à quibus si non sedetur affectio, indicio est, tantam esse humorum malignitatem, quæ cibos corrumpat, & hoc casu, docet, ægros euacuandos esse, vt qui multa, & facili corruptione sint repleti.

Cap. IV. Quod stomachicis subuersionibus symptoma inesse docebat Gal. exponens Lib. 8. de Comp. Med. Secundum Loca, stomachica, Asclepiadis scilicet, quod ab accepto cibo, si paulo vehementius moueantur, statim vomant, paulo aliter exprimit Auic. dicens, vel *patientem non posse moueri, donec ipsum euomat*, vel existimare se *patientem non posse moueri, quando vomat*.

Ventriculi imbecillitate admodum aucta, inquit, *patiens erit deiecti pulsus, pronus ad syncopen, & quærit cibum*. Per quæ verba, circunscribit bulimum, quia in hac imbecillitate, est adeo insignis intemperies, vt extinguat ferè omnino virtutem; & ideo, cum ait, *quærit cibum*, non est intelligendum, quod quærat cibum, ob famem, quia appetentia, ex insigni intemperie, deiecta est; sed quod quærat cibum, ob defectum, quem sentit; & ideo, quia

caret

caret appetentia, subiungit, *& quando approximatur ei cibus, terretur ab eo.*

Distinguens debilitatem ventriculi à loco, inquit, *quod hæc debilitas quandoque est in superioribus partibus stomachi, quandoque in inferioribus, quandoque in vtrisque.* Sed distinguuntur inuicem hoc signo, quod *si debilitas sit in superioribus partibus, læsio à cibo est in principio comestionis, dum est cibus in superioribus partibus; si autem debilitas sit in inferioribus ventriculi partibus, nocumentum est, cum requiescit cibus, & apparet eius vestigium in egestione.* Quæ sententia exscripta est à Gal. Lib. 8. de Comp. Med. Secundum Loca, vbi expendit nouum medicamentum Asclepiadis; sed longè aliter: Gal enim, si valde debile fuerit ventriculi os, non tantum ingerendo cibo, sed & ante cibi vsum, & post assumptum cibum, ipsum pati monet, hæc scribens. *Quando enim os ventriculi fortiter afficitur, hoc autem, veluti dixi, ob vitiosos humores, quos nenter absumere conatus, propter debilitatem, nauseæ accessionem perpetitur; atque hanc etiam, tum ante cibi acceptionem; tum post ingestum cibum, ob extremam debilitatem profert.* Hæc Gal. Ex quibus patet, non esse signum mancum, læsionem à cibo, in principio comestionis. Galenus etiam paulò post, comparans superiorem, cum inferiori ventriculi parte, dicebat. *Non parum sæpe contingit etiam, non solum stomachum, sed & ventrem, ob debilitatem, ferre non posse ciborum onus, atque ideo reijcere, aliquando quidem ad infernam partem, vbi illis robustior est stomachus; aliquando vero sursum, ob stomachi imbecillitatem, quando sane hic debilior fuerit infernis partibus.* Ex quibus Gal. verbis patet, in summa venrriculi debilitate, cum non possit onus ciborum perferre, non posse in eo diutius cibum *requiescere*; sed necessario, vel per vomitum, si partes superiores sint languidiores; vel per secessum, si inferiores, educi. Et forsan id intelligebat Auic. dum de debilitate partium inferiorum loquens, dicebat. *Et apparet eius vestigium in egestione*; intelligens etiam, per *cibum requiescentem in ventriculo*, non diu morantem; sed qui in eo hæreat, non eductus per vomitum.

Veritas est, vt inquit Auicenna, *quod debilitas sequitur omnem malitiam complexionis.* Attamen, hinc non excludatur etiam, quod debilitas non possit consequi vitiosos humores, vel os ventriculi, vel eius ventrem occupantes, vt clare habetur ex Gal. loco superius citato. Quæ debilitas, quoniam duplicem habet causam, duplicem etiam curationem requirit, vt ibidem habetur; nam quæ à vitiosis oritur humoribus, eorundem euacuatione tollitur; quæ vero ex malitia complexionis, intemperiei correctione curabitur.

Cum inquit Auic. *Et quandoque vehementia debilitatis stomachi curatur cum calefacientibus, & dominatur ei sitis.* Alludit ad historiam enarratam à Galeno Lib. 7. Meth. Cap. 8. & ideo cum inquit, *curatur*, vult dicere, quod ita malè curatur; quia vbi foret refrigerandum, debilitate ab intemperie calida manante, calidis medicamentis agitur.

Et solutio ventris est ex eis, quæ debilitant eum, & fit cum ea, soda. Quod solutio ventris possit, cum excedit, & diuturna est, labefactare ventriculum, patet; sed quod cum ea fiat soda, nihil videtur ad ventriculum pertinere; nisi forsan sit solutio ventris producta à destillante materia à cerebro.

Expo-

Exponens symptomata virtutis retentiuæ, & in eis enumerans *tremorem*, eiusque signa docens, quæ ex Gal. Lib. de Differentijs Sympt. Cap. 4. exscripsit, inquit. *Si superfluat, fit tremor magnus, & sentitur ex eo, sicut sentitur in tremore reliquorum membrorum*. Sed in hanc rem, sciendum est primo, quod ventriculus propriè tremorem non patitur; vnde Gal. Loc. Cit. his verbis vsus est. *Noxam vero, quæ veluti tremor fit, &c.* Secundo quod hæc noxa, quæ est veluti tremor, non potest esse tanta, vt faciat tremorem magnum, qualis sentitur in tremore reliquorum membrorum; quoniam, nec in ventriculo est motus voluntarius; nec aucta debilitate, maior potest fieri tremor. Rigor quidem ab ore ventriculi, ex frigido, vel mordaci succo, vt superius notaui ex Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 31. potest habere ortum, qui rigor impertitur vniuerso corpori; attamen, nec ad hoc genus referendus est tremor ventriculi; cum aliam causam valde differentem à causa rigoris habeat.

Si cibus tardè descendat, cum uirtus expulsiua sit debilis, monet exhibendum esse *panem, plurimum fermenti habentem*; *si autem cito descendat, ob debilitatem retentiuæ, dicit panem declinantem ad azymum magis conuenire*. At panis azymus difficilioris quidem est concoctionis, ac proinde longiori mora eget in ventriculo; attamen quid prodesse possit ad roborandam ventriculi vim retentricem, non apparet.

Cap. V. Alias notaui, *citrinitatem* fieri ex effusione bilis. Quare, vel hoc signum erit consequens cruditates obstruentes iecur; vel per *citrinitatem*, intelligamus colorem plumbeum, & pallidum, qui in huiusmodi affectu efflorescere consueuit, deficientibus spiritibus, & imminuto calore natiuo; qui color à Gal. Lib. de Plenitud. dicitur, *decolor quædam in toto corpore albedo*.

Cap. VI. *Stante repletione*, administrat *quietem, & somnum prolixum*. At ex Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 3. longior somnus his non est salubris; *cum nec crudos succos digeri sinat, & uiscera grauiora reddat. Sed si quis*, subdit Gal. *alius est affectus, qui somnum, & uigilias modicas desideret, hic profectò in his est; quippe somnus concoquit, uigiliæ digerunt, quorum utroque opus est ÿs, qui ex multitudine crudorum succorum ægrotant*.

Cap. VII. Enumerat, inter causas destruentes appetitum, *phlegma plurimum uiscosum, comprehensum in ore stomachi*. At cum multiplex sit phlegma, declarandum erat, à quo fieret inappetentia; cum non omne phlegma sit aptum hoc symptoma inducere; quinimò aliquod eius genus possit famem caninam excitare. Quod fecit Gal. diligentissimè Lib. de Plenitud. dicens. *Cum ex pituitæ generibus vnum sit dulce; alterum acidum, tertium salsum, quartum crudum, ex dulci fiunt somnolenti*; famelici *ex acido, ex salso siticulosi, ex crudo minime appetentes*. Quare phlegmatis genus, si quod copiosum potest inappetentiam inducere, potissimum erit crudum; quod tamen ratione caliditatis fundentis, idem potest facere, & dulce, & salsum; acidum autem non, cum ex constrictione oris ventriculi famem potius inducat.

Inappetentiam fieri quandoque, propter *repletionem corporis, & paucitatem resolutionis, monet*. At hic erat distinguenda repletio; quæ duplex esse

potest,

potest, scilicet, vel in habitu totius corporis, videlicet in partibus carnosis, vel in vasis. Hæc autem distinctio est necessaria; quoniam vtraque diuersam requirit curationem.

Inappetentiam induci etiam, vbi *melancholia ad os uentriculi non transmittatur*, affirmat. Sed superius notauimus, quid in hoc sit sentiendum.

Inter causas inappetentiæ, enumerat *debilitatem hepatis*. At, per *debilitatem hepatis*, hic, non eam imbecillitatem, cuius causa hepatici dicuntur patientes intelligamus; quoniam in his, appetentia non solum seruatur, quinimo in plerisque fit vegetior; sed, per *debilitatem*, eam intelligamus, qua iecur grauiter adeo affectum est, vt hinc virtutis naturalis sequatur labefactatio; cuius læsionem sequitur etiam inappetentia. Quam sententiam exscripsit (si hoc sensu rem intelligit) à Gal. Lib. 3. Epid. Sect. 1. Com. 13. vbi reddens rationem, quare toto tempore ægritudinis, Hermocrates gustare non potuisset, habet hæc verba. *Vnde ex his collectis, quæ dicta sunt, est perspicuum, iecur mirè fuisse affectum, principium uegetatricis, & naturalis animæ; cuius ostendimus quatuor esse uirtutes, attracticem, retentricem, alteratricem, & expultricem, quæ suppeditant corporibus, & nutrimentum, & augmentum; & hac affecta, mirum in modum appetitus perit, ut mori citius, quàm gustare quicquam sustineant ægri.* Quam opinionem, videlicet, quod male affecto iecore, tollatur appetentia, amplexi sunt Antiqui; cuius meminit Galenus Lib. 3. Prorrh. Com. 8. dicens. *Ciborum auersionem aliquando fieri ratione affecti iecoris, opinantur Antiqui.* Sed non tantum inappetentiam inducit hepar ipsum male affectum; sed etiam, cum naturaliter se habens, optimo abundat sanguine; huius enim ratione ventriculus saturatus, externum non appetit cibum; vt clarè docet Gal. Lib. 3. de Naturalibus Fac. Cap. 11. his verbis. *Est nonnunquam quo minus animal esuriat, causa, nutrimenti in iecore abundantia; quippe uenter, si melius, paratiusque nutrimentum habet, externum non postulat.*

Quod de phlegmate notaui, notandum etiam de Melancholia censeo, videlicet, quod ab Auicenna declarandum erat, quæ melancholia sit apta inappetentiam producere, cum iam explicatum sit ab eo, hanc facere ad excitandum appetitum, & constitutum sit, eam excitare appetitum caninum. Sed ex prænotatis à me, ex Gal. Lib. de Multitud. liquet, quæ appetentiam, & quæ inappetentiam inducere possit; quæ enim est acida tantum, appetentiam augere est apta; quæ autem non est acida, vt est succus melancholicus naturalis, non auget famem; qui succus, si vlterius alteratus, tendat ad naturam atræ bilis, tollit famem; quia ex adustione, abundat pluribus partibus calidis, quarum ratione, fit colliquatio in ore ventriculi; hic verò, nisi valde acidus fiat, scil. cum malignior est, vt ait Gal. nunquam aptus est appetentiam excitare.

Præter prædictas ab Auicenna causas, superest altera, quam experientia docet, scil. destractio spirituum ad aliam operationem, intensius facta, vt apparet in lusoribus, & studiosis; qui vbi proprio operi nimium incumbunt, appetentiam amittunt; distrahuntur enim spiritus à proprio opere; vnde non appetunt.

Cap. VIII. Inter signa causarum inappetentiæ, cum non resoluitur corpus,

 enume-

enumerat *multitudinem egestionum*. At signum hoc est incertum; cum tunc solum multæ sint egestiones, cum plurimum comederint patientes; signum autem certius fuerit, non multitudo, sed humiditas egestionis; ratio est, quia non facta attractione, quod reliquum est cibi humidius superest.

Inter indicantia inappetentiam à melancholia, recenset *saporem acetosum*. Sed cui dubium, quod melancholicus succus, si acidus fuerit, appetentiam augeat. Quare potiora erunt Gal. signa Lib. de Multitud. tradita, vbi inquit. Quod *ex atra bile in uentriculo existente, patientes fiunt mœsti, & amarulenti, & horribiles, & sitis expertes, ac saliua redundantes*; atque omnes hi cibum auersantur, præter eos, in quibus atra bilis qualitatem acidam exuperantem obtinet.

Cap. IX. Monet, in appetentia excitanda abstinendum esse *à croco*. Quod licet rationi consentaneum non videatur; quod crocus caliditatem cum adstrictione, quæ duæ qualitates stomacho amicæ sunt, possideat; tamen hoc maxime aduertendum, cum experientia hoc verum esse testetur, validiori potius forsan eius calore, fundendo, quàm adstrictione, roborando; atque adeo mali hospites, prima mensa apponunt cibos croco conditos, vt commensales citius saturati, à reliquis cibis abstineant. Quare, cum ad excitandam appetentiam, vsus Lieræ adhibetur, consultum fuerit, in eius compositione, abstinere à croco.

Inappetentiam à *phlegmate plurimo, & uiscoso*, productam, curat *uomitu, cum raphano comesto*. At hæc materia, antequam vomitu educatur, primo est attenuanda, secundo abstergenda à ventriculo, alias non præparata, si vomitu educeretur, plurima grauia symptomata inferre apta est.

Inappetentia propter *spissitudinem, & paruitatem suctionis uenarum ex hepate*, curatur per *rarefacientia corpus, cum balneo, exercitio temperato, & prouocantibus sudorem*. Quæ omnia conueniunt quidem, si in habitu totius corporis adsint tantum humores obstruentes, crassi, & viscidi; at si præter habitum corporis, etiam sint intra venas, talis curatio est imperfecta, cum in hac requirantur medicamenta attenuantia, abstergentia, & concoquentia hanc materiam, per os assumpta, aliàs, præsente hac materia cruda, balneum, exercitium, & sudorem prouocantia, eam fundendo, causa sæuioris morbi forent.

Cap. X. Appetitus corrupti, quem Latini Picam appellauerunt, existimauit Auicenna causam esse humorem alienum à natura, in ventriculo aggregatum, à quo patiens stimulatur ad appetenda ea, quæ qualitatem ei adeo oppositam habeant, vt propter eam assumpta possint exiccare, & incidere contrariam qualitatem, in humore os ventriculi obsidente existentem.

Fundamentum huius opinionis fuit Gal. sententia, proposita Lib. Art. Med. qua docet, ventriculum, dum naturali gaudet temperamento, similia appetere; vbi autem contra naturam sit affectus, contraria desiderare. Sed ratio hæc manca est; quoniam ibi Gal. loquebatur de appetentia ciborum, homini consuetorum, & proportionatorum, in qua hic seruatur ordo, quod homines naturaliter, quoad ventriculum bene dispositi, similia, præter naturam autem, & malè affecti, dissimilia appetant. Quare, cum hic

appe-

appetitus corruptus, Pica dictus, ad alienas ab hominis natura, & nutritioni ineptas res sit, alia causa est inuestiganda; vt scil. primo statuatur, quod alimentum, qua tale (sicuti ex Galeno pluribus locis habetur) duo requirit; alterum est similitudo temperamenti; alterum familiaritas naturæ; quorum si alterutrum, vel ambo desiderentur, alimentum non erit; qualia sunt, lutum, calx, gypsum, carbones, terra, caro cruda, & alia huiusmodi, in pica auidè desiderata, in quibus deest omninò naturæ familiaritas; ex parte autem, temperamenti similitudo. Quemadmodum autem homines alimenta sibi proportionata, siue naturaliter, siue præter naturam dispositi, appetunt, primo ratione familiaritatis naturæ, vnde conuenientia quærunt; secundo verò ratione similitudinis temperamenti, cuius ope hoc alimentum conueniens, huius magis qualitatis, quàm illius desiderant. Eadem ratione, picam patientes, appetunt illas res homini improportionatas, & nutritioni ineptas; primò ratione familiaritatis naturæ, non hominis absolutè, sed eius tantum humoris praui, qui os ventriculi obsidet; qui humor cum sit omnino à natura hominis alienus, ita stimulat virtutem ad appetendum, aliena quidem ab hominis natura, similia autem humori peccanti; & propterea alias dixi, dum agerem de rabie, in pica appetere patientes insueta, & à natura humana aliena, ob simpathiam humoris præsentis, & occupantis os ventriculi. Quod autem talis humor, qui similis prædictis rebus est, possit in corpore nostro congeri, & generari, nulli debet esse dubium; cum non tantum in ore ventriculi genitus, ex vomitu aliquando pateat; sed etiam experientia doceat, in alijs corporis partibus accumulari; vnde, sicuti etiam testatur Gal. Lib. 14. Meth. Cap. 12. in abscessibus aliquando reperiuntur substantiæ, lutum, olei amurca, vini fęx vngues, pili, ossa, testę, lapides, porra, & huiusmodi plura ineffabilia. Tales autem humores, cum obsederint os ventriculi, eius facultatem immutantes, stimulant appetentiam, non amplius ad naturalia, sed ad ea quæ sunt præter naturam; & tunc ratione symbolæ qualitatis, fit appetitus ad similia. Quare, prima ratio huius corrupti appetitus, erit familiaritas naturæ peccantis humoris. Præcedente autem hac naturæ familiaritate, secundo fit etiam appetentia hæc, ratione temperamenti, non naturalis ventriculi; sed humoris peccantis, & ventriculum corrumpentis, qui vt prauus, ita & praua cogit appetere; & vt in naturali temperamento contingebat, quo similium erat appetitus; ita in hac alteratione, similium est appetentia, atque adeo alienorum, tum ratione familiaritatis naturæ; tum ratione similitudinis temperamenti, in pica erit appetitus; non autem vt censuit Auic. ratione contrarietatis, & diuersitatis. In illis verbis, *& est ille, qui nominatur periculum, & discrimen*, clare apparet, Interpretem, ex ignorantia vocum errasse, cum dicere debuerit, *ille qui appellatur pica, & malacia.*

Cap. XI. Auicenna, postquam admodum confusè curationem corrupti appetitus, maximam partem explicauit, prorumpit in hæc verba. *Et oportet, ut loquamur in hoc, secundum experimentum, non secundum ratiocinationem.* Quæ sententia sanè indigna est tanto viro; cum in hac curatione, prout & in cæ-

teris, Medici rationales, potius ratione, quam experimento duci debeant. Sed defectus Auic. in hoc fuit, quod non habuit auctorem, à quo distinctè, & cum ratione explicatam hanc curationem exscriberet; cum omnes potius, tanquam Empirici, quàm rationales de hac affectione scripserint. At curatio huius affectus, hoc pacto instituatur. Cum hærent humores vitiosi, & alieni in ore ventriculi, appetentiam ad extranea, & corrupta excitantes, tres exoriuntur intentiones. Prima est, euacuatio humorum peccantium; secunda, remotio horum ab ore ventriculi; tertia, est eorundem contemperatio. Pro prima intentione, duplicia sunt euacuantia; alia sensibiliter, alia insensibiliter. Sensibiliter euacuantia, sunt ea, quæ vel per vomitum; vel per secessum euacuant; in quorum vsu considerandum, an materia sit insinuata tunicis ventriculi, an in eius cauitate contineatur; quoniam, in prima, non conuenit vomitus (quod non animaduertit Auicenna) qui in secunda conuenit; sicuti accommodata sunt ea, quæ per secessum euacuant; in vtraque tamen, semper cauendo à validioribus medicamentis, & quæ euacuant à toto; licet in hanc rem male vsus fuerit Auicen. turbit. Insensibiliter euacuabunt, exercitium, ieiunium, medicamenta discutientia, & præcipuè confectiones magnæ. Pro secunda intentione, facient abstergentia, & remouentia materiam ab ore ventriculi; in quem vsum venient, amara, & quæ validam concussionem in corpore faciunt, vt sternutationes; quæ sicuti prosunt in singultu, ad euacuandam materiam ab ore ventriculi, similiter prodesse poterunt in hoc casu. Pro tertia intentione facient omnia contemperantia, & præcipue, quæ exiccare, & absumere vitiatos humores possunt; in quorum vsu animaduertatur, qualis sit materia peccans, scilicet, an vel calida, vel frigida sit, vt in frigida, contemperantibus calidis, in calida, contemperantibus frigidis, vel in vtraque temperatis vtamur. Siccantia autem, & absorbentia in omni casu conuenient, vbi peccantis intemperiei non sit contraindicatio. Hac igitur via, & Methodo agentes, rectè, & summa cum ratione hanc passionem curare poterimus, non tanquam Empirici, sed vt Rationales, operantes. Et si rectè considerentur præscripta ab Auctoribus, hoc casu medicamenta, omnia apparebunt, licet nullo discrimine proposita, ad has tres intentiones collineare.

Cap. XII. Notandum est, quod appetitus caninus proprie sumptus, est fames continua, & insaturabilis, in qua, assumpto copioso cibo, atq; adeo grauata natura, solent patientes vomere, sumpta similitudine à canibus; quod si non vomant, excernuntur cibi per secessum. Hæc fames, (vt alias scripsi) habet vnicam causam, scilicet intemperiem frigidam, vel puram, vel cum materia. Cætera autem intensioris appetitus genera, vocantur etiam aliquando impropriè, ad prædicti similitudinem, canina; quanquam non verè talia sint; quoniam in his, æque ac in illo, non est fames continua, & insaturabilis; ab assumpto enim cibo saturantur, & quiescunt in his patientes; quod non contingit in appetitu propriè canino. Vnde hic animaduertatur, quod Auic. hoc loco, per *appetitum caninum*, non intelligit solum propriè dictum; sed etiam omnem aucti appetitus speciem, à quacunque

fiat causa; Quare, nil mirum, si eam appetentiam, quæ euacuationibus, & morbis longis solet succedere, appellet caninam, sicuti & alias famis plures species, quæ nequaquam sunt caninæ.

Cum enumerat inter aucti appetitus causas, intemperiem oris ventriculi calidam. An consentiat Galeno, & veritati, ex superioribus annotationibus habendum; quibus ostendimus, hanc Auicennæ sententiam, quam ab Alexandro mutuatus est, principijs Galeni contrariam esse.

Appetitus canini communiter sumpti duas assignabat Gal. Lib. 1. de Sympt. Caus. Cap. 7. causas; altera fuit intemperies frigida cum materia; altera, copiosior totius corporis euacuatio. Hanc secundam duplici ratione contingere docuit, vel à caloris robore; vel à Retentricis facultatis imbecillitate. De hac secunda causa pariter locutus Auic. inquit, hanc totius corporis euacuationem, quam sequitur ingens fames, primò fieri à caliditate totius corporis, idem corpus resoluente; quandoque inducta ab aere calidiori, cum inuenerit subiectum raræ texturæ, & facilis resolutionis; quandoque vero intrinseca, sed quæ sit digerens, & resoluens; præcipue autem, vbi pariter caliditas extranea accedat, cum raritate texturæ, aut debilitate virtutis retentricis. Quare hæc omninò est sententia Auic. quod appetitus intensi, ex resolutione totius corporis pendentis, causa sit caliditas, vel inducta ab aere; vel interna, causam procatarcticam non habens; quę caliditas eo validius resoluat, si vel corpus sit raræ texturæ, & facilis resolutionis; adsitq; imbecillitas virtutis retétiuę. Ex quibus sanè causis fieri appetitum immoderatum possibile quidem est; hic tamen nunquã similis fuerit illi, qui æmulatur verè, & propriè caninum; nisi præter enarratas prius causas, addatur altera à Gal Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 3. proposita, videlicet, facultatis omnium corporis partium attractricis, & simul cum ea, earundem naturalis appetentiæ robur: si enim hæc absit, possunt quidem patientes ingentẽ ciborum appetentiam pati; non verò eam, qua, nisi triplum, & quadruplum, & aliquando quintuplum assueti cibi assumant, fame admodum cruciantur. Robore autem prædictarum facultatum præsente, coguntur, ob celerem dissipationem, prædictam ciborum copiam assumere, calore valido, virtute autem retentrice imbecilla existente. Quare, ad hanc famem excitandam, tria hæc concurrent, caliditas ingens, debilitas virtutis retentricis, attractricis autem, & naturalis appetentiæ robur. Quibus tribus præsentibus, mirum quantum cibi cogantur assumere patientes, sollicitante fame: non enim tantum quadruplum, & quintuplum; sed etiam *obseruatio immodici appetitus* decuplum quandoque assumunt; vt vidi ego in muliere, quæ spatio 24. horarum, tantam cibi quantitatem erat coacta assumere, quantam sana, 10. diebus non potuisset; quæ tamen à me curata tandem conualuit.

Appetitum caninum, seu famem ingentem, prouenire aliquando ex *destillatione à capite* monet. Sed nisi destillatio sit acida, nullus est consensus, & nulla est ratio, ob quam, ex destillatione possit augeri appetitus.

Cap. XIII. Debilitatem virtutis retentricis indicantia signa exponens, tum totius corporis; tum ventriculi, videtur simul signa explicare velle; cum

tamen quæ pertinent ad debilitatem ventriculi tantum recenseat; *multitudo enim egestionum, & via ad diarrhæam*, nihil habet commune cum retentrice totius corporis; quinimò, in hac oppositum potius contingit; cum paucæ fiant egestiones in vberiori corporis euacuatione, pendente à debilitate virtutis retentricis totius corporis; vt docet Gal. Loc. Cit. Lib. 1. de Cauſ. Sympt. Cap. 7. ex hoc diſtinguens appetitum caninum, ex corporis copioſiori euacuatione, ab eò, qui fit ab acido ſucco.

Signa eius famis, quæ ex multa reſolutione contingit, non enumerat, confugiens in his, ad vniuerſales canones. At ex Gal. hæc habeantur, videlicet, quod in tanta alimentorum copia, quam coguntur aſſumere patientes, nec cibi crudi permanent, nec per aluum deijciuntur, nec plenitudinem, quæ ratione ſuccorum, attenditur, efficiunt, nec probè corpus alunt; cum hinc, nec pingueſcat, nec carnoſius euadat; vt docet Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 3. ſed celeriter diſcutiuntur, & diſſipantur, poſtquam attracti ſunt, ad nutriendum vniuerſum corpus. Quoniam verò attrahuntur ab vniuerſo corporis ambitu, ob robur virtutis attractricis; ideo in hac fame egeſtiones ſunt paucæ, perducto alimento ad vniuerſum corpus; vt habetur ex Gal. Loc. Cit. Lib. de Sympt. Cauſ.

Cap. XIV. Curans Auic. appetitum caninum, longe differt à Gal. in exhibendo vino. Galenus enim poſt aſſumptum cibum (prohibens, & damnans eius vſum ieiuno ventriculo) monet, exhibendum eſſe. At Auicenna oppoſitum cenſet, dum inquit. *Ipſum enim ſanat ab ea, ſumptum in potu, calefactum, in ieiunio*. Sed forſan ſunt vndique validæ rationes; nam Auic. potius reſpiciens cauſam, quàm affectum, exhibet ieiuno ventriculo; quoniam ſic magis calefacit. Galenus autem, reſpiciens tum cauſam, tum affectum ſimul, exhibet à cibo; quoniam ſic magis ſatiatur fames, relaxatione facta à vino, & ſimul etiam calefit ventriculus. Si tamen tutior, & iuxta rationem magis norma ſit præſcribenda, præferatur magis modus à Galeno traditus, ad vitanda ea mala, quæ ex Auicennæ doctrina imminent: nam vbi ventriculus ſit laxæ, & raræ texturæ; vel genus neruoſum ſit debile, vel cerebrum imbecillum, patientes, ex potu vini ante cibum, conuulſionibus, & delirijs, ac ſimilibus morbis obnoxij redduntur, & aliquando epileptici euadunt.

In exhibendo ante cibum vino, vnica exceptione vtitur Auic. ſcil. quod vinum in omni appetentia ingenti, ſit exhibendum, ieiuno exiſtente ventriculo, præterquàm, ſi ſit *ſolutio uentris*. At Gal. qui excipit caſus magis metuendos; in quibus vinum ieiuno ventriculo eſt valde noxium, inquit, vinum appetentias non ſanare, ortas ex longa inedia, vel ex alui profluuio, vt eſt fluxus ſanguinis, aut ex alia aliqua euacuatione. Quare Gal. euacuationes, à quibus corpus eſt exinanitum, ac proinde læſionibus magis obnoxium, præceſſiſſe, & inde famem inductam eſſe, ſupponit; Auic. autem, qui hoc forſan à Gal. ſed male exſcripſit, hanc exceptionem proponit, vbi *cum fame ſimul ſit ſolutio uentris*. Niſi forſan Auic. per ſolutionem ventris, intelligat copiam egeſtionum, ſequentem famem caninam, factam ab acida materia, in qua dicebat Gal. Lib. 1. de Sympt. Cauſ.

Cap.

Cap. 7. multitudinem egestionum apparere. Quo casu, Auic. cum Gal. conueniret, quoadhanc egestionem; longè tamen dissentiret, quoad vini exhibitionem; nam Gal. in ea, non prohibet, immò summopere vinum commendat; Auicenna vero omni vino interdicit, cum ait; *tunc enim oportet, ut omne uinum uitent, stypticum* quidem, quoniam appetitum fouet; *amarum* autem, quoniam solutionem ventris ipsorum auget. At quod vinum stypticum appetitum augere aptum sit, liquet quidem; quod vero amarum fluxionem ventris augeat, difficile est imaginari, nisi fluxus sit, vel biliosus, vel sanguineus; qui tamen fluxus, cum non sit proportionatus huic affectui, difficile est existimare, quomodo cum appetitu canino coniungantur; atque adeo non videtur verum, quod in appetentia canina, vinum amarum fluxionem ventris augere queat, potissimum verò, quod si adsit in hac ventris fluxio, coniectandum est à frigida causa prouenire, quàm vini potus non augere, sed coercere potius potest.

Inter cibos conuenientes in cura famis caninæ, factæ ex nimia corporis resolutione, enumerat *acida*, & *acetosa*; quæ tum ratione attenuationis humorum, quam efficere apta sunt; tum ratione dispositionis eorundem ab excitanda appetentia adeo aliena sunt, vt existimem textum esse corruptum. Ea autem ingens fames, quæ ex nimia corporis resolutione prouenit, fuit curata, vt habet Lib. 5. Epid. Historia 6. in Viro Oeniadis, per sanguinis missionem copiosam in vtraque manu factam, quousque corpus exangue redderetur; nec quidem sine ratione, cum censeret forsitan, eam ab intemperie calidiori totius corporis fieri, cuius ratione, totus corporis ambitus dissiparetur; ad quam intemperiem extinguendam, sanguinis illa missione, tanquam auxilio aptissimo opus fuit, necnon ad ipsum corpus refrigerandum. Quæ curatio licet periculosa videatur, vtilis tamen fuit; quamobrem maximè aduertenda, cum possit in casu difficillimo in vsum venire. Quod notare volui, licet nullus alius Auctor, nec ipse quidem Auicenna huius curandi rationis meminerit.

In cura famis caninæ ex vermibus, vtitur cibis crassæ substantiæ, & temperamenti frigidi, ac *pane infuso in aqua frigida, & in aqua rosacea*. At ista appetitum augere potius apta sunt, & vermes ex cibis illis magis fouentur. Quare potius conuenient calefacientes cibi, qui, & aromatibus, præcipiè autem acrioribus conditi sint, & qui non ita facile conficiantur, nec facile adeo possint absumi.

Curans famem caninam propriè dictam, prouenientem ab acida pituita, cum cibo exhibet *piper, mel, allia, & cepas*. Quæ tamen omnia conueniunt potius ad excitandum appetitum; quinimo ipsemet Auicenna superius, Cap. 9. in curatione deperditi appetitus, ex phlegmate crasso, hæc enumerat, & probat ad prouocandam famem. Verum quid dicendum est etiam de *nucibus*, quæ propter suam adstrictionem valde famem augent; quibus etiam affines sunt *Amygdalæ*. Quare, tutius est in hoc casu, ab his abstinere; quoniam, licet ex parte humori peccanti aduersari queant; affectum tamen augent.

Quemadmodum famem à *catarrho* induci dubiæ est fidei, nec ita experimento

mento respondet; ideo etiam iure Auicenna neglexit eius curationem.

Cap XV. Vox illa, *quandoque*, cum ait. *Et quandoque, peruenit res in ipso ad syncopen*, non est distinctiua specierum bulimi, ita vt sentiat, aliquando esse sine animi defectu; quoniam sic veritati refragaretur, & Gal. qui Lib. 1. ad Glauc. dicebat, bulimum nil aliud esse, quàm animi defectum; sed distinguit tempus eiusdem; quoniam patientes non semper actu animo linquuntur; sed aliquando tantum.

Auicenna, per ea verba. *Et fit ex humoribus tegentibus os stomachi, &c.* Alludit ad huius affectus causam, etiam ab intemperie cum materia; quod tamen nunquam affirmauit Galenus. Quod autem id possit fieri, credendum est; cum in ventriculo, à præsentia materiæ frigidioris, possit tanta in ore ventriculi induci intemperies frigida, vt virtutem extinguat; quo casu tamen, ab intemperie, non à materia immediatè fit hæc affectio, si ad hanc excitandam, non sola intemperies, sed etiam oris ventriculi imbecillitas requiritur, vt docet Gal. Lib. 1. de Sympt. Cauf. Cap. 7. cuius conditionis non meminit Auic. cum tria requirantur ad inducendum bulimũ; scilicet, Indigentia, Imbecillitas oris ventriculi, & eiusdem Refrigeratio; vt docet Gal. Loc. citato.

Cap. XVII. Quoniam in bulimo, duo sunt, alterum est animi defectus; alterum, casus potentiæ appetitricis; ideo duæ insurgunt intentiones. Prima quidem, ad reuocandum patientem ex syncope; secunda ad tollendam intemperiem, ob quam potentia appetitiua concidit. Ad primam, præscribuntur, quæ faciunt ad reuocandum hominem à syncope; in quibus præcipue eliguntur ea, quæ præter cibi conditionem, suo odore, & nidore, vim sopitam ventriculi excitare possunt. Ad secundam, Auic. illius curationem tradens, docet, modo à calida, modo à frigida fieri intemperie bulimum; in quo discrepat manifeste à Galen. qui semper docuit, bulimum fieri ab intemperie frigida, quæ plurimùm ortum habeat ab ambiente frigidiori, & quam præcedat ingens appetentia, quæ postea ex frigiditate extinguente tollitur, & fit bulimos. Quoniam autem in bulimo, membra attrahentia à ventriculo ipsum exiccant, & omnem eius humiditatem exhauriunt; ideo Galenus quandoque, vt Lib. 5. de Simpl. Med. Fac. Cap. 5. dixit, bulimum esse *frigiditatem iunctam siccitati*; Caliditatis autem nunquam meminit; quanquam Alex. scripserit, bulimum à caliditate ingenti fieri; qui tamen per bulimum, non præsentem affectum, sed famem syncopalem intellexit; quod & censuit Aetius, & Paulus, agentes de bulimo in febribus; in quibus non proprie dictus contingit, sed ad eius similitudinem, ægri concidunt animo, nisi cibus illis exhibeatur; atque adeo huius animi defectus potius docent præseruationem, quàm curationem. An autem sit possibile, vt existimauit Auicenna, quod bulimus propriè dictus fiat etiam ab intemperie calida, forsan demonstrari poterit; cum pateat, omnem insignem intemperiem facultatem membrorum extinguere. Verum multa, licet rationi consentanea, experimento tamen non respondent, prout & hoc. Nouimus equidem, ab insigni caliditate prosterni appetentiam; verum non est casus bulimi; in illa quippe non ita succedit animi defectus,

pro-

prout in hoc. Quare, casus ille referendus ad Cap. 7. in quo agitur de destructione appetitus; non autem ad bulimum, de quo in præsenti; quem cum ex Gal. præcedat ciborum ingens appetentia, quæ postea languida virtute, concidit, liquet, non ab intemperie calida, cuius proprium est fundere, & appetentiam deijcere; sed à frigida tantum pendere. Si autem quandoque prostratæ appetentiæ, ex intemperie calida succedat animi defectus, hoc non à facultate ex se labefactata contingit; sed cõsequitur potius relaxationem oris ventriculi, quæ ex indigentia alimenti, defectum animi inducere potest, vel attractis prauis succis ad ventriculum relaxatum; vel non suppeditata materia ad eius alimoniam.

Cap. XVIII. In fame syncopali seruatur appetentia, & in hoc differt à bulimo, sed *tardante cibo, succedit syncope, cuius causa sunt, caliditas valida, & debilitas stomachi*, inquit Auicenna. Quibus verbis, clarè liquet, hunc esse affectum, quem Alexander, à quo Auicenna hoc exscripsit, bulimum appellat, & ab ijsdem causis produci censet, cum ait. *Fit autem, vt ratio submdicat, ab immoderato oris ventriculi calore, & imbecillitate*.

Cap. XIX. Curam famis cum syncope in duas partes diuidit; altera consistit in curatione syncopes; altera in curatione, post quam euadunt à syncope. Verum, quæ est hæc curatio post syncopen? sicut enim huius duæ sunt causæ, scilicet calor vehemens, & oris ventriculi imbecillitas, ita duæ erant intentiones; prima, vt refrigeremus; secunda vt os ventriculi, tum per interna, tum per externa, roboremus. Præseruatio autem consistit in non differendo cibo, vbi sit indigentia, cauendo ab his, quæ possunt intemperiem augere; ita verò debuit hanc curam Auicenna tradere.

Cap. XX. Auicenna agens de siti, omnes eius causas nititur explicare; non tamen proximas, & immediatas, sed antecedentes, & mediatas enumerat. Cum enim ex Gal. sitis immediatè inducatur, vel ex humiditatis defectu; vel ex caloris exuperantia; vel ex vtrisque, hæ causæ prius erant explicandæ, declarando postea, quomodo à causis, vel externis, vel internis illæ excitarentur. Quæ vel fiunt ex pura intemperie, vel etiam cum materia; præterea inducuntur aliquando primariò, aliquando secundariò, & per consensum, affecto ventriculo, aliquando toto affecto, & aliquando singulari aliqua parte.

Inter causas mediatas, sitim producentes, enumerat *oppilationem venarum inter ventriculum, & hepar*. At ista oppilatio, nisi excitet feruorem in materia, non est apta sitim excitare; quia ex ea, nec exiccatur ventriculus, nec calefit.

Cum subiungit, fieri aliquando sitim per consensum *ab hepate, vbi vehementer hoc sit refrigeratum*, sententiam, sensui, & rationi repugnantem proponit. Experientia enim patet, refrigerato hepate, nisi alia accedat passio, prout in hydrope, in quo cum refrigeratione hepatis abundant salsi humores, sitim potius tolli. Ratio autem est manifesta; quoniam refrigerato hepate, non est caliditas absumens humidum, nec calefaciens ventriculum.

Nec vera est Auic. adducta ratio, quod hepar frigidum sitim inducat; quia *non attrahat*; quinimo potius, quia non attrahit, & ob id abundat humidum

midum circa ventriculum, & primas venas, non potest succedere sitis.

Si in morbo acuto *fit vehemens sitis, & vehemens siccitas*, inquit Auic. *est illud malum valde.* Si per *Malum*, intelligit lethale signum, hoc falsum est; quoniam talis siccitas mortem non indicat, nisi æger non sitierit; nam non sitire, vbi vehemens sit oris siccitas, indicat, vel mentis læsionem; vel facultatem emorientem. Si autem, per *malum valde*, intelligit hoc signum magnitudinem morbi indicare, vera est eius sententia; quoniam magnitudo symptomatum morbi magnitudinem testatur.

Cap. XXI. Signum sitis, ex oppilatione inductæ, dicit esse *lenitatem naturæ*. Per *lenitatem naturæ*, intelligens alvum liquidam, & humidam. At hæc potius est indicium non sitiendi; cum hinc appareat humidi exuperantia, & caloris defectus.

Si *ex calore sitis orta fuerit*, inquit Auic. *tunc vigiliæ ei conferunt.* At hoc tantum verum comperitur de siti superficiali; vt habet Lib. 6. Epid. Sect. 4. Com. 22. Gal. cum ex somno excitata fuerit: si enim sit ingens, sola vigilia non sufficiet tollere eam, immo aliquando requiritur potus frigidæ. Vbi autem ex somno non fit sitis, sed ex immodico calore, vt contingit in febricitantibus, quomodo hæc sitis per somnum, succedente caloris febrilis moderatione, & humorum putrescentium coctione ? sedabitur. Vide Lib. supra citati com. 16.

Cap. XXII. In curatione sitis, ex euacuatione facta, cum monet, sitientem non debere *plurimùm, subito, nec aquam valde frigidam bibere, ne mortificet caliditatem, quam debilitauit siccitas*, vtilissimum tradit præceptum. Verum ratio nequaquam vera est; quoniam caliditas propria, ab euacuatione quidem labefactata est, non autem à siccitate; cum siccitas sit calori potius subsidio, quàm detrimento.

Et vomitus quandoque facit sitim, ait Auicen. Quod potest fieri ex nimia euacuatione, absumptis humiditatibus; attamen, cum hic sermo sit de curatione, & non de causis, forsan melior erit lectio. *Et vomitus quandoque tollit sitim;* quod contingit in siti à calido humore in ventriculo hærente. Vnde inquit Gal. Lib. 2. de Naturalib. Fac. Cap. 9. *Quis porro non intelligit, quod vbi plurima in ventriculo flaua bilis continetur, perpetua siti vrgemur, & contra, quod ea vomitu eiecta, protinus à siti magis vindicamur, quàm si plurimam hausissemus potionem?* Hæc Gal. à quo potuit Auicenna prædictam exscripsisse sententiam.

Quod *in stomacho calido, & sicco aqua frigida addat sitim*, est contra rationem, & Gal. Lib. 7. Meth. Cap. 8. vbi narrat historiam ęgri sitientis ex calida, & sicca ventriculi intemperie, qui potu frigidę eam sedauit.

Sitim à salso humore excitatam monet *sedari ex potu aquæ calidæ*. At Gal. ad hanc sitim Lib. 1. de Sympt. Caus. Cap. 32. extollit acetum; cum simul possit refrigerare, & siccare, quibus duobus indigemus ad sedandam sitim ex humido succo, qualis est salsus humor.

Cap. XXIII. Sicut docuit hanc emplastri formam, ita & alia iuvantia erant notanda, vel omnia simul pręternittenda. Quod notare volui, ne aliquis negligens Medicus existimet, in sola huius emplastri applicatione, huius

casus

casus totam, & perfectam consistere curationem.

Fen Decimatertia Tract. III. Cap. I.

Cap. I. NOcumenta concoctionis ex tribus causis generaliter fieri docet. Prima est, ex cibo; secunda ex quiete, & motu; tertia ex ventriculo. Quam sententiam licet Auic. à Gal. Lib. 3. de Sympt. Caus. 1. sicuti & plura alia inferius explicata exscripserit; tamen longe aliter, & clarius causæ hæ vniuersales, à Galeno expositæ sunt; cum enim docuerit, in concoctione triplex contingere symptoma, scilicet coctionis priuationem, eiusdem tarditatem, & corruptelam, inquit. *Horum communis causa est facultatis alteratricis frustratio; quæ quidem ex duplici potest prouenire causa, scilicet, vel ex facultate ipsa læsa; vel ex quopiam externo errore. Læditur facultas, aut ex intemperie, aut ex morbo instrumentali. Externus autem error triplex est, alius in excrementis, qui in ventre continentur; alius in cibis; alius in tempore somni.* Hæc Gal. Quæ vt clariora, ita & faciliora sunt. Ex quibus patet, quæ ab Auic. vel prætermittantur, vel parum aptè describantur.

Illa verba. *Verum sicca, & humida non perueniunt ad hoc secundum plurimum, vt appareat ex eis solum, cum æqualitate ambarum aliarum qualitatum, nocumentum digestionis, nisi iam fecerint euenire, sicca quidem arefactionem, & humida hydropisin.* Sunt exscripta à Gal. Loc. Cit. qui tamen aliter paulo rem describens ita ait. *In humiditate vero, & siccitate adeo intemperatus venter esse, vt actionem amittat, non potest sine prolixo temporis spatio; debetque præcessisse, humiditatem quidem, hydrops; siccitatem, vel senium, vel marasmus.*

Cap. II. Inter causas corrumpentes digestionem, ex cibo, enumerat *copiam, & quantitatem eius.* At Gal. Loc. Cit. recensens externos errores, coctionem, ventre ipso minime affecto, vitiantes, quantitatem cibi videtur excludere à causis corruptelam inducentibus, inter has, solum enumerans cibi qualitatem vitiosam, excrementa in ventre hærentia, ordinem incongruum, & tempus intempestiuum. Cum autem subiungit Auicenna, quod *cibus in minori quantitate, quàm conueniat, sumptus, patitur de digestione supra quod oportet; vnde aduritur, & in cinerem conuertitur.* Dico, hanc causam non posse contingere in ventriculo naturaliter disposito, vt experientia patet in his, qui ientaculum sumunt; vbi autem fit talis adustio, necessario concurrit caliditas ignea ventriculi; atque adeo tunc non erit peccatum ex cibo; sed ex ventriculo, non concoquente, sed corrumpente, potius; quare duo deerunt, dicta ab Auic. primò, quod *non patietur magis de digestione*, quàm oporteat; quoniam hæc est corruptio, non digestio; secundò, non poterit esse tanta adustio, vt cibus incineretur; quoniam ad afflationem quidem succedit incineratio; non autem ad corruptionem in ventriculo factam; quoniam durante vita, non potest esse tanta in ventriculo caliditas, quæ incinerationem inferre queat. Sed forsan per quandam metaphoram hoc dictum est ab Auicenna; cum tanta fiat aliquando adustio corruptiua in ventriculo, vt sit proxima incinerationi.

Cap. III. Quod dicit Auicenna de sicco, & humido, videlicet, quod *ipsa sola*

sola ex se, non debilitant digestionem, Galenus aliter explicauit, docens loco citato, siccum, & humidum, absque lungo temporis spatio, non posse actionem ventriculi admodum vitiate.

Quod autem de *raritate omenti, & paruitate carnis eius*, asserit, respondet doctrinæ traditæ à Gal. Lib. 4. de Vsu Partium Cap. 5. ex quo loco haberi etiam potest, quòd mutilatio omenti potest esse causa debilitatis coctionis.

Cum inquit, quod *debilitas digestionis, & immutatio cibi in pituitam, ad rigorem, & principium paroxysmi febris, quandoque perducunt*, alludit ad rigorem, qui fit sine febre, ab acida pituita; de qua dicebat Gal. Lib. 2. de Different. Febrium Cap. 6. *Acida vero, ac vitrea pituita, si per sentientes corporis partes deferatur, sine febre, rigores generat*; & ideo subiungit Auicenna. *Verum pulsus, non est pulsus factus in initio paroxysmi febris*.

Cap. IV. Cum semper docuerit Auicenna, iuxta Galenum, à frigidis, & acidis succis appetitum intendi, mirum, quomodo hic docuerit, in *debilitate stomachi à frigidis, & acetosis succis, adesse casum appetitus*. Sed forsan Textus est corruptus, vt legendum sit, *intensus appetitus*.

Cap. V. Cur in curatione debilitatis digestionis, *effundit oleum aliquod super caput*; cum hæc perfusio nihil profutura sit ventriculo laboranti? Aetius quidem, in corruptione cibi, facta prius euacuatione, vel per vomitum, vel per secessum, monet, vt æger ad deambulationem moderatam procedat, atque in otio degat, propter vapores commotos ex corruptione, in caput delatos; & paulo post, ad perficiendam curationem, iubet aqua calidiori pedes perfundere, ac fouere; frigida vero pura faciem proluere. Nihilominus diuersus hic est casus; quoniam ex corruptione plures quidem eleuantur vapores ad caput; quod in debili ventriculo non ita facile videtur; si tamen eleuentur, ad illos discutiendos, olei perfusio, non ad emendandam concoctionis debilitatem faciet.

Decubitus super sinistrum latus, inquit Auicenna, est *plurimi iuvamenti in hoc, propter comprehensionem hepatis super stomachum*. At qui fit super dextrum, facit magis ad velociorem descensum cibi. Verum Aetius, vt cibus subeat, & ex præcordijs deducatur, iubet rectum decubitum, & inclinationem in sinistrum latus.

Cap. VI. Quod rugitus aliquando associetur corruptioni, nulli est dubium; sed quòd hic sit accidens consequens corruptionem, falsum est; nam rugitus, & fluctuationes sonoræ, licet associentur quandoque cruditati, quandoque corruptioni, & videantur ab illis immediatè dependere, habent tamen causam propriam, scilicet potum, & humiditatem copiosam; vnde dicebat Gal. Lib. 1. de Sympt. Caus. Cap. 1. *Constat autem, citra potionem non posse fieri in ventre sonoras fluctuationes*.

Quod *nausea sit indicium materiæ in ventriculo corruptæ*, falsum est, nisi eadem materia ad partes ventriculi superiores ascendat; vel tunicis eius impacta sit; quum enim in fundo ventriculi quiescit, nauseam non commouet.

Cap. VII. Postquam explicauit curationem corruptionis cibi, ex intemperie

rie

rie ventriculi calida, subiungit. *Et si fuerit illud propter frigus, curetur illud frigus cum his, quæ habentur in capitulo suo.* At iam notum est, corrumpi cibos in ventriculo ab intemperie calida, non à frigida; nisi per *corruptionem à frigidà*, intelligat eam mutationem, qua cibi permutantur in acidam qualitatem; sed de hac inferius agit. Quare mancum est responsum; atque vel sibi ipsi non consentit, vel per *frigus*, intelligendum est extraneum, non autem ventriculi intemperies.

Curat conuersionem cibi ad acidam qualitatem, *per suctionem pomorum dulcium*. Atque hæc, ratione dulcedinis, poterunt quidem contemperare aciditatem; sed non curare; cum non proportione respondeat intemperies curanda temperaturæ pomorum dulcium.

Cap. VIII. *Quantitas æqualis remanentiæ cibi in stomacho, & egressionis eius*, inquit, *est illud, quod est inter 12. horas, vsque ad 22. horas*. At hoc tempus in omnibus circunscribi non potest, tum ratione varietatis cibi, tum ratione diuersæ constitutionis ventriculi. Præterea, si peracta digestione à naturali facultate, cibus ad infernas partes ex ventriculo detruditur, cum Gal. Lib. 5. de Tuend. San. doceat, senes ter in die cibandos esse, manifestum est, quod in his tanto tempore non seruatur cibus in ventriculo. Quare indistincta erit hæc propositio.

Cap. IX. Repetit, *decubitum super latus dextrum facere ad faciliorem cibi ex stomacho descensum*. Cuius tamen oppositum docuit Aetius Lib. 9. Cap. 24. monens, ad hoc facere decubitum erectum, & super sinistram partem.

Cap. X. Ad retentionem cibi in ventriculo, indicantur ea, quæ roborare, & adstringere possunt. Si autem hoc verum est, quomodo emplastrum ex farina fœnugræci, seminis lini, & melle ad hoc faciet?

Cap. XI. Quod ventriculus indurescat ad modum apostematis, *ex frigore inspissante, & melancholico succo, in eius tunicas intrante*, verum quidem est, sed & idem potest pati ex flatu crassiori, tunicis incluso.

Cap. XIII. Si curatio ad morbum ipsum est dirigenda, cum à diuersis causis fiat hic affectus, diuersus etiam requiritur curandi modus. Quare, non vnicum, aut duplex Emplastrum sufficiet; sed pro ratione morbi erit agendum alterando, in intemperie simplici, euacuando, in eadem cum materia, discutiendo, in flatu, semper verò respiciendo causas fouentes morbum ipsum.

Cap. XIV. Quod *flatus, firmatus in ore ventriculi, per eructationem educi queat*, satis patet. At etiam per discutientia, tum interius, tum exterius adhibita, resolui, absque eructatione potest. Quare non adeò erit necessaria hæc curandi ratio.

Cap. XV. *Emplastrum ex stercore Gallinæ, & calce, ad sedandas eructationes*, satis ineptum videtur; cum rubificantia, & alterantia ad hoc non conueniant; sed discutientia flatus potius, & roborantia ventriculum.

Fen Decimatertia Tract. IV. Cap. I.

Cap. I. Agens de causis apostematum ventriculi, ad canones vniuersales confugit; & tamen enumerat *dolores, qui diu protrahuntur*, inter eas. Verum, ad perspicuam causarum apostematum cognitionem, sciendum est, tumores duplici modo generari, scilicet, vel per fluxionem; vel per congestionem. Generantur calidi (de quibus in hoc cap. agit) plurimum per defluxionem, scilicet, vel transmissa materia, vel attracta, puta, ex doloribus, qui diu perseuerant; generantur veró frigidi plurimùm per congestionem.

Cap. II. Primum signum apostematis calidi ex Auic. hoc est, quod *perseuerante dolore, qui non remouetur, quamuis Medicus bono regimine vtatur; existimandum est quod illic sit apostema*. At hoc signum Medico indignum est; nam aliam curationem ab ea quàm requirit morbus, administrare non debet, ex qua postea de apostemate certior fiat.

Quò autem ad signa apostematum ventriculi calidorum, sciendum est, Auicennam in hoc capite satis confusum esse, nec distinxisse quæ distinguenda fuerant; cum enim ex apostematibus calidis, alia sint inflammationes; alia autem Erysipelata, quomodo hæc ab inuicem distinguantur declarandum fuerat, vt ex singulorum signis, recta eorundem, & distincta curatio administrari possit. Sed ipse communia signa proponens, omnia confundit; Verum hoc pacto distinguenda erant; *Inflammatio vehemens, & adustio fortis*; sunt signa inflammationis; vehementissima autem, & fortissima sunt in Erysipelate, sitis magna est in inflammatione; at in Erysipelate, vehementissima, & inexhausta; febris inseparabilis, ideft continua, est in vtrisque. At in inflammatione, habet rationem synochi, in Erysipelate autem est vere causon, & ardentissima. Dolor in vtrisque est quidem continuus; sed in inflammatione est potius cum distensione, & grauitate, quàm cum punctione; at in erysipelate est pungens vere, crucians, & acris, atque eo grauior, quo magis superiores ventriculi partes attingit. Quandoque verò perducunt hæc apostemata patientes ad *permistionem intellectus*, & ad delirium, quod fit, cum os ventriculi insigni afficitur inflammatione; tunc enim promptissimè delirium; infert vt habet Gal. Lib. 1. Prognost. Com. 32. Præterea, in inflammatione adest tumor, & potissimum, si affecta sit pars ventriculi anterior, ad tactum sensibilis, quod non adest in erysipelate. Vltimo verò hoc addatur, quod in inflammatione, ratione Erysipelatis, omnia sunt mitiora, sicuti oris amaritudo, vigiliæ, capitis affectiones, inquietudo, &c. omnia accidentia; Atque hæc de signis distinguentibus inflammationem ab erysipelate.

Explicans, quando apostema ventriculi conuertatur ad suppurationem, docet hoc *significari per multiplicationem fluxus ventris, & vomitus*. At sciendum est, quod etiam in apostematibus non suppurantibus, aluus etiam consueuit esse lubrica; quoniam in his est corruptio ciborum, ex læsione, & labefactatione virtutis concoctricis. Vomitus autem non est symptoma

vniuer-

vniuersale, omnem inflammationem ventriculi consequens; sed aliquando tantum nausea sequitur, cum tenues humiditates, in inflammatis particulis, ad interiorem eiusdem cauitatem decumbentes, ibidemque collectæque os ipsius molestauerint; vt habet Gal. Lib. 3. Prorrh. Com. 25. Si autem succedat ex alia causa, in his vomitus non fit ratione inflammationis; sed ratione complicati affectus, transmissa aliunde materia ad ventriculum, vt ibidem obseruat. Quare, hæc duo signa sunt incerta, nec proprie suppurantem indicant materiam.

Cap. III. Pro curatione, inquit Auicenna, *non est malum, vt euacuatio fiat cum cassia fistula; quoniam confert apostemati.* At si repellenda est à principio materia, & si frigida cum adstringentibus administranda sunt, quomodo vtilis fuerit cassia apostemati; cum caliditate fundere, humiditate autem laxare apta sit? Quare, immisceatur quibusdam, vel succis, vel aquis refrigerantibus, & adstringentibus, vt inferius docebit, nunquam autem sola exhibeatur.

Cum autem subdit, *aliquando admisceri cassiæ, vel hieram, vel aloen,* periculosius consilium præbet, Gal. rationi, & sibi ipsi contrarium. Galenus enim Lib. 8. de Comp. Med. Secundum Loca, in examine 14. medicamenti Asclepiadis, docet, cruda, & incipiente inflammatione, hieram non esse exhibendam; sed solum, vbi fuerit concocta, & declinauerit; quod ratio etiam dictat, hanc scil. non conuenire, quia hiera calida est, & educit ex substantia ventriculi, in qua est cruda, & incipiens inflammatio, quo tempore non licet medicamentum ad soluendam inflammationem exhibere; vt docet Hipp. Lib. 4. Reg. Acut. Tex. 22. Sibi autem non constat Auic. qui primo docet, *repercussiuis, & frigidis* agendum esse; secundo autem proponit medicamenta calefacientia, & exasperantia. Quare, vsus hieræ cum cassia, in hoc casu, dimittatur. Quod notare volui; quoniam in his quilibet error morte punitur.

Quandiu caliditas idest inflammatio *permanet, licet septima transacta sit, non abstineas*, inquit, *ab aqua Endiuiæ, solatri, alchechengi, & taraxacon.* Quæ aquæ omnes in hoc vsu sunt laudandæ, & ego (qui abhorreo ab vsu harum aquarum, per sublimationem distillatarum, atque magis probo decocta) in hoc casu has libenter admitto; quoniam omnes aliqua adstrictione participant.

Proponens distinctionem oleorum, quæ emplastris admiscenda sunt, iuxta tempus anni, & tempus morbi, inquit. *In æstate, & in principio sumendum esse oleum rosaceum, oleum omphacinum, oleum de cydonijs, & de malis. In Hyeme autem, & in hora resolutionis, eligendum esse oleum nardinum, anethinum, chamæmelinum, de lilio, & Mastichinum.* At æstate, & *hora resolutionis*, vel in principio, & in hyeme, quale ex his conueniet? Certe indicatio temporis anni ad hoc nihil iuuat, nisi libentius illud in principio, hoc in resolutione admittatur; non enim illa immutat medicamentorum indicationes, sed tantum remittere, vel augere eas potest.

Emplastrum illud propositum ad maturandum apostema, recipit solos dactylos, huic indicationi satisfacere aptos. Quare, vel emplastrum ad

hoc ineptum erit; vel per *maturationem*, intelligamus resolutionem, non suppurationem.

Deueniens ad curam erysipelatis, docet, quomodo refrigerandum sit, tum per extrinseca, tum per intrinseca. Duo autem principalia, ac maximè necessaria, & sine quibus salutem consequi nequeunt ægrotantes, omisit. Alterum est, venæ sectio, quæ maximè conuenit, constantibus viribus, & nulla alia re contradicente; quoniam hic morbus est magnus, & grauis. Alterum est, frigidæ potus, quem dicebat Gal. Lib. 9. Meth. Cap. 3. adeo esse necessarium in erysipelate partium internarum, vt sine hoc alia ratione curari non possint, docens, in puro erysipelate, etiam non apparentibus coctionis signis, conuenire; quod si sit erysipelas inflammationis particeps, signa coctionis expectanda esse?

Cap. IV. Dictum iam est, apostemata frigida fieri plurimùm ex congestione, prout calida, plurimum per fluxionem. Quæ causa etiam ad horum generationẽ quandoque conducit. Quod autem dicitur de *humiditate, & malitia digestionis, & paruitate exercitij*, facit ad cognitionem materiæ peccantis; non autem pertinet ad causas tumorum, nisi respectu materiæ eosdem producentis.

Cap. V. Cum tumores ex propria natura frigidi, duplices sint; quoniam alij sunt molles, œdemata appellati; alij autem duri, scirrhi vocati, nulli dubium, quod hic de mollibus agit, cum inferius de duris sit acturus. Quare aduerto, principale signum horum priorum tumorum fuisse ab Auicenna prætermissum, videlicet mollitiem ipsam; proprium autem horum tumorum est, quod valde conspicui sint; quoniam tumor apparet, qui tamen ad tactum mollis sentitur, quæ mollities in reliquis non reperitur. Quod autem dicit Auicenna, de *dolore*, tanquam horum tumorum signo, quomodocunque legatur, vel *inquieto*, vel *profundo*, vel *fixo*, non admodum huic tumorum generi accommodatum est; quoniam œdemata ex suî natura non sunt dolentia; si autem ventriculum diuexantia, aliquando affligunt potius grauitate quadam, quàm quacunque alia doloris specie.

Cap. VI. Auicenna tentat curationem horum tumorum, cum his, quæ sunt *fortis resolutionis*, & paucis contentus, sanationem sperat, multa prætermittens, in hac curatione necessaria, veluti reuulsionum genera varia, quarum ope potest retrahi materia à ventriculo, si non coniuncta, saltem, quæ ex antecedente potest coniuncta fieri, & euacuationes varias peccantis materiæ pituitosæ, cuius eductionem sperare possumus, per clysteres acres, qui & reuellere, & eandem per medicamenta euacuare sunt apta. Si enim Gal. inclinante inflammatione, Lib. 8. de Comp. Med. Secundum Loca, laudat hieram, in qua tamen peccat materia calida, cur peccante frigida, quæ per hieram potissimum euacuari potest, non debemus etiam eandem exhibere, & quidem inclinante morbo? Quare exhibeatur, materia iam parata, licet huius non meminerit prorsus Auicenna, sicuti nec confectionum magnarum, nec similium multorum medicamentorum validiorum, quæ possunt has materias humidas absorbere, & simul ventriculum intemperie tunc frigida laborantem roborare.

Cap.

Cap. VII. Duplicis generis sunt tumores duri; alij enim sunt scirrhi, alij cancri. De scirrhis hic agit Auicenna; de cancris autem, ne verbum quidem, cum tamen, & de his, cum omnia diligentissime complecti profiteatur, debuerit agere; pari enim ratione potest ventriculus scirrho, & cancro, licet hoc rarius, tentari, cum magnam aptitudinem habeat ad suscipiendum melancholicum succum, ob venam eam, quæ à liene ad eundem permeat. Nec experientia huic rei reluctatur, cum in praxi viderim nonnullos ægrotantes, qui cancrum in ventriculo passi sunt. Quare necessarium fuit hos duos tumores explicare, & ab inuicem distinguere. Verum vt res dilucidetur, hæc habeantur signa. Tumoris scirrhosi. Primò durities. Secundo dolor obtusissimus, cum aliqua grauitate. Tertio nulla est febris, nec sitis, nisi contingat materiam putrescere. Cancri autem signa erunt. Primo durities quidem, sed quasi lapidea, & inæqualis ad tactum; cum habeat aliquas eminentias, nec sibi omninò similis sit, quoad æqualitatem, & læuitatem superficiei. Secundo, sunt dolores pungentes ad compressionem, qui aliquando vehementissimi, & atrocissimi sunt, similes doloribus ex erysipelate productis. Tertio, habemus febrem sæpe concomitantem, præcipuè si vlceratus fuerit, & sitim pariter; summatim, in cancro omnia sunt molestissima, ratione scirrhi, licet in vtrisque sit durities. Quæ omnia sunt maximè aduertenda, tum propter cognitionem; tum propter curationem morbi.

Obseruatio.

Cap. VIII. Quod superius notaui in cura œdematis, censeo hic etiam in cura scirrhi obseruandum, videlicet, quod cum in hac curatione, ad reuocandam materiam à ventriculo, multa reuulsionum genera conueniant, & similiter euacuandum sit, tum per clysteres acres, tum per Pharmaca, nequaquam hoc silentio prætereundum fuerat. Et quoniam, cum scirrhus, vel à materia phlegmatica; vel à melancholica, vel ab vtraque, vel ex mutatione tumoris mollis, vel ex mutatione tumoris inflammatorij male curati, generari possit, diuersæ, tum clysterum, tum pharmacorum species indicantur. Ideo hæc etiam declaranda erant; in componendis enim clysteribus acribus, ad educendam materiam pituitosam, quæ illi sunt dicata apponenda; prout ad educendam melancholiam, quæ eandem prolicere valent, pariter in pharmacis, cum fuerit educenda pituita, quæ hanc educunt, vbi melancholia, quæ hanc trahunt. Et quoniam quæ melancholiam alliciunt, plurimùm sunt validiora, & ventriculo noxia, declarandum erat, quomodo hæc exhiberi possint, videlicet decocta in cibis, iuxta doctrinam traditam à Gal. Lib. 13. Meth. in cura inflammationis hepatis, quo casu, decoquit radices Ellebori nigri in ptisana. Hæc, & similia, erant in hoc Cap. addenda, quoniam localia pura, sine reuulsione, & euacuatione, parum apta fuerint ad perfectam scirrhi curationem.

Quod in curatione scirrhi ventriculi Auic. laudat *lac camelarum*, non videtur præter rationem; quoniam pinguedine potest laxare, & caliditate fundere, necnon acrimonia attenuare; lac enim camelarum est satis calidum, & acre; atque adeo non erit mirum, si etiam possit prodesse in hydrope, vt monet Auicen. & Arabes. Quod notare volui, ne iuniores,

loco lactis camelarum, credant vsurpandum esse equinum, vel bubulum, vt consultum vidi ab Excellentissimis Viris, non aduertentibus differentiam lactis camelini à reliquis; cum omnia lactis genera, si sint salubria, dulcedine prædita sint, præter camelinum, quod acre est.

Cap. XI. Tumorum ventriculi suppurationem maxime vitare debet Medicus; quoniam plurimum lethalis est. Attamen, si nequit huic obsistere, eandem iuvare debet, animaduertens, in qua eius parte fiat abscessus, scilicet an in interna, an in externa: qui enim sunt in interna, minoris discriminis sunt; tum quia per opportuna exhibita disrumpi possunt; tum etiam, quia post disruptionem, detergi, & exiccari facilius possunt. Qui autem in externa, disrumpentibus non sunt expositi; atque ijs disruptis, præterquam quod nulla est via ad detersionem, materia suscipitur in cauitate abdominis, quæ nonnisi per sectionem, vel beneficio naturæ, paulatim eam resoluentis educi potest; quod scripsit Gal. in Lib. de Inæquali Intemperie, his verbis. *At, quæ in ventriculum incidunt abscessionum, optima est, quæ in sinum eius internum abijt, in quem etiam plerumque se aperiunt; mala vero, quæ sub peritonæum*. Hanc verò differentiam non animaduertit Auic. Quare nec eius meminit, nec discrimina proposuit. De abscessu autem in parte externa, sub peritoneo, quem deteriorẽ altero esse obseruatum est, quid obseruatio factum fuerit à præceptore meo, enarrabo. Rusticus quidam, ex inflammatione ventriculi, ad eiusdem suppurationem deductus, cum tumor satis promineret, sectus ab eo fuit, quæ sectio perueniens vsque ad ventriculi corpus, aperta vomica, causa fuit, vt sanies inde copiosa flueret; cuius vulneris postea facta diligentissima curatione, sanus omninò idem Rusticus factus est, cum ob robur virium superesse potuerit. Hoc notare volui, vt si hic casus contigerit, videant Medici quid tentare possint.

Cap. XII. Vlcerum ventriculi causam præcipuam ego in praxi animaduerti, vel cibos prauæ qualitatis, & tantum non deleteriæ, aut ex putredine, aut mala præparatione; vel venenata, & corrosiua pharmaca exhibita. Quare, his in curatione vlcerum ventriculi sit intentus Medicus, & inuestiget diligenter eorum causas.

Cap. XIII. Inter vlcera deteriora, & maioris discriminis, enumerat quæ sunt *in inferioribus ventriculi partibus*; idque forsan, quia cibus ea magis comprimit, & aggrauat. Sed cui dubium, quod os ventriculi sit exquisiti magis sensus, & maioris sympathiæ cum corde, & cerebro, quorum consensu eius morbi sunt periculosiores, quàm partis inferioris? Quare, crediderim ego Textum hunc esse corruptum, & legendum potius *partibus superioribus*, & potissimum quidem, cum noxæ ex cibo impendentes possint à diligenti Medico præcaueri, tum ex substantia, tum ex præparatione ciborum, tum etiam ex modo eosdem exhibendi.

Cap. XIV. *Si vlcera sint corrosiua, in quibus adsit caro mortua, oportet vt medicetur cum medicamine mundificante carnem mortuam, & incarnante, & faciente carnem nasci*, ait Auic. Sed quomodo hæc cognoscetur? Ex sorditie, & excrementorum vlceris copia, & ex grauioris, & eructationum fætore. At in hoc casu, nisi vires ægrotantis admodum robustæ fuerint, & ipse obtusi

sit

sit sensus, vix superesse potest; atque tunc ea sunt exhibenda, quæ valde abstergere, & valide putredini obsistere valent, non verò illa simpliciora proposita ab Auic.

Vtitur, pro victu, in vlceribus ventriculi, *ventriculis vitulorum, & hædorum, conditis cum aceto*. At ista sunt difficilis concoctionis, & acetum vlceribus inimicum est.

Probat *Philonium* ad vlcera ventriculi. At stupefacientia, nisi dolores vrgeant, si veniant in vsum, propria frigiditate calorem innatum labefactaqueunt, & vlceri prauam inducere qualitatem.

Pro euacuatione ventris, laudat *cassiam fistulam*; quæ nulla tamen indicatione, cum sit humida, laxans, & tepidi caloris, vlceri conferre potest, Quare præferantur, quæ vtrisque indicationibus satisfacere possint.

Cap. XV. Quæ debeat esse curatio harum pustularum in stomacho, habendum ab earum essentia: si enim inflammationis erunt participes, refrigerantia, & adstringentia primò, postmodum discutientia exhibeantur; si autem inflammatione careant, potius discutientia, & exsiccantia, quàm adstringentia, & refrigerantia oportuna fuerint; quod non distinguens Auic. confusam tradidit earum curationem.

Fen Decimatertia Tract. V. Cap. I.

Cap. I. Diligentissimè causas flatus in ventriculo exposuit quidem; essentiam tamen morbi, de quo hic agit, nec explicauit, nec docuit; cum ventriculi *inflatio* non solam flatus in ventriculo generationem significet; sed quid aliud, ad eius essentiam requiratur, scil. quod flatus in ventriculo geniti, nec per superiorem partem, ner per inferiorem excernantur, & cóclusi maximè ventriculum affligant; quod declarans Gal. Lib. 3. de Sympt. Cauf. Cap. 2. post explicationem generationis flatuum, hæc habet. *Atque is, cum per os excernitur, ructum creat, cum per sedem, sonorum, silentemve flatum; cum vero neutra parte emittitur, symptoma producit, quod inflatio vocatur, ventre scilicet imbecilli ad excrementosum, crassumque excernendum spiritum*. Quam sententiam exscribens Aetius pariter dicebat. *Cum neque per os, neque per sedem flatus excernitur, inflationem appellatam producit*. Quare, hinc patet, cum Auicenna plurimus fuerit in expositione causarum generationis flatus, quæ tamen omnes non sunt aptæ ad producendam inflationem, quoniam ad hanc sola flatus generatio non sufficit, nisi etiam accedat impotentia ad eum excernendum, non perfecte mentem scribentium, à quibus sententiam suam, de inflatione mutuatus est, assecutus videtur.

Explicatis generationis flatuum causis, progreditur Auic. ad ægritudines hypochondriacas; quia licet harum non meminerit, nihilominus in illis etiam plurimus in ventriculo generatur flatus. Attamen, cum inter causas harum ægritudinum, recenseat Auicenna *caliditatem ventriculi vehementem*, quam superius, potius accommodatam ad discusfionem, quàm ad flatuum generationem docebat, dubium, quomodo in his plurimi fla-

tus

tus generari possint. Verum, quoniam quid de hac re, de causis, & essentia Melancholiæ hypochondricæ sentiam, alias scripsi, nil præterea, de hac sententia expendam.

Cap. II. Signa hic ab Avic. explicata, non sunt signa morbi, sed differentiarum eiusdem à causis. Quibus autem signis morbus ipse sit cognoscendus, habeatur ab Aetio Lib. 9. Cap. 27. vbi hæc ab Archigene exscripta ab eo recensentur.

Docens differentias inflationis melancholicæ, ab ea, quæ fit ratione crudorum humorum, inquit, quod *inflatio Melancholiæ est cum siccitate*. At Melancholiam hypochondriacam, docet Gal. ex sententia Dioclis, Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 6. sputum scil. humidum, idque copiosum, eam comitari, & præcipue sumpto cibo coctionis difficilis, & exurente.

Quoad signa inflationis, hoc sciendum, quod ex Gal. & Aetio, flatus in hoc affectu sunt in ventriculi cauitate; atque adeo, quoad tactum, apparet tensio, & aliquando tumor, & ad percussionem, sonitus. Verum quoniam aliquando in ventriculo ipso continentur flatus, non in cauitate, sed intra tunicas eiusdem, prout qui in intestinorum tunicis, de quibus Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 8. conclusi, grauissimos inferunt dolores, notandum, quod in hoc casu, nec tumor, nec tensio, nec sonitus exauditur, quæ non est inflatio propriè dicta, licet ab eadem causa proueniat, & inflatio etiam vocari possit.

Cap. III. Cucurbitulæ vsum, quam Gal. in cura flatuosi spiritus Lib. 12. Meth. Vlt. Cap. *instar incantamenti*, extollit, & Aetius Loc. Cit. ex Archigene admodum probat, alijque pariter, omisit Auicenna; cum tamen hinc maxima speranda sit vtilitas.

Cap. IV. Rugitus, ratione loci, in duplici est discrimine; alter fit in ventriculo; alter in intestinis. De vtroque egit Gal. Lib. 3. de Sympt. Caus. De primo quidem Cap. 1. expendens symptomata virtutis retentricis ventriculi, vbi hæc habet. *At, cum vel prorsus non complectitur, vel debiliter, flatus, & fluctuationes cum sonitu, Græcè clydones dictæ, succedunt; flatus quidem, vbi, & cibi flatuosi sunt, & ventriculus non admodum frigidus; fluctuationes cum sonitu, cum vel nihil in eo continetur, quod verti in flatum possit; vel valde sit perfrigeratus; quippe talis affectus nullum gignit halitum; constat autem, citra potionem non posse fieri in ventre sonoras fluctuationes*. Hæc Gal. Ex quibus liquet, quæ sint rugitus in ventriculo causæ; cuius tamen non meminit Auicenna, quod maximè operæ pretium fuerat, cum agat de ventriculi affectibus. De secundo egit Gal. Cap. 2. dum causam halituum tractaret. Ex quo loco exscripsit Auicenna, quæ hic exposuit; quæ omnia pertinent ad rugitum in intestinis genitum; de quo tamen minus accuratè, quàm de eo, qui in ventriculo fit, agere debuit; cum eius scopus non sit in hoc tractatu agere de affectibus intestinorum.

Cap. V. Multa iuxta rationem probabilia sunt, quæ tamen experimento postea non satis respondent. In quibus hoc potissimum est, quod Lienteria fiat *ex intemperie calida, mortificante virtutem*; probabile siquidem est, ex insigni calore facultatem retentricem adeo labefactari posse, vt extinguatur;

tur; quoniam omnis insignis intemperies, vel imbecillam reddit membri virtutem; vel eam extinguit. Attamen experientia non compertum, lienteriam fieri ex intemperie adeò calida, quod quidem nec fieri posse videtur; quoniam cum lienteria sit morbus longus, quomodo à *mortificata* virtute ventriculi tandiù patiens superesse poterit? Quare, non iniuria Gal. lienteriæ causas recensens, scilicet, vel exulcerationem in ventriculo; vel eiusdem facultatis retentricis imbecillitatem, ex insigni intemperie productam, solo exemplo vtitur intemperiei frigidæ, vel puræ, & simplicis, vel cum materia.

Cum subiungit Auicenna. *Et quandoque est causa eius debilitas adueniens retentiuæ*, videtur contra principia Gal. distinguere virtutis debilitatem ab insigni intemperie, cuius supra meminerat, tum de calida, tum de frigida locutus, ac si innueret, quòd ista virtutis debilitas pendeat ab alia causa, quam ab intemperie vehementi. Nec sententia Hipp. Lib. 6. Aph. 1. ab Auicenna adducta, in omni lienteria, vt ipse videtur significare, vera est; sed, vt ex Gal. Loc. Cit. habetur, in ea tantum, quæ à pura intemperie sine materia dependet, vbi inueterauerit.

Cap. VI. Signa lienteriæ, tanquam nota supponit, cum tamen aliorum variæ sint in his explicandis sententię. Reuera autem hęc duo erunt lienterię demonstratiua signa, ex Gal. Lib. 5. Aph. 22. Lib. 4. Aph. 12. Lib. 1. Epid. Sect. 3. 36. Primo quod cita fiat cibi deiectio. Secundò, quod nulla in eo facta sit immutatio; vnde, qui excernunt cibum post quinque, vel sex, vel plures horas, licet crudum, & non alteratum, non sunt lienterici; quia in eis cita non fit deiectio; nec, qui cito quidem, sed partim alteratum, vel corruptum deijciunt, propriè debent lienterici vocari, quoniam in his est aliqua alteratio. Vnde, vel improprie hic fluxus vocetur lientericus; vel chylosus saltem dicatur: in lienteria siquidem, cum sit debilitas virtutis retentricis, cibi non possunt in ventriculo alterari, cum in eo non retineantur.

Cap. VII. Inter læuitatis ventriculi causas, enumerat primo *intemperiem calidam simplicem;* secundo *autem intemperiem frigidam cum materia, & sine materia*. Curans autem hanc læuitatem, primo incipit ab eius curatione, quæ ab *intemperie calida cum materia fit*, cuius non meminerat. At, si per læuitatem ventriculi, intelligit lienteriam, prout clare apparet id fecisse, ex Aph. Lib. 6. Aph. 1. citato, non conuenit huic loco hæc curatio, cum nequaquam ab intemperie calida cum materia, irritante, & stimulante ventriculum ad excretionem, lienteria fieri possit; hinc enim virtus expultrix irritata, citam facit deiectionem, cum in lienteria fiat, non vitio virtutis expultricis irritatæ; sed vitio potius virtutis retentricis debilitatę; præterquam in casu vlceris, ex Gal. mente, quo partes vlceratæ dolorem sentientes, cibum deorsum expellunt, & à se ipsis quàm citissimè extrudunt, quod vbi in omnibus partibus factum fuerit, velocitas exitus subsequitur, & nullum fit coctionis initium, vt habetur ex Gal. in Com. Cit. Aph. Quod autem tam subita excretio ex calido humore irritante, prout ex vlcere, succedere possit, difficile est imaginari, cum in vlcere semper sit præsens causa; ex

fluxio-

fluxione autem non ita, cum fluxiones non semper continuæ sint. Quare, hic affectus, non proprie pro lienteria, sic dicta habendus; sed pro eo, in quo communis est cita ex ventriculo aliqua cibi deiectio.

Cap. VIII. Quoad intellectum harum quatuor vocum, scilicet, *Vomitus*, *Subuersionis*, *Supinitatis*, *Nauseæ*, adeundus est Gal. Lib. 8. de Med. Secundum Loca, vbi distincta, & propria horum habetur doctrina.

Cum, proponens differentias vomitus, inquit, alium esse *acutum, & æstuosum*, exemplo eius, qui fit per *medicinam vomitiuam*, intelligatur de eo, qui fit per Medicinam, quæ electiuè per vomitum educit, qualis est elleborus albus; non verò de eo, qui fit per mulsam, vel oxelæum, vel quid simile, ad expellendum, quod iam in ventriculo, vel continetur assumptum, vel genitum, vel transmissum.

Inter differentias Vomitus, proponit eam, quę fit *ex cerebri communicatione, cum aduenit ei percussio*. At est sciendum, non tantum ex percussione cerebri, vel membranarum eius, vt habetur Lib. 6. Aph. 50. succedere vomitum, ob communionem ventriculi cum cerebro; sed etiam sine percussione, cum grauiter affectum fuerit cerebrum, vt puta, in graui phrenitide, excitari os ventriculi ad vomitum, vt habet Gal. Lib. 1. Prorrh. Com. 10. De similibus etiam affectibus ventriculi, consequentibus passiones cerebri scripsit Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 5. Quod ad dolores capitis per consensum cerebri, cum ore ventriculi, succedit quandoque nausea, stomachique morsus.

Inter causas subuersionis, recenset *humiditatem malam putrefactam; sicuti accidit prægnantibus*. At in prægnantibus, subuersionem ventriculi, appetentias vitiosas, Picam, aliaque similia inducunt vitiosa excrementa, ad os ventriculi decumbentia; de quibus fusius egit Gal. Lib. 1. de Sympt. Caus. Cap. 7. non tamen putrefacta; nisi forsan hic Auicenna, per *putredinem*, intelligat omne excrementi vitium, & corruptionem. At eo sensu, impropriè putredo dicitur; quæ quantum differat à corruptione, & à reliquis excrementorum vitiosis qualitatibus, alias notaui.

Galenus Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. exponens vomitus causas, præter materiæ, vel quantitatem, vel qualitatem, quæ potissimæ sunt, tertiam docuit, scil. in qua adest materia aliena à natura, non quantitate, aut qualitate, sed eius tantum conditionis, quod licet alterata à ventriculo, non tamen potest ipsum alere, exemplo dulcis pituitæ, & sanguinis. Quam Galeni sententiam improbans Auicenna, nititur eam confutare, dicens, *pituitam dulcem, & sanguinem, non tantum nutrire corpus, sed & ventriculum*. Quoad pituitam, inquit, *non tantum nutrit ventriculum, cum per vlteriorem alterationem possit nutrire, conuersa in sanguinem*; sed etiam, quia in inedia, attrahitur aliquando à venis mesaraicis ad ventriculum, in quo alterata eum nutrit. Hoc idem affirmat de sanguine, docens, quomodo in defectu nutrimenti, ab hepate effundatur per venas mesaraicas, non autem per venas sanguinem ad eius nutritionem deferentes, qui eò effusus, & attractus, postea eundem nutriat; atque concludens, inquit. *Et illi quidem errauerunt, qui existimauerunt, quod sanguis non nutrit stomachum, & indicant de eo indicium enunciatiuum absolutum*. Sed quod magis vrget Galenum in hac difficultate,

cultate est, quod ipsemet docuerit, ventriculum nutriri sanguine benigno, attracto in alimenti penuria, ab hepate, vt patet Lib. 4. de Vsu partium Cap. 19. & Lib. 3. de Fac. Natur. Cap. 13. Si autem hoc, quomodo dictum est à Gal. sanguinem in ventriculo vomitum excitare, non quia molestus sit, aut quantitate, aut qualitate; sed quia alteratus non potest ipsum, nutrire; atque adeo à natura sit alienus. At immerito Gal. ab Auicenna, qui eius mentem non assecutus est, reprehenditur; quò enim ad pituitam dulcem attinet, sciendum est, Auicennam intellexisse naturalem, vt apparet ex illis verbis. *Et phlegma dulce naturale conuertitur in sanguinem*. At ex Galeno, *pituita naturalis omnis qualitatis est expers; cum sit autem dulcis, est præter naturam*, vt habetur ex eodem Lib. de Atra bile. Præterea, pituita naturalis est frigida, dulcis autem, caliditatis particeps; vt habetur Lib. 2. de Differ. Feb. Cap. 6. Quapropter iure aliena à natura vocatur à Gal. non autem quantitate; quoniam, etsi non multa, potest excitare vomitum; nec qualitate, quoniam non est mordax, sed dulcedine, qui sapor naturæ amicus, participat, quæ pituita dulcis non est apta nutrire ventriculum, licet alterata; quoniam eius substantiæ agglutinari, aut assimilari nequit, ob eius substantiam reluctantem; sed potius eam relaxat, & obtundit. Si autem per vlteriorem coctionem potest in sanguinem, licet non adeò benignum, propter aduentitiam, & non propriam qualitatem dulcem, permutari, hoc non obstat, quominus ventriculum nutrire possit, nisi postquam hanc permutationem passa fuerit: quandiù enim pituita pituitæ formam seruat, non potest nutrire; sed tunc nutrit, quando transmissa ad iecur, vlteriori coctione fit sanguis. Et hæc de pituita dulci. Quò autem ad sanguinem, non negaret Galenus, vt rectè ab eo explicatum fuit, ventriculum in summa inedia eum ad se à iecore attrahere, indeque nutrire posse. Sed quid hoc ad locum Gal. Lib. 3. de Sympt. Caus. vbi loquitur, non de sanguine in inedia attracto, sed de eo qui secundum naturam extra venas effusus in cauitatem ventriculi, vomitum prouocat; non quantitate, quia etiam pauca eiusdem copia id facit; nec qualitate, quia naturalis est, nec vllam alienam adeptus qualitatem; sed quoniam in eo non est eius naturæ accommodatus, qui licet alteratus, & concoctus, non potest tamen ipsum nutrire. At propterea, non quicunque sanguis nutrit; sed qui regitur à natura, sicuti qui intra venas conseruatur, vel qui in summa inedia attrahitur. Qui autem non regitur à natura, prout, qui est extra vasa, & qui effusus est in ventriculi cauitatem, non aptus est nutrire, de quo sermo est Galeno Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. quem locum non intelligens Auicenna, conatus est, licet suppresso nomine, Galenum reprehendere.

Ex causis commouentibus nauseam, enumerat intemperiem calidam, & siccam oris ventriculi, *quæ*, inquit, *sua qualitate operatur illud, quod facit humor calidus sua qualitate calida*. At hoc est contra Galenum, qui vbique nauseam à materia produci docuit. Vomitus quidem ex imbecillitate ventriculi, ob insignem intemperiem quandoque fit, attamen neque hic nisi materia præsente.

Cum recensuerit Auicenna tot causas vomitus, vnam tamen euidentem omisit,

omisit, videlicet fœtorem, & graueolentiam: ex his enim quæ sunt huiusce conditionis, admotis, sæpius videmus vomitum excitari. Quod testatus est etiam Galenus Lib. 8. de Comp. Med. Secundum Loca, in examine octaui Medicamēti Asclepiadis, dicens. *Quemadmodum enim graueolentia omnia stomachum subuertere solent; sic odorata corroborare*. Sed quod magis mirum, fœtida, & abominanda, non tantum admota; verum etiam visa hoc idem præstare solent, vt experientia testatur; & in his, qui sunt languidioris ventriculi, etiam sermo auditus de rebus abominandis, vomitum excitat. Sed vnde hoc? An forsan ratione imaginationis, per quam homo, prout res externas, ita & internas præsentes imaginatus, proritatur ad vomitum.

Vtilitates vomitus recensens, inquit, quod per eum *sanatur eruptio venarum deferentium sanguinem*. Quæ sententia est dubia; cum ex Aetio Lib. 3. Cap. 119. vomitus reiectioni sanguinis sit infestus; nisi forsan Auic. per *venas sanguinem deferentes*, intelligat hæmorrhoidales.

Et *vomitus quidem purus est malus*, & quæ sequuntur, licet sint prolata ab Auicenna, tanquam prognostica, & indicia vniuersalia vomitus; tamen non veritati sunt consentanea, nisi in morbis acutis, vt docet Hipp. Lib. 2. Progn. Tex. 30. ad 42. ex quo loco exscripsit hæc Auicenna.

Cap. IX. Signum illud de *tremore labij, & tensione hypochondriorum*, non est nisi in morbis acutis, de quibus Lib. Progn. Hipp.

Quod vomitus *saniei magis noceat qualitate, quàm quantitate*, verum quidem est; sed quod ex sola qualitate, non autem quantitate, vt inquit Auicenna, falsum: nam vidimus etiam saniem erumpentem ex partibus internis suppuratis, magna, & insigni quantitate reiectam.

Cap. X. Quod aliquando vomitu expellatur *frustum carnis, possibile quidem est*; cum in ventriculo aliquando generentur tubercula carnosa; vt habet Galenus Lib. 3. De Sympt. Cauf. Cap. 1. quæ tubercula separata à natura, possunt aliquando per vomitum educi.

Cap. XI. Quamuis Auicenna dicat, *distingui vomitum sanguinis ex stomacho, ab eo qui est à gula, per locum doloris*, rem tamen ipsam non declarat. Verum pro rei huius cognitione, adeundus est Gal. Lib. 1. de Loc. Aff. vbi docet, dolorem in anteriori parte, ventriculum; in posterioribus autem, gulam affectam indicare, hæc scribens. *Quippe, apparentibus per vomitum vlceris notis, animaduertendum est, vtrum anteriores partes, circa præcordia; aut posteriores, circa dorsum dolor aliquis infestet; etenim qui in anterioribus percipitur, ventriculum; qui vero in posterioribus, gulam occupare censetur*. Quod intelligatur, vbi ex corrosione, & vi vlceris sanguis emanet; vt etiam animaduertit Auicenna. Vbi enim fiat exrupto vase, vel ex erosione, percipitur dolor; non autem si vas apertum sit, vt declarat Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 4.

Cap. XII. Si Vomitus sit ex materia *multa, & mala, minoretur*, inquit, *cibus, & adhibeatur exercitium, & ieiunium*. At sciendum est, quod ista conuenire quidem possunt, ratione copiosæ materiæ; quoniam ieiunium, & motus copiam materiæ absumunt. At ratione prauitatis materiæ, damno potius sunt; & præcipuè vbi materia biliosa fuerit: nam à ieiunio acuitur, & ab exer-

exercitio accenditur. Vnde Gal. Lib. 2. de Comp. Med. Secundum Loca, in examine medicamenti Archigenis, dicebat. *De his autem à me prius dictum est, quando Apollonij dicta considerabam, vbi sane in biliosis causis, fami renunciaui*. Quinimò, huiusmodi peccante materia, conuenit victus contemperans, moderatus quantitate, & qui facile corrumpi nequeat. Et *multoties quidem alleuiantur nausea, & vomitus per phlebotomiam*, inquit Auicenna. Quod pulcherrimum quidem præceptum, sed indistinctè prolatum; cum debuerit docere, in quibus casibus secanda sit vena; videlicet, in vomitu sanguinis, cum febre, & sine febre, si abundauerit; in vomitu bilis, ratione exuperantis caloris, vel hepatis, vel totius corporis; & in vomitu succi melancholici, affecto liene.

Cap. XIII. Statim ad vomitum ex intemperie calida, idest ad vomitum ex imbecillitate ventriculi, ob intemperiem calidam, administrat stupefaciens medicamentum, ex seminibus hyoscyami. At in recta ratione curandi vomitum, aduertendum est, quod tres casus sunt vomitus. Primus est, vbi nulla vrget necessitas; in quo causæ tantum debet Medicus incumbere. Secundus, vbi aliquid quidem vrget, non multum tamen, quo casu, adstringentia illis sunt addenda. Tertius, vbi maxime vrgeat morbus; quo solo casu stupefacientia tantum conueniunt.

In vomitu melancholico, abundante sanguine, primo secat *basilicam*, secundo *applicat cucurbitulas temporibus, aut capitis parti posteriori*. De primo sciendum, etiam non abundante sanguine, secandam esse venam, cum lien affectus hoc indicat; non enim indicatio mittendi sanguinem sumitur à plenitudine. De secundo notandum, hanc cucurbitularum applicationem, nec ab affectu, nec ab eius causa indicari; nec etiam ratione symptomatis vomitus prodesse posse. Quare, tanquam inutile remedium omittatur.

In vomitu bilioso, mandat vt ægrotans ad sistendum vomitum *commoueatur in cuna*. At hoc præceptum directè opponitur Hipp. Lib. 4. Aph. 14. & 15. quo loco docet, ex motu concitari, & quiete firmari vomitum, quod item ibi declarat Gal.

In *vomitu sanioso*, inquit, *adhibeantur narcotica, odorifera, & styptica*. Quod conueniant odorifera, resistentia corruptioni saniei, & fœtori, nulli dubium est. Sed an conueniant narcotica, & styptica, dubitandum, quoniam sanies sui euacuationem, vtpote toto genere præter naturam, indicat; stupefacientia autem, & styptica firmant materiam in ventriculo, quæ retenta, sui prauitate, apta est mirum in modum lædere. Quare, præstat eiusdem curandi ratio superius tradita, cum scripsit. *In tali casu, cura est euacuatio per vomitum, & mundificatio eius ex eo, & aquatio eius cum qualitatibus boni odoris*. Si tamen superfluæ sint euacuationes, & curatio irrita, eius loco, eo casu, vt in vsu stupefacientium idem docet, narcotica non forent præter rem. Verum, tunc casus est deploratus; quoniam tanta saniei copia non potest abundare, nisi in integra corruptione, & victa natura.

Cap. XIV. *Et quandoque indigebis*, inquit Auicenna, *post euacuationem duarum librarum sanguinis, phlebotomia alia minuta*. At quando hoc fit agendum non explicat; quod fit solum in casu superfluæ euacationis sanguinis, quam-

non debemus metiri libris, sed iuxtà vires ægrotantis.

Cap. XV. Id quod ab Auicenna *Conturbatio, & Anxietas* appellatur, Græcè *ἄση* dicitur, Latinè fastidium. Fit autem, ore ventriculi affecto, ex Gal. Lib. 1. de Loc. Aff. vbi hæc habet. *Ore quidem ventriculi affecto, fastidium infestat*. Pariter Lib. 5. Aph. Com. 61. inquit. *Fit autem fastidium, eadem qua pica, ratione læso, ore ventriculi in mulieribus grauidis*. Causa autem est humor mordax, os ventriculi affligens; vt habetur ex Gal. Lib. 2. Prorrh. Com. 44. vbi docens modum, quo fiat ex læsione ventriculi, cum dupliciter fastidium fieri docuisset, inquit. *Altero modo, cum os ventriculi à prauis mordetur humoribus*. Hinc liquet quantum à vero aberrauerit Auicenna, cum proponens differentiam inter *conturbationem, & nauseam*, inquit, illam fieri, *imbibita materia in ventriculo*; hanc autem, *cum aggregatur in ore stomachi*. Quinimò, fastidium fit semper affecto ventriculi ore; nausea autem à materia infarcta, vel in ventriculo; vel in eius ore. Et quoniam fit hæc affectio, vt dictum est, à materia mordente; ideò Gal. Lib. 4. Aph. Com. 2. fastidium refert inter signa abundantiæ biliosi humoris, qui sui natura est mordax.

Quod notat de potu aquæ *in febribus*, videlicet, *vt non bibatur, nisi aqua calida*, est documentum memorandum. Sed sciendum, quod loquitur de aqua, sumpta pro potu, vnà cum cibo; non autem de ea quæ copiosè bibitur, loco medicamenti, vt fit in ardentibus, & synochis.

Cap. XVI. Indicatur, pro curatione huius affectus, quoniam humor mordax est huius causa, vt exhibeantur contemperantia, ad moderandam materiam peccantem, & discutientia, ad eius digestionem; & vbi hæc non satisfecerint, euacuantia, qualia in nausea conueniunt. Cum autem subiungit. *Et si fuerit ex caliditate, & humore calido, & est illa quæ fit secundum plurimum*. Si intelligantur verba illa copulatiuè, vera est sententia, & Gal. consona; si autem disiunctiuè, vt altera causa sit caliditas; altera verò calidus humor, quoad intemperiem puram, non consentit Galeno, qui à materia hoc symptoma fieri censuit; nec rationi, quoniam caliditas potest quidem colliquare, & laxare; non tamen proritare ventriculum ad motum, nisi etiam mordeatur, quem morsum, fastidium illud, & inquietudo sequitur.

Cap. XVII. In hoc Cap. agit de præseruatione, ad prohibendum videlicet, ne sanguis in ventriculo concrescat; atque adeo exhibet attenuantia calida, vt nasturtium, & thymum. Coagulum autem leporinum, quoniam tum facit ad præseruationem, tum ad curationem; ideo in hoc Cap. ad præseruationem, sicuti in sequenti ad curationem proponitur.

Cap. XVIII. Proposita in superiori capite præseruatione, hic tradit curationem, scilicet sanguinis in ventriculo concreti, & in grumos conuersi; quo casu, *coagulum leporinum* omnibus medicamentis præfertur. At de *aqua Mentha* potest esse dubium; cum magis videatur conuenire præseruationi, quàm curationi, vt ex eius facultatibus liquet, ex quibus ad præseruationem, eam vsurpari posse colligere possumus: nam sanguinis eruptiones sanat, vtero apposita conceptum prohibet, lacti admista, coagulationem impedit. At quod sanguinem coagulatum possit dissoluere, difficile est ima-

imaginari, nisi hoc vi salis præstet; quod tamen leue est auxilium, & potius aptum ad impediendam, quàm dissoluendam coagulationem.

Cap. XIX. Distinguens causas singultus, videlicet, quod fiat, vel à materia nocente; vel ab intemperie, quàm intelligit, per illa verba. *Aut non sit nocens.* Subiungit. *Immo sit secundum semitam superfluitatis siccitatis mouentis, ad similitudinem aliquam, sicut spasmus, & natura moueat ad dilatationem; & non obediat illud, & succurrat ei.* At si singultus est sicut spasmus, (quod etiam ab Hipp. & Gal. affirmatum est,) cum spasmus fiat, contractis musculis, & neruis ad propria principia; vnde partes hæ ex spasmo contrahantur, quomodo dictum est ab Auicenna, in singultu, & siccitate, naturam mouere ad dilatationem; cum dilatationem impediat siccitas, & motus conuulsiuus faciat contractionem? Censeo autem, in ventriculo singultum eo modo fieri, quo fit motus conuulsiuus, non conuulsio in instrumentis voluntarijs, quomodo autem hic fiat, alias scripsi, quare hic non repetam, sufficiat hoc tantum innuisse; cum certe singultus nequaquam fiat vt conuulsio (quoniam in hac est contractio continua) sed vt motus conuulsiuus, in quo partes subsultare videntur, & interposita quiete mouentur.

Galenus 6. Aph. 39. comparans vomitum cum singultu, censet, singultum vehementiorem motum esse vomitu ipso; cuius rationem reddens, hæc habet. *Nam stomachus appetens eorum aliquid, quæ in ipso continentur, expellere, duobus mouetur motibus, vehementiori quidem in singultibus; mediocri vero in vomitibus; siquidem in vomitibus, appetit ea tantum, quæ in ventriculi spatio ampliori continentur expellere; in singultibus autem, ea quæ sunt in ipso ventriculi ore penitius infarcta.* Hanc sententiam vidit Auicenna, & in eam inuehitur, his verbis. *Etiam dixerunt quidam; quod motus singultus fortior est motu vomitus*, suppresso Galeni nomine, & primo quidem conatur soluere Galeni rationem; secundo pro se duas adducit. Ad Galenum, ait, quod non est verum, quod omnis vomitus fiat à materia in cauitatem effusa, quod tamen non probat. Rationum hæc est prima, quod ille est vehementior motus, in quo aliquid expellitur, quàm, in quo nihil expellitur, Sed per vomitum aliquid expellitur, nihil per singultum. Ergo vomitus est vehementior motus, quàm sit singultus. Secunda, Ille motus est debilior, qui est via ad alium motum; Sed singultus est via ad vomitum. Ergo vomitus est vehementior motus, quàm singultus. Qui Arabum sententiæ fauent, alias duas adducunt rationes. Prima est, Ille motus est vehementior, qui fit à toto, quàm qui à parte ventriculi; sed vomitus fit à toto ventriculo, quia (aiunt) est propria eius affectio, singultus à parte oris ventriculi. Ergo vomitus est vehementior motus. Secunda. Ille est vehementior motus ventriculi, in quo aliquid educitur, & maior fit subuersio, quàm, in quo hæc non adsunt; sed in vomitu aliquid educitur, & subuertitur totus ventriculus, quod non fit in singultu. Ergo vomitus est vehementior motus, quàm singultus. At Galeni sententia, quoniam rationi consentanea magis, nam impacta difficilius, quam quæ in ampliori spatio continentur expelli possunt, est amplectenda, contrarijs argumentis respondendum. Quoad primum, di-

ctum illud Auicennæ contra Galenum, omninò falsum, dum negat, vomitum fieri à materia in cauitate; prout ac assereret, singultum non fieri à materia impacta in penitiori substantia ventriculi; quod sicuti à Gal. sæpius probatum, & potissimum de singultu ex acribus deuoratis, ita nunc pro firma sententia supponendum est. Quo autem ad primam rationem, dico, quod si similitudo daretur in vtroque casu, verum quidem ratio concluderet; verum est dissimilitudo magna, cum in primo, materia sit in substantia, in altero verò sit in cauitate, data autem hac dissimilitudine, non sequitur, quod motus expellens sit valentior non expellente. Quoad secundam, dico, falsum esse, singultum esse viam ad vomitum; cum vomitus, non præcedente singultu, & singultus, non subsequente vomitu semper fieri obseruetur. Et licet ratione singultus possit vomitus excitari, tunc tamen fit, quia præter materiam impactam, singultus causam, adest insuper materia in cauitate, quæ agitata à motu singultus, subinde concitat vomitum; non autem, quia singultus ex se fuerit via ad vomitum. Quoad alias duas rationes, dico, ad primam, falsum esse, singultum esse passionem solius partis ventriculi; nam totus ventriculus simul commouetur in singultu, licet in vnica eius parte sit materia impacta. Præterea, maior est falsa; nam ratione loci, & materiæ, potest esse difficilior motus in parte, quàm in toto; quoniam in toto, potest esse materia in cauitate facilis ad eductionem; in parte autem potest esse adeo in penitiori loco infarcta, vt difficilius inde auelli queat. Ad secundam dico, ad veritatem maioris propositionis, (vt ad primum Auicennæ dictum est) requiri parem casum, videlicet, vt materia in eodem loco, & in eadem parte contineatur, at in singultu, in substantia; in vomitu autem, in cauitate reperitur. Quare concludendum est, ad mentem Galeni, singultum esse vehementiorem motum, vomitu, in eoque validius commoueri ventriculum, quàm in hoc.

Inter causas singultus, recenset Auicenna intemperiem calidam, cum inquit. *Dicamus itaque, quod quandoque fit ille, aut à re nocente suo calore; aut lædente sua frigiditate*; atque hanc causam, quoad puram intemperiem calidam, distinguit ab ea, in qua, calida morsu singultum inducunt, cum inferius, inquit. *Aut à re nocente suo calore, sicuti accidit in febribus adurentibus, ex spasmo in ore stomachi; aut à re nocente mordicatione sua.* At Galenus solum quatuor recenset causas; quarum prima, est repletio, siue à materia, siue à flatu. Secunda, inanitio, licet de ea dubitauerit Lib. 8. de Comp. Med. Secundum Loca. Tertia, tumores mordaces. Quarta, frigiditas; de intemperie autem calida ne verbum quidem fecit. Quid autem in hoc sentiendum, nemini dubium, quod intensa caliditas, prout & intensa frigiditas, vt habet Gal. Lib. 4 de Simpl. Med. Cap. 1. soluendo continuum, morsum inferre apta est. Quare, ex his censendum est, puram intemperiem calidam posse etiam singultum excitare; prout & humores mordentes. Attamen, cum postea animaduertam, Auicennam in capite de curatione, nec de hoc quidem verbum fecisse, nullamque eius curam proposuisse, in eam veni sententiam, sicuti alias dixi, Auicennam, in expositione causarum, omnes eas recensere, quæ iuxta rationem effingi possunt, licet ex parte rei non omnes respon-

respondeant, prout in hoc casu; non enim videtur negandum, quod caliditas soluat continuum, & mordeat, molestaque ventriculo possit singultũ inducere; attamen, quis in maximis æstibus, & *adurentibus febribus*, vt inquit Auicenna, ratione vehementis caloris, incidat in singultum? Nemo sane. Qui enim in huiusmodi febribus, & in morbis acutis, in singultum incidũt, hoc patiuntur, vel sub finem harum ægritudinum, ex nimia scil. exiccatione; ac propterea huiusmodi singultus sunt lethales; vel in progressu, seu ex praua qualitate, vt fit in febribus pestilentibus; vel ex materia acri, ad vẽtriculum influente, vt fit in febribus biliosis; non autem ex pura intemperie calida. Quod cum experimento non respondeat, iure à Galeno hæc causa prætermissa fuit, solis quatuor illis commemoratis; cui & quinta addatur, videlicet praua qualitas; cuius, sicuti non meminit Galenus, ita nec Auicenna; cum tamen in febribus pestilentibus, singultum certè à praua generari qualitate experimento compertum sit.

Cap. XX. Dixerat superiori capite, in *febribus adurentibus* fieri singultum ex *materia nocente sua caliditate*; quod tamen iure negaui fieri, cum fiat potius ex siccitate; quod cum non possit Auicenna negare, contra tamen ab eodẽ tradita, hoc in loco, affirmat, dicens. *Et omnis singultus, succedens euacuationibus, & febribus adurentibus, & quem non sedat ipse vomitus, immo addit in ipso, est à siccitate*. Si autem hoc, ergo non à pura caliditate. Nisi forsan singultum fieri in his febribus à caliditate, inchoatiuè; à siccitate autem terminatiuè asseramus.

Cap. XXI. Quoad trochiscos stupefacientes, quos exscripsit ex Gal. Lib. 8. Med. Secundum Loca 13. Medic. Asclepiadis, duo notanda sunt. Alterum, quod Auicenna in compositione horum, omisit crysobalanos, forsan, quia eos ignorauerit. Alterum, quod Galenus, in examine ingredientium, recenset crocum, quem postea non proponit in descriptione Medicamenti; cum tamen eum addiderit Auicenna. Quare censendum est, eum mancũ fuisse in descriptione Medic. Asclepiadis; vel potius Textum esse mutilum, quàm vt superfluus fuerit in examine Galeni.

In cura singultus *à flatu*, præscribit *balneum*. Quod tamen licet conueniat in singultu ab inanitione, ad humectandum, & in eo qui fit ab acribus humoribus, ad contemperandum; tamen videtur dubium, an conueniat in singultu à flatu; cum proprium balnei aquæ dulcis sit refrigerare, & humectare; cuius ratione, maxime hecticis conuenit. At ad discutiendos flatus, refrigeratio, & humectatio parum prodesse videtur; nisi forsan, pro balneo, non omnes partes balnei, sed mora in eiusdem aere intelligatur ab Auicenna.

Tradens in fine capitis, curam singultus ab Apostematibus hepatis, inquit. *Necessarium* esse, *vt curetur apostema, & fiat vena sectio, si est necessarium, & temperetur stomachus, cum his quæ sunt, sicut aqua granatorum*. At sciendum est, vsum granatorum in inflammatione iecoris noxium admodum esse, vt docet Gal. Lib. 13. Meth. Cap. 14. his verbis. *Nam, & punicum malum & cetera, quæ adstringunt, dum bilis meatus coarctant, bilem ipsam excerni prohibent, atque inde iecoris phlegmonis sunt incommoda, præsertim ijs, quæ in cauo vi-*

sceris consistunt. Quare, in cura huius, mittantur granata, sed potius aqua hordei,& endiuiæ exhibeantur, applicatis exterius emplastris, conuenientibus.

Cap. XXII. *Tensio hypochondriorum ad superiora, fit quandoque propter apostemata*, ait Auicen. Intrinseca scilicet, quæ sint vel in septo transuerso; vel in pleura; vt habet Gal. Lib. 3. Epid. Sect. 2. Com. 1. vel in hepate, vt habetur Lib. 3. Epid. Sect. 1. Com. 5. Sed ista tensio non tantum fit ob dicta apostemata interna, in partibus inferioribus suborta; verum etiam ex inflammatione cerebri, cuius vi, nerui, qui ad septum transuersum pertingunt, sursum conuelluntur vnde tensio hypochondriorum subsequitur, & quidem æqualis in vtroque hypochondrio, vbi, tum dextra, tum sinistra cerebri pars æqualiter afficitur. Si autem altera pars grauius; altera verò, vel nihil, vel modicè passa sit, hinc tenduntur, modò dextra, modò sinistra hypochōdria, quæ scilicet, è regione partis magis affectæ sita sunt, vt explicat Gal. Loc. cit. Lib. 3. Epid. Sect. 2. Com. 1.

Fen Decimaquarta Tract. I. Cap. I.

Cap. I. Dictum illud Auicennæ, quod *hepar mandet aquositatem ad renes, ex via gibbositatis*; si intelligatur ex vi verborum, falsum est; quoniam hepatis munus non est transmittere partem sanguinis aquosam ad renes; cum horum potius officium proprium sit attractio huius serositatis, non autem hepatis transmittentis. Verum intelligi debet, quod hepar ex parte gibba transmittat sanguinem aquosum, qui postea attrahitur a renibus; prout etiam per meatum bilis eam excernit, vnde postea attrahitur à vesica.

Et ipsum quidem tegit panniculus neruosus, generatus ex neruo paruo, veniente ad ipsum, ait Auicenna. At hepar membranam habet à peritonæo, non à neruo; qui neruus postea emanans à sexta coniugatione, partim in membranam, partim in substantiam hepatis inferitur, paucis quidem ramis in substantiam, pluribus verò in membranam, vnde huic sensus magis acutus; illi autem obtusus magis obtigit.

Quod dicit de ligamento venæ cauæ, satis obscurè, & ineprè explicatum est, credo culpa potius interpretis. Quare adeundus est Galenus Lib. 4. de Vsu Partium Cap. 14. à quo loco hæc exscripsit Auicenna.

Et caro quidem hepatis sensum non habet; sed illud, quod de ea, sequitur panniculum, sentit, propterea quod aduenit ei parumper de parte panniculi neruosi, ait Auicenna. Ex quibus liquet, eum eius esse sententiæ, quod hepar non sentiat, nisi ratione *panniculi*. At Gal. longe aliter censuit, hepar scil. in propria substantia sentire, licet non acuto sensu, à proprio neruo; vnde Lib. 14. de Vsu Partium Cap. 12. dicebat. *Neruus vero in ipsum inseritur, ne omnino Viscus sit sensus expers*.

Cum subiungit. Quod *in hepate non solum fit sanguinis generatio; sed etiam bilis, melancholiæ, & aquositatis separatio*; partim vera afferit, scilic. quoad sanguinis generationem, & bilis, ac melancholiæ separationem; partim autem

falsa

falſa, videlicet quoad aquoſitatis ſeparationem: non enim in hepate fit hęc ſeparatio; ſed poſtquam ſanguis ad cauam venam peruenit, à qua attrahentes renes ſeroſam partem, hanc aquoſitatem ſeparant à puro ſanguine.

Quamuis à principio capitis dixerit. *Et hepar eſt vacuum à villis neruorum.* Attamen declarans, quomodo in hepate ſint quatuor virtutes naturales, ſcribens, quod *digeſtiua plurimum eſt in carne eius*, ſubiungit. *Et plurimum aliarum virtutum eſt, cum villis eius.* At vnde villi, niſi à neruis. Niſi forſan hic per *villos*, intelligat fibras venarum.

Cap. II. Cum in hoc capite exponantur ab Auic. modi, ex quibus ſignificatur diſpoſitiones hepatis, tum naturales, tum præternaturales, erant etiam indicanda ſigna ex conferentibus, & lædentibus, & ex cauſis, quorum non meminit: vbi enim eſt duplex Textus, alter, qui habet, *cauſis*; alter, *ætatibus*, legendum eſt, *ætatibus*, & non *cauſis*, vt patet ex ſubſequenti cap. ſub finem, in quo commemorans omnes ſignorum fontes, de eo ex cauſis nihil habet; locutus tamen de eo qui eſt ex ætate.

Cap. III. *Significationes coloris ſuper hepar*, ſunt ſignificationes probabiles quidem, ſed incertæ; quoniam color cutis poteſt mutari alia de cauſa, quàm ob hepatis diſpoſitionem; nec hepatis mala diſpoſitio ſemper indicatur ex colore; quinimo, eo affecto, puta ex obſtructione, poteſt eſſe color ruber, albus, optimus; qui tamen neceſſariò eius *ſanitatem*, vt ait Auicenna, non indicabit.

Cap. IV. Cap. iſtud exſcriptum eſt à Galeno Lib. Art. Med. in quo, ſicuti multi Interpretes errarunt; ita videtur Auicenna in Textu, nec mentem Galeni, nec veritatem aſſecutus. Omnes ſiquidem vnanimi conſenſu, aſſerunt, Gal. ibi agere de reſiſtentia, vel cordis in hepar, vel hepatis viciſſim in cor, ſeu, vt inquit Auic. & de *contraoperantia cordis ad hepar, in qualitatibus ſuis*, quarum ope, vel cor remittatur ab hepate; vel hepar à corde, quoad temperamentum. Vnde exempli gratia, hepar calidum, remittitur, & temperatur à frigido corde, vel cor frigidum ab hepate calido; vel contra, hepar frigidum à corde calido, vel cor calidum à frigido hepate; quod etiam accommodetur paſſiuis qualitatibus, excepta tamen cordis humiditate, ad hepatis ſiccitatem relata, cum nulla ſit ab humido corde in hepar ſiccum actio. At hæc ſententia longe eſt aliena à Galeni mente; non enim Galenus loquitur de *contraoperantia* cordis ad hepar, vel hepatis ad cor, nec de reſiſtentia eorundem ad inuicem; quoniam hæc membra, ſicuti omnia alia, dum ſunt in naturali ſtatu, nec ſunt morboſa, non ſunt ſibi inuicem contraria, alias ſemper, ob diuerſitatem temperamenti membrorum corporis noſtri, cum alia ſint ex propria natura calida, alia frigida, alia ſicca, alia humida, ſemper in corpore noſtro eſſet dyſcraſia, & inæqualis intemperies. Quod animaduertens Gal. Lib. de Inæquali Intemperie, ac docens, quomodo in æquali totius corporis intemperie non fiat dolor, dicebat, *Quod ſi alia earum calidior, alia frigidior, vt certè eatenus eſt frigidior, vt vicinum nihil offendat, alioqui ſic ſcilicet partes, quæ pro natura modo ſe habent, mutuo ſe offenderent, vtpote quæ ſic quidem temperamentis diſſideant; caro namque calida particula eſt, os frigidum. Cæterum tam harum partium, quam reliquarum*

omnium

omnium indolens inaequalitas est, modi excessus meritò. Haec Gal. Ex quibus habemus, membra, dum pro naturae modo se habent, ad inuicem non contraria esse, nec mutuò se offendere. Quo stante, nulli dubium, cor frigidum non contrarium esse hepati calido, nec hepar siccum cordi humido, & sic de alijs combinationibus; & ideo iure Galenum de tali resistentia, aut *contraoperantia* nequaquam locutum fuisse. At cum Galenus loquatur de repugnantia horum duorum membrorum ad inuicem, quid intelligat inquirendum. Tradens itaque Gal. signa temperierum cordis, & hepatis, nouit, ab his duabus principibus partibus, tanquam à duobus fontibus propagari in vniuersum corpus conditionem primarum qualitatum, scilicet, tum actiuarum, tum passiuarum, & ad similitudinem propriae eorum temperiei: cum enim haec duo membra caeteris totius corporis partibus subministrent calorem vitalem, spiritus, & sanguinem, meritò eisdem proprias temperies impertiri debent, ita vt, vbi ambo haec membra, in caliditate, vel frigiditate exuperent, constituant totum corpus, vel calidum, vel frigidum; & si in siccitate, vel humiditate praedominentur, reddant totius corporis ambitum, vel siccum, vel humidum. At quoniam non semper ambo haec membra eadem temperie donata sunt, cum quandoque hoc calidum, illud frigidum, hoc siccum, illud humidum existat, docet Gal. qui status corporis, quoad primas qualitates, resultet in corpore, vbi haec duo membra tẽperamento non conueniant. Vnde incipiens à cordis caliditate, docebat, hinc vniuersum corpus calidum reddi, nisi hepar vehementius obstiterit; quae resistentia non intelligitur quoad cor, videlicet quod hepar resistat cordi; quoniam inter ea naturaliter se habentia nulla est contrarietas; sed quoad statum corporis, idest, quod à cordis temperamento calido, vniuersum corpus incalescit, nisi ab hepate frigidiori, subministrato eidem frigido sanguine, in eo genito, refrigeretur totius corporis ambitus, remissa caliditate à corde ad totum diffusa; locutus verò postmodum de corde frigido, sub finem, dicebat. *Eodem modo, & de totius corporis caliditate.* Quibus verbis, innuit, secundum praedictum examen, corpus à tali corde totum frigefieri, nisi hepar calidius, subministrato sanguine calidiori illud calefaciat; quod tamen difficile est imaginari, & rarò contingit; cum à corde, primò caloris actuatio, & propagatio dependeat. Descendens deinceps ad cordis sicci indicia, dicebat, *ab eo vniuersum corpus siccius euadere, nisi hepar obstiterit;* quoniam scil. ex sicco corde totius ambitus exiccabitur, nisi ab humidiori hepate sanguis humidior, qui talis, ratione eius humidae temperiei generatur, & qui vniuersum habitum nutriendo, humectare potest, subministretur. Hoc idem dicebat de corde humido, videlicet, quod *vniuersum corpus ex eo humidius existit, nisi hepar obstiterit,* videlicet siccum, quod ratione propriae intemperiei generans siccum sanguinem, erit causa, vt humiditas, quę à corde emanat, exiccetur, simulque corpus, nutritum sicciori sanguine. Et haec de corde. Deueniens autem ad inditia temperiei hepatis, dicebat, ab hepate calidiori incalescere vniuersum corpus, nisi cor obsistat: cum enim cor sit caloris vitalis fons, hoc deficiente, nec vniuersum corpus poterit calidius reddi. Idem affirmabat de hepate frigido, dicens, hinc *totum cor-*

pus

pus frigidius reddi, nisi à corde calefiat; cum enim à corde calidiori plurimus per totum corpus emanet calor, poterit hinc incalescere corpus, remissa ab eo frigiditate, quæ ex hepate, ob sanguinis frigidi generationem emanaret: nam ex calore cordis influente, & infuso in sanguinem, potest sanguis, & inde totius ambitus calefieri. Pariter, vbi hepar sit humidum, inquit, *hinc vniuersum corpus mollius reddi, ac humidius, nisi partes ad cor spectantes obstiterint*; quoniam siccitas ex corde proueniens, potest humiditatem ab hepate emanantem absumere; at vbi *hepar sit siccius*, ait Galenus, *semper totius corporis habitus est siccior, siue cordis eiusdem, siue oppositæ sit temperiei*; vbi enim hæc concurrit, nulli dubium, quod hinc idem sequitur affectus; vbi autem non, sed cor sit humidius, nec corrigere potest siccitatem ab hepate emanantem; cum enim ab hoc sanguis siccior, qui pro nutrimento omnium præparatur, generetur, cor sua humiditate, quæ minima est, comparatione humiditatis hepatis, non poterit contemperare eius siccitatem; quare hinc semper totius corporis habitus siccior reddetur. Vnde patet, Galenum nunquam locutum esse de resistentia cordis, & hepatis, eo sensu, vt hepar resistat cordi, vel è contrario; sed intellexisse, talem resistentiam esse in constitutione totius corporis habitus, quoad statum primarum qualitatum, manantium ex istis duobus principalibus membris, videlicet corde, & hepate; quod clarissime apparet ex subsequentibus Galeni verbis, quibus declarare satagit, cur loquens de sicco hepate, quod ab eo siccius reddatur totum corpus, non subiunxerit, nisi cor obstiterit, vbi hæc habet. *Nam quæ ex corde caliditas originem habet, potest obtundere eam, quæ ab hepate nascitur, frigiditatem, & cætera*. Quibus verbis clare apparet, Galenum non locutum fuisse de qualitatibus horum duorum membrorum, sibi inuicem contrarijs; sed de illis, quę ex his ortę in vniuersum diffunduntur corpus; quod pro horum dominio, tale scilicet, vel calidum, vel frigidum, vel siccum, vel humidum redditur. Quapropter concludens, censeo Auicennam, vel non assecutum esse in hoc loco Galeni mentem; vel impropriè locutum esse, cum dicit, caliditatem cordis vincere frigiditatem hepatis, & caliditatem hepatis vincere frigiditatem cordis, & sic de singulis alijs combinationibus; cum per caliditatem, frigiditatem, siccitatem, & humiditatem, non horum membrorum temperamenta, sed quæ ab eisdem in vniuersum emanant corpus, qualitates, intelligendæ sint.

Cap. V. Inter signa complexionis naturalis calidæ hepatis, enumerat *fortitudinem appetitus cibi, & potus*. At nec operatio hæc ab hepate pendet, cum sit propria oris ventriculi; nec semper caliditatem hepatis sequitur vehementior appetentia; quod simul cum temperamento hepatis, possit consistere ventriculi similis tempeties, cum qua non consistit ingens appetitus.

Cap. VI. *In complexione naturali frigida*, inquit, *multoties accidere febres*; *quoniam in hac generatur sanguis subtilis, & aquosus, & virtus est debilis*. Quod signum non fuit propositum à Galeno, & quidem iure; quoniam calida, & humida facile putrescunt, non frigida. Præterea, virtus non dicitur debilis, nisi respectu naturalis status, secundum quem virtus robur suum habet, vbi non sit morbus. Insuper, sanguis in hoc temperamento est, vt ait Galenus, frigidior

gidior quidem, & pituita abundat; non tamen hinc ſequitur, quod ſanguis ſit ſubtilis, & aquoſus: talis enim ſanguis eſt morboſus; cum ſit ichoroſus. In complexione autem hepatis frigida naturali, & non morboſa, non generatur huiuſmodi ſanguis.

Cap. VII. In fine, ait. *Et caliditas cordis vincit humiditatem hepatis in vltimo*. Sed cui dubium, quod humiditati ſiccitas, non caliditas opponatur? Licet enim caliditas, abſumendo, poſſit humiditatem valida ſua virtute abſumere in externis; non tamen in habitu naturali poteſt contingere iſta cõtrarietas, alias ſequeretur, quod omnes calidioris cordis, forent ſiccioris habitus, quod experientiæ, & rationi repugnat; atq; adeo nil mirum, ſi nuſquam à Galeno huius oppoſitionis facta fuerit mentio.

Cap. VIII. Ait Auic. quod *ſiccitas cordis quandoque ſuperat parum humiditatem hepatis*. Verum *humiditas hepatis fortiter vincit ſiccitatem cordis*. At Gal. Loc. cit. longè aliter ſentit, dicens, medio modo humiditatem hepatis vinci à cordis ſiccitate, & hoc minus facile, quàm vincatur ſiccitas cordis ab humiditate hepatis, his verbis. *Media autem inter has; quæ dicta ſunt, ea quæ ab hepate humiditas oritur; magis enim à cordis ſiccitate ſuperatur, quàm ſiccitas ab humiditate.* Dixit autem, medio modo vinci humiditatem hepatis à ſiccitate cordis; quoniam hæc, inter hepatis qualitates, vt vincatur, medium locum tenet; nam ſiccitas hepatis nequaquam vincitur à cordis humiditate; humiditas autem ſuperatur aliquo modo à cordis ſiccitate, caliditas magis à cordis frigiditate, & adhuc facilius frigiditas hepatis à cordis caliditate vincitur: intemperies enim frigida hepatis facillimè omnium eiuſdem qualitatum ſuperatur. Vnde ſubiungebat Galenus hæc verba. *Minus autem caliditate, adhuc vero multo minus frigiditate*; hæc enim inter omnes qualitates, quæ ab hepate eueniunt facillime vincitur. Quare hic fuerit ordo in victoria cordis ſupra hepar; vt facillimè frigiditas hepatis vincatur à cordis caliditate; poſtea minus facile hepatis caliditas à cordis frigiditate ſuperetur. Tertio loco humiditas hepatis ſuccedit, quæ minus promptè quam prædictæ duæ qualitates, à cordis ſiccitate vincitur; & ideo dicitur eſſe media, quoniam reliqua hepatis quarta qualitas, videlicet ſiccitas, nequaquam à cordis humiditate vinci poteſt.

Cap. IX. Habet in fine, hæc verba. *Et ſiccitas corporis* (ſiue legatur, *durities*) *ſi non diuerſificauerit ipſam cor*. At ex Gal. clarè habemus, humiditatem cordis non poſſe ſuperare ſiccitatem hepatis; quod idem affirmauit Auicenna, Cap. 4, & 7. Si autem hoc, quomodo immemor dictorum hic inquit, quod ex cõplexione ſicca ſequatur corporis durities, ſeu ſiccitas, niſi cor obſtiterit; cum cor huic qualitati reſiſtere nequeat? quam conditionem iuremeritò Galenus proprio loco non adſcripſit, quia impoſſibile fuit.

Cap. X. Conditionem eam, *niſi cor obſtiterit*, quam ſuperiori capiti immerito adſcripſit, in iſto neceſſariam prætermiſit; nam ex complexione calida, & humida, corpus humidius, vel, vt inquit Auicenna *lene, ac tenerum redditur, niſi* cor ſua ſiccitate reſiſtat; vincitur enim humiditas hepatis à ſiccitate cordis; & ideò longe melius protulit Gal. hæc verba. *Habitumque calidiorem, ac humidiorem facit, niſi cor obſtiterit*. Quæ ſententia non tantum vera eſt, quoad cor-

corporis humiditatem; sed etiam quoad caliditatem: nam à corde frigidiori, facile, vt dictum est, vincitur caliditas hepatis.

Cap. XI. Hanc temperiem dixerat Galenus habere *sanguinem, ad pituitæ naturam accedentem*. Auicenna autem dicit esse *subtilem, & aquosum*... At longe differt sanguis ad pituitæ naturam accedens, à sanguine *subtili, & seroso*: ille enim intra limites naturæ consistit; hic autem morbosus est, vt habet Gal. Lib. 6. Epidem. Sect. 2. Tex. & Com. 39.

Quod de humiditate corporis, ex hac complexione resultante dixerat, videlicet, quod tale redditur corpus, debuerat etiam dici de frigiditate, cum & hinc totum corpus frigidum fiat, & facillimè etiam talis frigiditas vincatur, si cor resistit.

Cap. XII. Non simpliciter dicendum fuit, ex hac complexione reddi *sanguinem, & corpus parum calidum*, sicuti, nec, quod *paucitas pilorum sit in mirach*; quoniam si obstet cor calidum, facile superata hepatis frigiditate, sanguis, & corpus calidiora reddentur, nec glabra erunt hypochondria, subministrata scil. his materia à cordis calidiori temperie; atque adeo iure Gal. in hoc temperamento, quod non fecit Auicenna, addidit, *nisi & hic cor dominetur*.

Cap. XIII. Præter *ægritudines complexionales, & ægritudines compositionum*, hepar corruptelam, cuius non meminit Auicenna, in propria substantia patitur. Quæ licet habeat ortnm ex intemperie, vt plurimum calida; attamen hæc corruptio est quid distinctum ab intemperie, vt distinguitur effectus à causa. De hac egit Galenus Lib. 8. de Med. secundum Loca Cap. Prop à quo exscripsit Auicenna dicta de hac, in sequenti Cap. attamen eam perfectè non declarauit; cum enim ab hac colliquetur propria hepatis caro, viresque eius hinc labefactentur, intemperies sola, quam Galenus supponit morbum esse, in hoc casu, hoc peragere non satis poterit; cum ratione materiæ, idest, substantiæ hepatis, alia concurrat causa, vt in omni insigni intemperie calida, non adsit colliquatio ista. Quare, præter morbos prædictos, patietur hepar etiam hanc in propria substantia corruptelam.

Cap. XIV. Inter signa intemperiei calidæ hepatis, enumerat *velocitatem pulsus, & eius frequentiam*. At hoc signum est ex consequentibus cor, non, hepar. Quare parum aptè hic appositum videtur, & potissimùm, quod sæpius obseruamus frigidam cordis complexionem copulatam cum hepatis calidiori intemperie.

Cum inquit. *Et quando est in hepate adustio, aut apostema, aut dubellati, egreditur cum egestione, aliquod nigrum grossum; tunc illud est carnositas hepatis putrefacta*, adducit signum incertum; quoniam talis excretio nigra potest esse, vt inquit Gal. Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, velut *limus quidam sanguinis crassi*, qui propius ad atram bilem accedit; nec erit substantia hepatis, cuius putrefactionem, non qualitas proposita huius excrementi, sed fœtor indicat.

Cap. XV. Sicut intemperiei calidæ hepatis signum proposuerat, *pulsus velocitatem, & frequentiam*; ita hic, frigidæ temperiei iecoris proponit *pulsus tarditatem*. Sed, nisi tanta sit hepatis frigiditas, vt cordi impertiatur, pulsus

non

non immutabitur, eritque, qualem producere apta erit cordis, non hepatis, temperies.

Cum inquit. *Et in fine eius egreditur quoddam simile sanguini putrefacto, non sicut sanguis putrefactus*, est error in Textu: nam debet legi, *non sicut caro colliquata*: hanc enim sententiam mutuatus est à Galeno Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca. vbi loquens de excrementis, ratione intemperiei frigidæ iecoris, hepaticis superuenientibus, dicebat. *Verum, minus graueolentia ab his excernuntur, speciem putrefacti sanguinis, non colliquatæ carnis habentia.* Quare aduertatur, etiam Auicennæ sententiam, non simpliciter in intemperie iecoris frigida; sed in hepaticis, ex eadem causa, veram esse.

Cap. XVI. *Durities pulsus* non est ex causis necessario consequentibus siccitatem hepatis: nisi enim insignis sit siccitas, & præterea, etiam cordi impertiatur, pulsus ad duritiem non immutantur; si enim pulmo hoc simpliciter efficere non potest, qui tamen similior cordi hepate est, quomodo hoc poterit efficere iecur? Dicebat enim Galenus Lib. 4. de Præsag. ex Puls. in principio. *Iam, si siccitate intemperatus pulmo fuerit à primo, pulsus penè nihil alterabit, tandem consentiente illi corde, duriores efficiet.*

Quoad signum desumptum à lotio, forsan melius fuerit legere, *paucitas vrinæ*, quam *subtilitas vrinæ*; nam siccum hepar paucam generat seri copiã, & ideo lotium fuerit paucum. Crassum autem erit potius, quàm subtile; quoniam, cum vrina proportione respondeat humoribus, atque in huiusmodi temperamento generentur succi crassi, & melãcholici, & potissimum, vbi coniuncta sit intemperies frigida, congeratur melancholia fœculenta, crassum fuerit potius quàm subtile lotiũ; licet, vbi coniuncta sit calida intẽperies, non insignis, genita bile, possit esse subtile; si.n. intensior fuerit caliditas, humores adusti, & melancholici, ac proinde crassiores producentur.

Cap. XVII. *Inflatio faciei, & oculorum*, sunt signa superuenientia principio cachexiæ. Vbi autem ista non incipiat, poterit esse intemperies frigida hepatis, sine huiusmodi inflatione.

Cap. XVIII. *Si materia est in concauitate hepatis, per deiectionem ventris* euacuãdam esse monet; *si autem in gibbositate, per prouocantia lotium*. Quæ norma exscripta quidem est à Galeno, sumpta indicatione à situ partis; attamen, vt alias docui, non indistinctè ita pronuncianda est: vbi enim materia peccans in gibba hepatis, pauca sit, per diuretica est educenda; si autem multa, per deiectionem, & per purgantia medicamenta euacuanda: nam multa materia, & impacta parum, idonea est euacuationi per lotium. Vnde dicebat Galenus Lib. 7. Meth. sub finem. *Renes, & Vesica, ac iecoris gibba, si multo vitioso succo sunt referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria expurgantur; sin mediocri, per vrinarios meatus.*

Omnes endiuiæ species læsionibus hepatis conferre docet, *in calefactis, cum syrup. acetoso, in refrigeratis, cum melle.* Quam sententiam exscripsit à Gal. Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, in examine Medicamentorum Asclepiadis; sed longè aliter: nam Galenus affirmat, eas nequaquam conuenire in omni hepatis intemperie; immo palàm asserit, hepar frigidum ab his, licet non vehementer admodum, lædi, cum ait. *Neque vero frigidas intemperies*

magnoperè lædunt. Et quoniam censebat, in frigida intemperie parum has conuenire, ratione propriæ intemperiei subfrigidæ, licet, quà subamara, & modicè adstringens est, maxime sit opportuna illius affectionibus, docebat modum exhibendi eas in hoc casu, dicens. *Si vero non calida aliqua intemperies infestet; aut si obturatio quædam fit circa viscus, magnopere auxiliantur, ex vino albo tenui potatæ, cum his, quæ vrinam cient*; ita vt, ad emendandam harum frigiditatem, exhibeat in vino, & admisceat diuretica, quæ calida sunt. Exhibet autem Galenus harum substantiam, cum melle, non vt facit Auicenna, in intemperie frigida, sed in calida, si adsint humiditates superfluæ, & quidem ad abstergendũ, non ad temperandam frigiditatem; vnde dicebat. *Iuuare etiam viscus talium olerum substantia potest, etiamsi citra serosorum, aut aliorum humorum irritationem intemperies fiat per se, prout cum humiditatis cuiuscunque complexu: ex mistura enim mellis per vrinam educunt*.

Cap. XIX. Reddens rationem, cur vinum dulce hepati sit noxium, inquit, hoc inde fieri, quoniam hepar dulcedine, qua sui natura valde delectatur, allectum, attrahit vinum, antequam ab eo pars crassior sit separata; quæ ad ipsum hepar attracta, cum inueniat vias angustas, facile illas obturat, & obstruit. At non omne vinum dulce est crassum; atque multis etiam vtimur cibis, vino crassioribus, à quibus tamen non ita facile obstruitur iecur, prout contingit assumpto vino dulciori. Quare, altera præter vini crassitiẽ, quærenda erit causa, scil. quod hepar, dum à dulcedine allicitur, qua summopere delectatur, epoto vino dulci, non tantùm vinum, sed etiam cæteros cibos vino permistos citius attrahit, quam in ventriculo concocti sint; vnde crudiusculi, etiam molynsin, idest inquinamentum, quod elixationi, quę est species coctionis, opponitur, passi, quodamodo crassiores permanent; cuius etiam ratione, caro inquinamentum passa, fit durior; vnde obstructioni valde apti redduntur; cũ enim coctionem perfectam non fuerint adepti, quinimo inquinamentum passi sint, non ratione ventriculi, sed ratione potius velocis attractionis, fit vt hepar ab his facile obstruatur.

Cap. XX. Quoad vsum endiuiæ, in affectibus hepatis, patet ex superiori annotatione, quid senserit Galenus, à quo omnia dicta exscripta sunt. Vnum tamen notauero, videlicet, cum Auicenna dicit, Endiuiam cum melle exhibitam educere frigidum humorem ex hepate, mentem Galeni non assecutum esse, vel interpretem lapsum; non enim Galenus dicit, cichoracea humorem frigidum educere; sed si cum intemperie adsit humiditas, quod ea cum melle exhibita, humiditatem per vrinam educunt; quod non alia fit ratione, nisi propter mellis abstersionem.

Cap. XXI. Ex omnibus remedijs quæ hepatis calidæ intemperiei conuenire possunt, nullum opportunius excogitari potest sectione venæ, quæ quantum faciat ad huius visceris refrigerationem, omnes norunt. Attamen hoc singulare præsidium, quod semper nulla re contraindicante, in hac curatione administrandum venit, neglectum, & prætermissum fuit ab Auicen. qui nec etiam docuit, quæ ex calidis intemperiebus sint insanabiles, ne Medicus in curando, vel saltem in prognostico decipiatur; quales sunt magnæ, antiquatæ, & in habitum deductæ, cuiusmodi sunt, quæ in his, qui infectio-

nes cutaneas, & maximè circa faciem, maculas illas rubeas patiuntur.

Repetens, vsum, tùm syluestris, tum hortensis endiuiæ prodesse in hepaticis affectibus, manifestè docet, ex Alex. hoc mutuatus, neutras hepati frigido nocere. At ex Galeno, vt supra notaui, clarè liquet, eas nocere, licet non admodum; cum dicat, eas non magnopere intemperies frigidas lædere. Si autem non magnopere; ergo aliquo pacto; quod etiam ratio comprobat, cum in curatione, indicationes curatiuæ sumantur à contrarijs; morbosæ autem intemperies à sui similibus augeantur, & foueantur.

Compositionem, quam docet, ex succis, ingrediuntur, *succi solatri, alchekengi, & solatri hortensis*. At isti duo succi sunt nimis intensè frigidi, & adstringentes, nullius participes qualitatis, qua vias hepatis, vel abstergere, vel aperire possint; cuius ratione, forsan admiscuit succum fœniculi. Hoc notaui, ne quis imprudenter adhibeat hos duos succos, sine aliorum mistione, ad contemperandum hepar calidum.

Exhibet *lac vaccinum*, & quidem sine *butyro*, ad prohibendam ebullitionem lactis. Attamen, vbi adsit magnum incendium, & magna hepatis calefactio, quoniam tũc lac facile corrumpitur, tutius est abstinere ab omni genere lactis, præterquam acido: hoc enim minus corruptioni est aptum, & magis potest refrigerare; lac autem camelarum, cum sit acre, ob multam seri acrioris admistionem, nec etiam opportunum videtur, licet ab Auicen. proponatur.

De vsu stupefacientium in hoc casu, videtur dubium, an ea damnauerit, vel probauerit Auicenna; cum prius dicat, quandoque necessarium esse eorum vsum, & postea subdat. *Et ego abhorreo illud, cum inuenitur ab eo iter*. At cum hæc admissa fuerint à Græcis, & præcipue à Gal. qui Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, in examine Cyphoidis, hæc laudauit, ad hepaticas affectiones, in intemperie calida, dicens, *Philonis Antidotum semel exhibitum, aliquando tales affectiones sanasse*, credo, ex stupefacientibus aliqua videlicet leuiora conuenire posse, & hęc probasse Auicennam; cum autem subiungit, *Et ego abhorreo illud*, loquens de Philonio, cum *inuenitur iter ab eo*, hoc significare videtur, quod ipse abhorret à Philonio, & cæteris stupefacientibus, *cum inuenitur iter ab eo*, idest, cum curatio sine vsu talium Medicamentorum perfici potest.

Administrat Emplastrum *ex folijs cucurbitæ, acetosæ, & siclæ*, idest *betæ*. Sed quid iuvat admiscere betam, si refrigerare animus est: beta enim habet plurimas partes calidas, ac proinde nitrosa est, detergit, & discutiendi facultate pollet, cuius ratione, additur ab aliquibus, vt refert Auic. in proprio Capite, calida, & sicca in primo gradu. At quis diceret, Galenum oppositum sentire, cum Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 35. recensuerit betam inter ea, quæ certissimè refrigerant. Ad hoc sciendum, betam crudam calidam esse, & earum participem qualitatum, quæ iam recensitæ sunt; si autem coquatur, nitrositatem, vt docet Gal. Lib. 8. de Simpl. Med. Fac. Cap. proprio, exuit, ac proinde etiam maiorem caliditatis partem, quàm habet, vnde cocta, euadit, comparatione crudæ, cibus frigidior; de qua, vt cibo locutus Galenus Lib. illo 6. Epid. recensebat hanc inter cibos certissime refrigerantes;

rantes; cuius ratione, etiam censetur, vt refert Auicenna, qui in hoc vidit difficultatem, sed eam non declarauit, ab aliquibus frigida; ideo beta, vt cibus refrigerans, poterit cocta assumi, ad temperiem hanc curandam; sicuti etiam docet Auicenna exhibendam esse. At quod cruda ad refrigerandum conueniat, nequaquam; ni forsan hanc emplastro addiderit Auic. cum habeat partes illas nitrosas, ad prohibendam obstructionem, quæ in hepate possit à frigidis illis succis induci; quo casu, forsan erat opportunius absinthium, quàm beta. Inter cibos temperiem hepatis calidam inducentes, recenset *lentes*; quoniam legerat apud Hipp. Loc. cit. Lib. 6. Epid. Sect. 5. Tex. 35. *frigidißimi cibi, lentes, milium, cucurbita.* Attamen Gal. has, nec calidas, nec frigidas in Com. asserit, sed edulium vtraque temperie mistum, aut potius à medio ad calidius declinans esse affirmat. At pro Hipp. sententia, notandum, eo loco Hipp. per *frigidissimos cibos*, intelligere, qui minimum nutriunt, & minimum sanguinis generant; prout è cōtrario, intelligeret calides eos, qui cum multum sanguinis generent, plurimum nutriunt.

Iubet abstinendum esse ab *ouis induratis*. At Alex. inquit, abstinendum esse ab ouis, & præcipue induratis; & forsan non immeritò; quoniam oua etiam sorbilia, cum ea, quæ facile concoquuntur, facile etiam corrumpantur, facillimè ab exuperāti hepatis caliditate corruptionem pati apta sunt; indurata autem vitanda, tum ob difficultatem coctionis; tum quia in hepate calidiori magis assantur, ac proinde intemperiem fouere, & augere possunt. Quare, oua omnia suspecta habeo, præcipue autem ad duritiem cocta, ab hisque abstinendum censeo.

Cap. XXII. Ad tollendam hepatis intemperiem frigidiorem, *syrup. acetosum, de melle,* qui nil aliud est, quam oxymel ipsum administrat. At oxymel refrigerat, vt patet ex eius compositione; nam cum constet aqua, aceto, & melle; aqua autem sit simpliciter frigida, acetum vero sit frigidius melle calido; vnde Gal. Lib. 4. de Simplici Med. Cap. 12. dicebat. *Multis enim numeris acetum plus ab ijs, quæ moderate sunt calida ad frigiditatem recessit, quam mel ad caliditatem,* cui dubium, quod oxymel sit frigidum? Hoc idem persuadet Galeni sententia Lib. 8. Meth. Cap. 4. quo loco habet, *oxymel solum non accendere febrem*. Hinc Alex. reprehendit Antiquos, & Gal. qui in terțiana notha vtebātur oxymelite, dicens, se vidisse plurimos, ex vsu oxymelitis ad hydropem deductos. Si autem ea est oxymelitis qualitas, conuenire nequaquam videtur in curatione intemperiei frigidæ iecoris.

Lac camelarum fœtarum superius exhibebat in calida iecoris intemperie; nunc autem in frigida administrat lac *camelarum Arabicarum.* At quæ est huius diuersitatis ratio? Num in Arabia lac calefacit, in alijs locis refrigerat? Sed si hoc admittitur in camelino, cur non in alijs etiam lactis speciebus hoc idem comperitur? Quare inconstans in hoc videtur Auicenna; qui tamen potiori ratione in hoc loco, quàm in superiori, lac camelarum exhibendum docet, & quidem ob earum lactis proprietatem, quem etiam dixi plurimum feri acrioris habere, atque adeo calefacere posse, præter vim soluendi ventrem, in quam rem præcipuè eo vtitur Auicenna; cum tamen hiera, & alia huiusmodi medicamenta ad hoc efficaciora sint, quàm lac camelarum

melarum Arabicarum; quam euacuationem tamen moneo omnino alterationi ad calidum præmittendam esse; quoniam in hac intemperie, imminuta coctione, solent abundare plurimæ cruditates, & copiosa pituita, quæ ante vsum alterantium medicamentorum prius euacuanda sunt.

Cum inquit. *Et quandoque ponitur in cibis endiuia, & propriè illa quæ est vehementis amaritudinis.* Vel hanc laudat, existimans nequaquam lædere hepar frigidum; in quo decipitur, vt superius notatum est; vel hanc probat exhibendam esse potius ad patientis delitias, & ideo eligit amariorem, tanquam minus noxiam ad intemperiei frigidæ curationem.

Cum improbat *milium vehementer decoctum*, alludit ad Alex. qui hoc probauit, in quo dictum quidem Auicennę probatur, cum milium frigidum sit; nec tamen Alex. consilium spernendum est, qui hoc vtitur valde cocto ad exiccandum, cum loquatur de dysenteria vitio hepatis frigidioris, in cuius curatione, ad absumendas illas humiditates superfluas, vtitur milio optimè cocto.

Imitatus autem Alex. concedit *castaneas*; quę tamen cum sint crassi nutrimenti, & difficulter cõficiantur, possunt refrigerare, & proinde plurimum flatuosę sunt, non videntur conuenire. Alex. autem alia mente, quam existimauit Auic. adhibuit; nam has in dysenteria probat, ad demulcendas malas illas humiditates.

Suppresso Alex. nomine, improbat eius sententiam, quod in hoc casu non conueniant Amygdalę, & pistacia; nec tamē rationem vllam dictorum proponit. At quàm sit vana hæc Alex. sententia, alias scripsi.

Cap. XXIII. In hoc Cap. Auicenna vniuersales huius curationis canones tradens, ad particularia, pro more, non descendit. Vnde, ad ea quæ in hoc capite desiderantur, hoc notauero, quod antequam Medicus ad alterandũ iecur accedat, materia genita vitio huius intemperiei, prius euacuetur; quæ quoniam est terrestris, & melancholica, lenita aluo cassia, quæ & humectat, & retorridos humores euacuare potest, concoquatur accommodatis potionibus, adhibita potissimum fumaria; postea conuenienti pharmaco educatur. Expurgato corpore, alteretur iecur, primò cibis humectantibus quidem, sed nec valde frigidis, nec valde calidis; quoniam curamus intemperiem simplicem; atque adeo, si exhibeatur ptisana, illi admisceantur aromata; si lactuca, addatur cinnamomum; prout etiam si pisces exhibeantur. Ex fructibus, conueniunt temperati, vt poma dulcia, uvæ dulciores, passulæ, & similia. Vinum sit dulce, & pariter omnia dulcia; quoniam hæc amica sunt hepati. Ex quibus, vt dicebat Auic. Cap. 20. *impinguatur, & magnificatur, & confortatur iecur*, conueniens; quæ tamen non sint crassæ, vel viscidæ substantiæ, obstructionum metu. Saccharum verò borraginatum, vt medicamentum, poterit humectare; exterius vero, sufficiet ad humectandum, oleum mastichinum; cæteræ quippe pinguedines, & olea humectantia nimis laxarent, ac proinde robur hepatis dissoluerent. Si tamen hæc summa necessitate vrgente, in vsum veniant, his admisceantur, quæ robur hepatis conseruare possunt.

Cap. XXIV. Quemadmodum in superiorum intemperierum curatione, sem-

semper pręmittenda est euacuatio alterationi; ita in hac, non est prętermittenda, per hieram facta; vtpote quæ, cum euacuatione alteratione, & exsiccatione, necnon corroboratione visceris coniunctā habet; huiusq; vsus sępe repetitus poterit huic intemperiei abundè satisfacere. Et quoniam, vt ait Gal. Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, in examine 16. Medicamenti Asclepiadis, humidæ affectiones huius visceris solent dissolutum, & imbecillum ipsum reddere, eadem propemodum ratione, qua articuli, ex nimia humiditate laxantur, siue cum frigiditate, siue cum caliditate, siue absque his, laxitas ipsius sola constiterit, omninò adstringentibus pharmacis in hoc casu egent patientes; hac tamen cautione, vt exhibeantur, admistis calefacientibus, si frigida qualitas prædominetur; aut refrigerantibus, si calida, aut temperatis, si neutra adsit.

Cum ait, *vt minoret potationem aquæ*. Si per hæc, cōcedat potum aquæ, non tamen copiosæ, cum aqua semper humectet, nec potus hic conueniet. Si autem intelligat, quod vitent aquæ potum, sensus est verior, & vtilior; nam vina antiqua, & generosa ad hoc sunt accommodata, non aqua.

Cap. XXV. Dixerat superius Cap. 20, quod Pistacia, propter suam *aromaticitatem, & stypticitatem, & confortationem, & mundificationem viarum cibi, valde iuvatiua sunt in hepaticis affectibus*. Verum sunt vehementis calefactionis; si autem huiusmodi, quare in cura intemperiei calidæ, & siccæ, nunc ea concedit? At forsan excusandus; quia parum, & rarò exhibet, & quia roborant, & depurant hepar, licet ratione propriæ tempeiiei, nequaquam conueniant.

Cap. XXVI. Exhibet *serum*, vna cum *saccaro*, ad curandam intemperiem calidam, & humidam. Sed cui dubium, quod serum humectare (quod vitandum est in hoc casu) valde possit. Hanc difficultatem vidit Auic. concedit hoc tamen tanquam attenuans medicamentum. At nec ratio hæc satisfacit; primò, quia non est in sero ista attenuandi vis. Præterea, intemperies istæ non indicant attenuationem. Quare, cogitaui ego Textum esse corruptum, & loco eorum verborum *quæ subtilient*, legendum esse, *quæ euacuent*; itaut Auicen. concedat serum cum saccaro, ad expurgandum hepar; quod optimè præstare poterit, ob propriam, & quam recipit à saccaro, abstersionē; contrà tamen adsunt medicamenta, quæ euacuare, sine humectatione, vel etiam cum exiccatione possint; qualia sunt tamarindi, myrobolani, & similia. Quare, tutius est abstinere à sero, cum alia vtiliora, & cuiuslibet vitij expertia nobis subministrentur.

Cap. XXVII. *Dialacca. Diacurcuma, Hemorusia, Athanasia*, & reliquæ confectiones, quas proponit, omnes quidem sunt calidæ; attamen, & siccę simul; quare nisi temperentur humectantibus, parum vtile, erunt; quoniam licet alteram qualitatum remittere, alteram tamen augere poterunt. Quare vel admisceantur medicamentis humectantibus, vel in vsum reuocentur aliqua medicamenta simplicia, quę simul humectare, & calefacere queant; qualia sunt, plures resinę, & pręcipue Terebinthina, & laricina. Vinum etiam illud tenue, & generosum, quod exhibetur, calefaciendo exsiccare potest. Quare ego in hoc casu, vinum antiquum quidem, sed ad dulcedinem ver-

gens, ex quo humectationem sperare possimus, administrarem.

Cap. XXVIII. *Administra*, inquit, *emplastra resolutiua exterius*, idest ea emplastra, quæ conueniunt ad resolutionem apostematum hepatis; quæ omnia sunt calefacientia, & siccantia; quia in declinatione apostematum, ad resolutionem, huiusmodi applicanda sunt; atque adeo, in curatione intemperiei frigidæ, & humidæ conueniunt; non autem per *resolutiua emplastra*, ea, quæ laxare, & dissoluere possunt, hic sunt intelligenda; quoniam hæc hepati noxia.

Cap. XXXI. Casum *paruitatis hepatis*, exscripsit à Galen. ex Lib. Art. Med. cuius signa, & coniecturæ satis clarè explicata sunt. At cum *in regimine ipsorum*, monet *administrandas esse medicinas solutiuas*, deflectit à recta medēdi Methodo; nam solutiua non conueniunt, nisi in morbosis affectibus, qui per euacuationem tolli possunt; cum paruitas hac euacuatione tolli nequeat; ad hoc enim sola victus ratio recta, ad preseruationem à læsionibus sufficere potest; pharmaca autem non conueniunt, nisi materia morbosa accedente; Verum tunc non est casus paruitatis hepatis.

Fen Decimaquarta Tract. II. Cap. I.

Cap. I. Notat ex Gal. hepaticos eos vocari, qui huius visceris debilitatem patiuntur, citra tumorem, vel manifestum affectum in ipso. Attamen, nullam rationem assignans, nec contra Galen. sententiam quid rationi consonum deducens, eam impugnat, existimans, & docēs, hepaticos eos omnes vocari, qui debilitatem visceris huius patiuntur, siue hęc debilitas sit per primariam eius affectionem, siue per consensum; & siue ex pura intemperie, siue ex eadem cum materia, siue ex tumore aliquo in ipso viscere oborto. At cui dubium, quod ex inflammatione, vel erysipelate, vel alio cuiuslibet speciei tumore, hepar lædatur; non tamen debilitatem pati verè posse dicatur: debilitas enim huius visceris, indicat dispositionē firmam, & diuturnam, ob quam læditur in operationibus suis; at tumores non sunt huius conditionis, nisi ad tempus. Quare, rationi consentanea magis erit sententia Gal. & Antiquorum Græcorum, quàm Auic. licet hæc etiam propugnari possit; cum hæc quæstio sit de nominibus, quę plurimum sunt ad placitum.

Cap. II. Plurimos hepaticos monet pati *quendam leuem dolorem, extensum vsque ad costas*. Iure autem dixit, *plurimos*; quoniam censens, ex omni hepatis mala dispositione homines posse hepaticos vocari, inter hos plurimi iecoris affectus includuntur, quos huiusmodi sequitur dolor; qui tamen non cōtingit in propriè vocatis, iuxtà Galeni, & aliorum Græcorum sententiam, hepaticis; nisi pręter hepaticam, alia mala dispositio accedat.

Proponens ordinem in lęsionibus virtutis concoctiuę hepatis, ait. *Et deterior specierum est, vt non digeratur; deinde, vt digeratur parum, deinde, ut digeratur malè*. At Gal. longe aliter sentiens, contrarium ordinem proponit, dicens, Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, Cap. prop. *Peior enim est transmutatio in peregrinam qualitatem, iuxta cruditatem facta; moderatior vero ea est,*

est, in qua alimentum suam naturam diutissimè seruat, nulla alteratione, ex particula, quæ ad concoquendum ipsum à natura destinata est, suscepta; atque, & tertia præter has, species est frustratæ concoctionis, cum semicoctum sit alimentum. Hęc Gal. Sed forsan vtrobique sunt rationes probabiles: nam respectu excrementorum, Gal. sententia magis veritati consona est; rèspectu autem læsionis visceris, rationi magis accedit Auicennę dictum.

Subiungit Auic. *Dixerunt quidam, duas primas sequitur fluxus ventris diuersarum specierum, & tertiam, fluxus ventris, sicut sanguis grossus.* Quibus verbis nihil colligit, & insectatur Galenum Auic. quem, eodem non nominato, nec vlla contra eum adducta ratione, reprehendit. Gal. autem loc. cit. Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, verba faciens de hepaticis ab intemperie frigida, dicebat. *Et plures, ac ægre iudicabiles colores, circa eiusmodi affectionem, in egestionibus apparent.* Superius autem dixerat, de hac eadem locutus. *Aucta autem affectione, nihil amplius tale excernitur; sed multiformes aliæ qualitates, & compages, velut à ventre ex cruditate laborante*; scilic. duas primas lęsiones virtutis concoctiuę, vel cum nō concoquit, vel diminutè concoquit, negat Auic. subsequi; hę enim duę lęsiones, ab hepatis frigida intemperie producuntur. Gal. etiam Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. docebat, sanguinem melancholicum, qui omnino est crassus, excerni, ob imbecillitatem iecoris ex intemperie calida, à qua quinetiam fit; quę tertia species ab Auic. eius concoctionis, in qua male digeritur. Hę Galeni sententię, nulla contraria adducta ratione, ab Auicenna arguuntur, tanquam erroneę; at immeritò; quoniam tamen Galeni dictis èxperientia ipsa adstipulatur; tum quoniam Auicenna, mentem Galeni, vel non animaduertit; vel non legit: Galenus enim loco citato dicebat, in imbecillitate iecoris, ex intemperie frigida, breui succedere putrefactionem in viscere ipso, à qua iure diuersa excrementorum genera excernuntur; atque adeo dicebat, *aucta affectione, multiformes excrementorum qualitates, & compages apparere*; quod & docebat Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 6. dicens. *Neque vero à memoria vestra excidit, cum sæpe videritis quosdam, in primis quidem saniem, & cruenta quædam, dein tractu temporis, crassum, ac melancholicum sanguinem; postremo atram quoque bilem, & quidem sinceram deijcere.* Horum verò causam referens, illorum quidem, à principio, sine febre; horum vero, subsequente febre, dicebat. *Accidit autem interdum, vt hic affectus, ob frigidam intemperiem, citra febrem incipiat, quando tenuis sanguinis sanies excernitur; deinde tractu temporis, corrupto in viscere sanguine, febris superuenire solet.* Ex quibus apparet, Galenum censuisse, in hepaticis ex frigida intemperie, à principio, vnicam excrementorum formam adesse; durante autem, & affectione aucta, ex superueniente, tum febre, tum calore in viscere, diuersarum qualitatum excrementa apparere. Quo autem ad tertiam speciem malę coctionis, sciendum est, verè sanguinem crassum in ea excerni, qui niger quidem est, quia melancholicus; sed qui admista atra bile, etiam splendens erit; vt habet Galenus Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. At non solum in hac intemperie calida, sanguis crassus, niger, & aliquando splendens excernitur; sed etiam alia excrementorum diuersa genera; vt habet idem loco citato Lib. 8. de Comp. Med. sec.

Loca,

Loca, vbi hæc habet. *Calida igitur intemperie circa viscus existente, colliquationes fiunt, primum humorum, deinde etiam carnis ipsius hepatis, & euacuatur per ventrem bilis crassa, & graueolens, & abundè colorata, quemadmodum in pestilentibus febribus.* Ex quibus patet, non vnicam formam excrementorum, in hac intemperie, proposuisse Galenum, ac proinde immeritò ab Auicenna damnatum fuisse.

Cap. III. *Vbi hepatis expulsiua virtus sit debilitata,* monet *calefaciendos esse renes, & viscera.* At vera curatio hæc est, scil. quod cum omnis imbecillitas ex insigni prouenit intẽperie, qualis est hepatis, tollatur hęc, nec renes (licet ex nimia caliditate facilius attrahant à venis) sunt, præter propriam indicationem calefaciendi, prout nec viscera, nisi sint refrigerata, calefacere oportet; horum quippe indicatio desumitur à propria intemperie, non à debilitate hepatis.

Cap. IV. Notandum, quod Auicenna, per *hepatis oppilationes*, non intelligit obstructiones propriè dictas, quæ solum à materia crassa obstruente, vt omnes Scriptores explicant, inducuntur; sed, *oppilationis* nomine, agit de quacunque læsione, quæ in cauitate venarum possit contingere, siue facta sit per adstrictionem, siue per compressionem, siue per materiam obstruentem; atque ideo alias causas, ab eis, quæ à cæteris Auctoribus propositæ sunt, sub capite obstructionum, diuersas addidit, & proposuit.

Cum de veris obstructionibus locutus, inquit. *Et quando multiplicatur, & prolongatur tempus in hepate, peruenit ad putrefactiones, facientes accidere febres;* declarandũ fuit ab eo, ad mentem Galeni, ex qua intemperie facilius huiusmodi putrefactio sequatur. Dicebat enim ille Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, de obstructionibus hepatis verba faciens. *Obturatio, & oppilatio vitiosorum humorum aliquando contingunt, ad quas putrefactio consequitur breui in frigidis intemperiebus; in calidis vero non cito, sed temporis progressu accedens.*

Cap. V. Primum illud signum ab Auicenna propositum, videlicet; quod hepar obstructum non attrahat chylum, quoniam *non inuenit meatum*, nequaquam est admittendum; quoniam in obstructionibus hepatis nunquam fit perfecta meatuum occlusio, qua præsente, non posset sane iecur ad se quidquam attrahere; quinimò huiusmodi dispositio induceret ægritudinem breuem, cum discrimine vitæ; at obstructio hepatis est morbus longus; neque vllus Scriptorum asserit, obstructionem iecoris esse morbum insanabilem, & acutum; atque adeo, neque vllus Auctor proposuit inter signa obstructi iecoris, simile indicium; quoniam omnes, præter Auicennam, opinantur, in obstructione hepatis, chylum ad hepar attrahi, indeque alteratum, & concoctum ad reliquas corporis partes transmitti; licet in his obstructionibus, non ita liberè attrahat iecur, nec facile attracta materia permeet, neque etiam perfecte concoquatur. Si autem contingat quandoque, in obstructionibus hepatis, egestio tenuis chylosa, & copiosa, non prohibet, quo minus semper aliqua portio chyli, puta tenuior ad hepar attrahatur; atque tunc, non vitio perfectarum obstructionum hepatis hoc fit, sed ratione alterius causæ, ab Auicenna propositæ, videlicet, quia cum obstructione hepatis, eiusdem vis attractrix sit labefactata. Quare

censeo

censeo suppositum illud, quod scil. in hepatis obstructione adsit perfecta viarum obturatio, non esse admittendum, & potissimum, cum nullus Scriptorum hoc inter signa obstructionum hepatis recensuerit; sed solùm ex grauitate, extensione, & dolore obtuso, cum absentia febris, indicare iecoris obstructiones.

Oppilationem habens, inquit Auicenna, *est pauci sanguinis, & corrupti coloris.* Quæ sententia, vt vera, debet intelligi de antiquatis, & contumacibus obstructionibus; in principio enim, cum leues sunt, nihil horum apparet.

Cap. VI. *Et quando antiquatur oppilatio, indiget phlebotomia basilicæ, & solutiuo*, ait Auicenna. At indicatio sectionis venæ non desumitur à tempore, sed à morbo. Quare, si obstructiones sint graues, siue recentes, siue antiquæ, semper indigent prædictis remedijs; nec differenda hæc sunt, vt faciebant Methodici in vlceribus curandis, quousque diuturnitate temporis appareret contumacia morbi; sed quamprimum indicatio datur, administranda sunt.

Lac camelarum exhibet in obstructionibus hepatis; quoniam ob suam nitrositatem, conuenire potest. Cætera autem lactis genera omnia improbanda sunt; quoniam ob suam dulcedinem, potius augere, quam aperire obstructiones apta sunt.

Inter medicamenta calidiora, & magis aperientia, enumerat *ficus infusas in oleo amygdalino*. Per oleum amygdalinum, credo ipsum intelligere oleum ex amygdalis amaris expressum, non ex dulcibus; quoniam hic scopus est aperiendi, & detergendi, in quibus præpollent amaræ; attamen ficus infusæ in tali oleo, non erunt inter validiora calida medicamenta recensenda; quoniam hoc oleum non multum, ob pinguedinem, ad hoc est efficax. Caricæ autem ex se nihil iuvant, vel officiunt; nisi forsan ratione dulcedinis, aliquam inferant læsionem. Quare, huic Auicennæ sententiæ præferatur Galeni ea, qua Lib. 2. de Alim. Fac. Cap. de ficubus, docet, quomodo caricæ in obstructionibus hepatis iuvare possint, & qualis debeat esse earum vsus, dicens: *Obstructis autem illis, aut scirrho affectis, ipsæ ex se nihil commodant, nec officiunt; sed medicamentis incidentibus, attenuantibus, & abstergentibus mistæ non mediocriter iuvant; proinde nonnulli Medicorum, in dictis lienis, ac hepatis affectibus, exhibent ipsas longe antè cibum, cum thymo, aut pipere, aut zingibere, pulegio, satureia, calamintha, origano, aut hysopo.* Hæc Galenus, à quo forsan hæc exscripsit Auicenna; sed vitio interpretis, aliud forte apud eum legitur.

Inter confectiones calidas, facientes ad hepatis obstructiones, enumerat *Philonium*. Sed cum in Philonio, medicamentis calidioribus admista sint stupefacientia, metuenda magis fuerit constipatio, quàm speranda reseratio.

Recensens cibos oportunos in hepatis obstructione, illis accenset *fabas*; quæ quidem licet ratione abstersionis iuvare possint; attamen cum plurimum flatuosæ existant, vel longissima quinetiam coctione, videntur suspectæ; idque potissimum cum in hepatis obstructione sæpius flatus accedant, qui tensione sua dolorem illum extensivum inducunt.

Cap.

Cap. VII. Dolorem fieri in hepate à flatu, ex duplici causa docet, videlicet *aut propter flatuum multitudinem*; *aut propter oppilationem in iecore præsentem*. At tertia addenda fuit, videlicet crassities flatuum. Vbi enim vapor sit crassus, difficilius exhalat, & difficilius discutitur.

Cum inquit. *Et non est grauitas plurima*, intelligantur hæc verba negatiuè omninò; nam nulla est grauitas, ratione flatus; si autem aliqua adest, fit ratione materiæ, à qua eleuantur flatus.

Quid intelligat per *compressionem*, ex qua monet *flatum resolui, & materiam, vel abscindi, vel consumi*, difficile est iudicare; cum sola tactu facta cõpressio, ad hoc non sit apta. Quare, per *compressionem*, forsan intelligenda est constrictio per fascias facta, ex qua, roborato calore innato, quoniam, ob hãc exterius non exhalans, intrà cohibetur, ac proinde facilius in materiam peccantem agit, sequitur & discussio flatuum, & coctio materiæ peccantis. Quæ sententia forsan exscripta est à Galeno Lib. 12. Meth. Cap. 8. quo loco, narrauit Gal. historiam eius, qui in coli dolore se fascia constringens, & solo vsus allio, cum pane, dolore liberatus est, dicebat. *Vidimus namque ex agrestibus operis quempiam, qui vbi dolorem coli sensit, protinus se cinxit, cum cingi ante non soleret. Comedit autem cum pane allium, nullum dimittens consuetum opus, nec toto die quicquam bibit; sed vespere meracius; ab his, & tota nocte dormiuit, & mane ab omni dolore liber euasit.*

Cap. VIII. *Cura flatuum hepar infestantium*, inquit Auicenna, *est proxima curæ oppilationum*. Sed hæc generatim dicta parum vtilia esse possunt; quoniam; cum oppilationes possint esse cum intemperie, vel calida, vel frigida; atque enumerata sint plurima medicamenta frigida, ad calidam intemperiem, & plurima calida, ad intemperiem frigidam, hinc liquet, non omnem oppilationum curationem, sed eam tantum, quæ conuenit intemperiei frigidæ, conuenire; atque adeo satis confusè dictum est ab Auicenna, curam flatuum esse proximam curæ oppilationum.

Balneum laudat, *in ieiunio* administratum. At nisi per *balneum*, intelligamus naturalia balnea calida, & discutientia, vel aerem balnei, ex quo multa è corpore discutiuntur, parum aptè hoc scriptum fuerit de balneo aquæ dulcis; cum hoc ad refrigerandum, & humectandum vtile sit.

Quando monet, *paucitatem potus aquæ frigidæ conferre ad flatuum discussionem*, non propterea vllo pacto eam admittit; quoniam ab hac foueretur, non discuteretur flatus causa, quam omnino prohibere conatur.

Cap. IX. Per ea verba. *Hepati quandoque accidit dolor, aut ex materia complexionis diuersæ in parte panniculi sui, aut ex ventositate extensiua, aut ex oppilationibus, aut ex apostematibus calidis, aut duris*, videtur sentire Auicenna, quod dolor non fiat, nisi in hepatis tunica, non autem in propria eius substantia; & quidem potissimùm ex eius inæquali intemperie. At si hoc membrum sensu pollet, vt supra declarauimus, ex Galeni Lib. 4. de Vsu Partium Cap. 12. licet non exquisitum habeat sensum, cur ex propria, & inæquali intemperie dolere nõ poterit? potissimum quidem, cum in eo facilius, quàm in panniculo hęc sæpe fiat, & sentiatur intemperies.

Ex Gal. Lib. 7. Aph. 53. exscribit, vehementem in iecore dolorem ex duplici

duplici tantum fieri causa, scilicet, vel *propter flatuosum spiritum*; *vel propter inflammationem*. At declarandum etiam fuit, ex eodem loco, inflammationem in duplici casu tantum, efficere hanc doloris vehementiam, scilicet, vel cum est maxima, vel cum est suppurans.

Cap. XI. Rectissimè ab Auicenna actum est in principio Cap. de curatione doloris, ablegans lectores ad propria capita, in quibus tractantur enarratorum affectuum curationes. Verum, in recensendis postea medicamentis particularibus, ad sedandum hepatis dolorem, quorum multa ab eo enumerantur, ita confusus fuit, vt nusquam magis; cum enim ab omni intemperie inæquali posit excitari dolor, à pluribusque alijs causis, ea solum recenset, quæ ad intemperiem frigidam, & affectus frigidos faciunt. Quare, hæc non vsurpet Medicus, tanquam generalia, ad omnes hepatis dolores vtilia.

Fen Decimaquarta Tract. III. Cap. I.

Cap. I. O*Mne Apostema in hepate criticum, si est ex latere gibboso*, inquit Auicenna, *est eius crisis cum sudore, aut prouocatione, aut fluxu sanguinis*. In qua sententia illa verba, aut ex prouocatione, exponenda sunt, per vrinæ fluxum, alias Auicenna hanc crisis speciem, quæ propria est parti gibbæ hepatis, omisisset.

Apostemata in gibba hepatis parte, censet Auicenna deteriora esse his, quę fiunt in concaua. At contrà vrget ratio manifesta; quia pars caua est nobilior gibba; nam sanguinis generatio fit in parte sima, vt habet Galen. Lib. 4. de Vsu Partium, & vbique passim. Cum ergo sanguis generetur in hac parte; ergo erit nobilior, atque adeo affectiones huius erunt deteriores; quia ex his eadem generatio impeditur. Sed quis pro Auicenna forsan diceret, quod tumores in gibba parte sint deteriores, non ratione læsę operationis, sed ratione symptomatum, quę videntur deteriora succedere ex tumoribus in gibba parte, cuius ratione forsan etiam dicebat Galenus Lib. 6. Epid. Sect. 2. Com. 14. quod *iecoris ipsius conuexum concauo longe periculosius est*; nam hic non lęsiones facultatum hepatis, sed superuenientia symptomata spectabat.

Censet Auicenna, *omne hepatis apostema, tum calidum, tum frigidum, propter oppilationem, ab eis inductam, non relinquere corpori, nisi sanguinem aquosum*. At hoc licet posit admitti in frigidis tumoribus; non tamen idem pariter succedit in calidis; quoniam calida apostemata non generant, immo adurunt, & absumunt aquosum sanguinem.

Cap. II. *Et est cum eo attractio furculæ ad inferiora, in pluribus horis, non semper*, inquit Auic. Quibus videtur docere, quod detractio iuguli non sit continua in apostematibus hepatis; sed tantum quibusdam horis. At Galenus aliter hanc rem exposuit Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 7. dicens, *quod detractio iuguli non consequitur omnes iecoris inflammationes; sed eas tantum, quæ insignes sunt*.

Inquit Auicenna. *In inflammationibus hepatis non sentiri pulsationem; quia arteriæ*

arteriæ sunt dispertitæ in panniculo eius. Ex quibus videtur negare arteriarum implantationem in ipso, contra quæ docet Galenus Lib. 4. de Vsu Part. quo loco Cap. 13. de vasis in hepate insertis, locutus, dicebat. *Quemadmodum certe & arteria, vt caloris natiui symmetriã ipsi conseruet, sicut in Lib. de vtilitate pulsuum demonstratum est.* Cap. autem 14. dicebat. *Ob hanc ipsam causam, & arteriam in hepate sitã oportet*: non enim cõstituit eas in medio superiorũ, & inferiorũ venarũ, vt ambas pariter, euentilãdo refrigeret; sed his solis, quæ in simis sunt, eas subiecit. Ex quibus constat, in hepate, & præcipuè in parte eius sima insertas esse arterias. At nec ratio Auic. experientiæ respondet; si enim non fieret pulsatio in hepate, quia arteriæ non in eo sint dispertitæ, sed in panniculo; ergo, vel inflammato eo primariò; vel ab hepate ei communicata inflammatione, pulsatio deberet percipi; quod tamen nequaquam experientia testatur; cum nullomodo huiusce generis inflammationes sequatur pulsatio. Quapropter, eius rei causa non assignanda est arteriarum priuatio, sed earundem tenuitas in hepate; adeo enim in eodem exiguæ, & paruæ sunt, vt sint ineptæ, inflammato hepate, pulsationem excitare, vel saltem adeo leuem, vt ab hepate, quod obtusi est sensus, non percipiatur. Quod autem hepar obtusè sentiat, ex superioribus citatis locis habetur; sicuti, & quod paruæ sint arteriæ, ex eodem Cap. 14. dicebat enim ibi Gal. *Iure autem, & paruæ admodum fuerunt, vt quæ refrigerationem solum simis visceris suppeditarent, non necesse habentes, neque sanguinem assumere, nondum enim deposuit superflua; neque vitalem spiritum multum præbere hepati, vt quibusdam alijs organis, neque nutrire carnem eius subtili, & vaporoso alimento.*

Cum dixerit Auicenna, *quod costæ aliquando communicant doloribus hepatis, & eius apostematibus*, id tamen non expressit; licet id docuerit Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 6. his verbis. *Porro vtrique parti cum dolor adest, nothæ costæ nonnunquam consentiunt; quod eis commune est, non omnibus; propterea quod iecur per membranas non omnibus coniungitur*. Ex quibus liquet, non ratione differentis inflammationis; sed ratione connexionis, quandoque in his inflammationibus trahi in consensum costas mendosas.

Apostemata simæ partis, inquit Auicenna, *communicantur venis mesaraicis vt plurimum*. At Galenus, non plurimùm, sed necessariò, & semper indicauit. Vnde Lib. 13. Meth. Cap. 14. dicebat. *Cauo autem iocinoris phlegmone obsesso, protinus etiam venas, quæ in mesenterio sunt, vnà phlegmone laborare est necesse, quando ex ea, quæ ad portas pertinet, omnes sint ortæ, protinus etiam quæcunque osculis earum incidunt, vim suam ostendere.*

Recensens causas, propter quas singultus hepatis inflammationi succedit, post quam proposuit causam, communitatem scil. nerui, de quo scribit Hippocr. Lib. 2. Epid. Sect. 4. subiungit, Galenum censuisse, quod *talis singultus fiat ex effusione humoris biliosi, & acuti ab hepate ad ventriculum*; quibus verbis videtur sentire, quod Galen. in prima opinione constans non fuerit. At Gal. non solum Lib. 7. Aph. Com. 17. à quo loco hæc mutuatus est Auic. huius fuit sententiæ, necdum illam impugnans; sed etiam eandem repetit, & tuetur Lib. 5. Aph. Com. 58.

Cap. III. Exemplum illud de *cauda muris in apostematibus musculorum abdominis*,

nis, est satis mancum, cum in his, licet fiat inflammatio iuxtà rectitudinem venarum, possit etiam esse tumor, vel rotundus, prout etiam in alijs musculis cæterorum membrorum; vel oblongus, seruans vndique eandem magnitudinem.

Cap. IV. Asserit, *apostemata hepatis calida concomitari febrem acutam*. At Gal. Lib. 2. Prorrh. Com. 21. oppositum docet, vbi habet, quod non semper in iecoris inflammatione est febris acuta; quoniam non semper magna est inflammatio, cuius magnitudinem febris acuta sequitur. Sed neque etiam in hepatis inflammatione semper adest febris magnitudo, ex Gal. vt patet Lib. 11. Meth. Cap. 16. vbi bis de febre inflammationem iecoris comitante locutus, ait. *Si exigua febris sit.* Quare, cum non semper in hoc affectu adsit febris, vel acuta, vel magna, Auicennæ regula non erit obseruanda; nisi forsan eius sententia intelligatur tantum de magnis hepatis inflammationibus.

Signa illa. *Et accidit frigus extremitatum, & nigredo linguæ, & syncope, &c.* non sunt signa accidentia, sed praua symptomata, indicantia morbum cacoethen, & lethalem.

Cap. V. Tradens signa erysipelatis, & proponens conditionem febris, inquit. *Et est paroxysmus vehementis febris tertianæ.* At longe melius dixisset, ex Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 6. quod sint in hoc affectu ardentissimæ febres, quales sequuntur potissimum iecoris, & ventriculi erysipelata.

Cap. VI. *Proportionantur signa inflammationis ad signa erysipelatis*, inquit Auic. Sed, quæ est proportio? nisi quod minora sunt symptomata in inflammatione, quàm in erysipelate.

Cap. VII. Inter signa apostematis duri, proponit hoc, quod *sentitur cum eis in stomacho similitudo spasmi*. At spasmus in ventriculo nil aliud est, quam singultus. Quis autem affectus est similis singultui in ventriculo? Quare potius, per hanc *similitudinem spasmi*, intelligamus quandam, vel compressionem, vel grauitatem ventriculi à iecore, quàm quid aliud, quod verè spasmo simile sit.

Cap. VIII. Titulo de Apostematibus phlegmaticis, Auicenna tradere vult signa œdematum hepatis; inter quæ præcipuum illud erit, scilicet *vehementia lenitatis*, idest magna mollities pulsus, cui additur & hoc, quod hic tumor *non sentitur cum duritie*, cui succedit, *& inflatio cutis, & color plumbeus, ac cætera signa consequentia tumores iecoris frigidos*. At videtur dubium, an iecur posit pati œdema. Ratio dubij est; quoniam Galenus, nec Lib. 5. de Loc. Aff. nec Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, in quibus accuratissimè iecoris affectus perscrutatus est, vsquam meminit iecoris œdematis, nec cæteri Græci ab eo, vel ab antiquioribus Medicis exscribentes, de hoc vsquam loquuti sunt. Quare videtur rationi consentaneum, quod non negligentia, sed studio hoc prætermissum sit, videlicet, quia iecur non possit pati œdema. Ratio est; quoniam cum œdema fiat à pituita, pituita autem in iecore conuertatur in sanguinem, non videtur posse à pituita in iecore tumor fieri. Pro hac sententia, habemus etiam claram mentem Galeni, Lib. 4. de Præsag. ex Pulf. Cap. de Pulsibus, qui fiunt iecore affe-

cto; quo loco hæc habet. *Nunquam etiam ex thoracis, vel iecoris tumore fit mollis pulsus, eo quod, nec innascitur his instrumentis œdema pituitosum.* Ex quo loco duo contra Auic. habemus. Primum, quod iecur non patitur œdema pituitosum; secundum quod à iecore affecto non fit mollis pulsus. Sed nec in hoc videtur sibi constans Galenus: nam eodem Lib. inferius, Cap. de Pulsibus, qui fiunt, meningibus affectis, exemplo docet, iecur œdema pati, & ab eodem fieri pulsus molles: locutus enim de mollitie pulsus, hæc dicebat. *Qui cerebri, & pulmonis gratia molles sunt, ita sunt molles, vt nullus alius his; præ cæteris vicinior est ille, qui ex iecore, & liene œdemate affectis.* Quare, hic admittit Galenus, & œdema fieri in hepate, & ab eodem pulsum mollem reddi; quæ duo superiori in loco prorsus fieri posse negauerat. Verum, ad tollendam hanc Galeni contradictionem, eademque opera, ad Auicennæ, qui proprium caput de hepatis œdemate scripsit, defensionem, dicendum est, cum œdema duplex sit, videlicet, exquisitum, dependens à simplici pituita; alterum non exquisitum, dependens à pituita commista cum alia materia, in hepate non potest fieri exquisitum œdema, quod negauit Galenus in 1. loco, ex prædictis rationibus, licet posit fieri non exquisitum, de quo secundo loco forsan locutus est, prout & de eo forsan intellexit Auicenna; quoniam ex pituita, cum alia materia commista, possunt fieri tumores œdematosi, qui tamen diu tales non perdurant; sed in aliud tumoris genus conuertantur. Nec mirum, quod in iecore posit œdema, si non exquisitum, saltem non exquisitum produci: si enim in pericardio copia humoris aquosi, & serosi, propè cor caloris fontem aggregari potest, quid magis prohibet in iecore congeri pituitosum humorem, ex quo patiatur œdema, potissimum, cum prius fuerit refrigeratum.

Cap. IX. Auicenna hoc loco agit de scirrho hepatis, qui vel talis à principio ex se inceperit; vel alijs tumoribus præcedentibus successerit; vel ex causa præcedente originem duxerit; de quo, ad Gal. mentẽ, iuxtà reliquorũ Græcorum, qui ab eo exscripserunt, sententiam agens, docet, hunc incipientem curari posse, nequaquam autem si progressus, & antiquatus sit; quoniam tunc, succedente hydrope, sanatio est impossibilis. Verum, cum oppositum experientia testetur, in hepate scil. quandoque fieri scirrhosos tumores, ac admodum duros, qui perdurantes ad annos, ægrotantes ipsos affligunt, nulla hydropis specie superueniente, & qui nacti opportunum sint Medicum, sanantur quandoque, vt mihi sæpius contigit, qui antiquatos huiusce generis duros tumores, licet cum difficultate, ac longiori tempore, sanaui; tamen dubium videtur, tùm ex Auicennæ; tum ex Galeni sententia. Verum pro huius rei explicatione, sciendum est, scirrhos hosce quandoque generari in propria hepatis substantia, illi scil. qui nisi in principio curentur, postea deducentes ad hydropem ipsos patientes, sanationem non admittunt, de quibus locutus tum Auic. tum Galen. & cæteri Græci, ab eo id mutuati; quandoque autem hi scirrhi non in substantia, sed in membranis iecur ambientibus generantur, vel sola effusa in eas materia, easdemque in tumorem attollente; vel simul cum his affectis, facta etiam eiusdem congestione intra cauitatem membranæ, quæ inibi diuturnitate temporis crassescens,

fescens, duritiem infionem inuehit, illi scil. qui licet inueterascant, non deducunt tamen patientes ad hydropem, nisi vel noua accedat causa; vel Medico male curante; vel ægrotantis praua victus ratione; Hi autem licet cōfirmati, si idoneum nanciscantur Medicum, sanari tamen possunt. De his verò nec Gal. nec Auicenna locuti sunt; cum tamen à Medicis maximè sint obseruandi, tum vt dignoscantur à superioribus; tum vt causas, & eorum essentias, ad desumendas veras, & legitimas curandi indicationes indagare queant; in his enim maior est moles, quàm in illis, & magis circunscriptus apparet tumor; qui tamen in extenuatis magis, quàm in carnosis, facile tactu percipitur; neq; ad hos diuturnitate temporis, vel hydrops, vel alius similis succedit affectus: cum enim pars ignobilior, & quæ tegumenti tantum vice fungitur, sit læsa, non autem substantia ipsa hepatis; ideo ex his tumoribus vis ipsa sanguifica non labefactatur, licet in alijs operationibus vtcunque iecur lædatur; in his enim non omnino purus generatur sanguis, sed vitiosus, qui pro ratione suæ qualitatis, modo hos, modo illos præter naturam affectus inducit; atque adeò, nec hi etiam patientes laudabili vnquam fruuntur valetudine; vel grauitatem dextri hypochondrij, vel simul etiam quandoque, cum ea, iuguli detractionem, vel aliquam spirandi difficultatem. Generantur autem hi tumores, vel à pituita crassa, & viscida eò decumbente; vel à succo melancholico, siue à bilioso, & crasso, eò à iecore deposito, & transmisso; qui humores ibidem diù detenti, longo temporis decursu obdurantur, & scirrhum producunt. Cum autem hi ex diuersa generentur materia, optime, & accuratissimè Medicus, curaturus, inuestigare debet tumoris causas, & materias, ne in calida, nimium calefaciat, vel in frigida nimium refrigeret, noueritque, quantum humectando, & molliendo progredi debet; non enim tanta requiritur humectatio, & mollificatio in materia pituitosa, prout in melancholica, & biliosa. Quare, diligens sit Medicus in inuestigatione, tum affectus, tum causarum, vt integram curandi normam consequatur.

Inter signa apostematis scirrhosi, in propria iecoris substantia delitescētis, proponit *casum appetitus*. At experientia mihi compertum, in pluribus, non tantum non adfuisse appetitus casum, quinimo appetentiam ingentem, nec sine ratione; cum enim hic affectus sit frigidus, ac proinde ad hydropem vergat, communicata ori ventriculi frigiditate, appetitus intenditur; Sed pro Auicenna dicere possumus, illam vocem *quandoque* superius propositam, hoc signum etiam definire, ita vt eius sententia sit hæc: *Et quandoque casus appetitus*. Quod symptoma contingere solet, cum grauiter ab hoc tumore, affecto hepate, languidior redditur vis naturalis, quæ in fonte affecta, qualis est hepar, causa est etiam prostratæ appetitiuæ facultatis ventriculi. Sed & in alio casu potest esse casus appetitus, videlicet, quando hic tumor generatur à bilioso succo, ibidem crassiori facto, & obdurato, vt sæpius contingit in his, quibus iecur valde calefactum, & obstructum est; in his quippe, ob iecoris intemperiem calidiorem, appetitus, impertita ori ventriculi caliditate, prosternitur. Quare, hoc signum incertum fuerit, & solum locum habet in prædictis duobus casibus.

Cap. X. Suppurante Apostemate hepatis, erumpit materia per quatuor vias, scilicet per vomitum, per secessum, per vias vrinæ, & ad cauitatem ventris. Trium postremarum meminit Auicenna; de prima autem nullum fecit verbum, cum tamen sæpius hæc contingat eruptio, in suppuratione potissimum simæ partis iecoris.

Cap. XI. In hoc capite agit Auic. de tribus mesenterij affectibus, videlicet de apostemate phlegmonoso, de duro, & oppilatione. Quæ tria maximè sunt aduertenda à Medico; quoniam hinc sæpe latentes longi, ac periculosi emergunt morbi, qui, si nec considerentur, nec rectè curentur, deducunt patientes in maxima discrimina. Quoad apostema calidum huius partis, quoniam mesenterij partes sensu non vigent, ideo nec talia apostemata vllum inferunt dolorem; sed tantum præbent grauitatis sensum. Febris quidem, quoniam materia putrescit in loco ignobili, & sensus experte, non est vehemens, sed potius lenta; tensio quinetiam adest in his affectibus, prout & in omni parte inflammata. Quod autem in his, vt inquit Auicenna, *sit egestio chylosa* (quod exscripsit à Galeno Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. Vlt.) non esse perpetuum animaduerti; nam in quibusdam, vidi excrementa alui concreta, & secundum naturalem statum, forsan quia non omnes venæ mesaraicæ fuerant affectæ, cuius ratione, poterat à iecore attractio fieri. De sanie etiam illa excreta, de qua Galenus, & Auicenna, non etiam esse perpetuum obseruaui, nec sine ratione; cum huiusmodi apostemata fiant quandoque à materia crassa, & viscida, vt nihil inde resudet, vt fit in praua pleuritide. Præter autem prædicta indicia, animaduerti ego semper in his turgidiorem ventrem, quàm in naturali patientis statu. Hoc autem apostema vidi quandoque suppuratum, & eductam maximam, puris copiam, aliquando per vomitum, aliquando per secessum, quæ laudabilis cum esset, & paucis diebus excreta, patientes à morbo vindicauit. Quandoque autem, disrupto abscessu, animaduerti saniem paulatim per sedem excretam, & quidem longiori temporis spatio, vnde tandem emaciati, & consumpti patientes, & ob vlcus pravum in eis partibus ex abscessu subortum, insanabiles facti, perierunt, sanie semper manante: Quo autem ad apostema durum, nullum proposuit Auicenna signum, forsan, quoniam tactu solo dignosci potest; in quo tamen altius comprimendum abdomen; cuius duplex esse potest causa, scilicet, vel materia pituitosa, diuturnitate temporis exiccata, & ferè in totum concreta; vel melancholica obdurata, quæ si aliquam exustionem passa fuerit, solet quandoque excitare cancros; quæ duplex materia est cognoscenda, & distinguenda à Medico, ne in curatione valdè aberret. Quoad oppilationes vero, nec Auicenna adduxit indicium certum; quod tamen haberi poterit ex absentia cæterarum causarum, quæ possint chyli attractionem prohibere, sano existente hepate; quæ oppilationes diligenter obseruandę sunt; quoniam præter fluxum illum, solent inducere febres longas, & diuturnas.

Obseru.

Obseru.

Obseru.

Cap. XII. Verba illa. *Et quandoque sufficit ei introitus balnei*, si referantur ad causas producentes huiusmodi apostemata, ad duritiem perducenda, materia attenuata, & decurrente ad locum affectum, quis adeò stupidus, in mor-

bo acuto, cruda existente materia, administraret balneum? Si autem referantur ad causas resoluentes apostemata, & duritiem, videntur è re magis proposita; quoniam tunc, declinante morbo, balneum potest, ad discussionem, iuuamento esse. Attamen in hac curatione, nec solus in balneum descensus sufficere potest, absque cæteris localibus medicamentis, opportunè administrandis; sed nec etiam forsan tunc erit tutum balneum, ob vires languentes, tum ex acuto morbo, tum ex tenuissimo victu.

Illa sententia, his verbis expressa. *Et scias, sicut hoc membrum velociter conuertitur in lapideitatem, similiter velociter suscipit resolutionem*, videtur suspecta; quoniam inter hæc duo non videtur paritas æqualis: nam ratione propriæ substantiæ, quæ est crassa, parenchyma scil. tum ratione nutrimenti crassioris, quo vtitur hepar, facile quidem obdurescere; non tamen vsque adeò, quando est obduratum, resolui potest; quoniam reluctatur resolutioni, tum propria eius substantia, tum materia impacta.

Quod *adstringentia, & mordicantia magis lædant inflammatum hepar, in parte sima, quam in gibba*, habet Auicenna à Galeno Lib. 13. Meth. Cap. 13. cum autem causam exprimit, nec rem perfectè declarauit, nec Galeni mentem vere omninò assecutus est, dum hoc solum scribit, *& in gibbositate sunt fractæ virtutes, & obuiant externis orificijs*. At Galenus, loco citato, docuit hoc fieri; quoniam assumpta, dum perueniunt ad partem gibbam hepatis, duas habent conditiones, alteram, quod sunt concocta; alteram, quod sanguini permista; vnde nec adstringentia, nec mordicantia propriam seruant virtutem, sed remissa sunt; dum autem partem simam attingunt, duplici de causa molesta sunt, scilicet, tum quoniam nondum remissa sunt, vnde secundum propriam qualitatem, proportione agunt; tum quoniam inflammato iecoris cauo, inflammantur venæ mesenterij, in quibus medicamenta non omninò remissa, vim suam exerunt.

In principio inflammationis, medicamentis frigidis docet admiscendum esse *absinthium, calamum aromaticum*, & similia. At in principio, dum repellendum est, non oportet admiscere calida frigidis, quod durante morbo, & in augmentum eunte, vt vbique docet Galenus, postea faciendum.

In fine capitis, concedit *granata dulcia*, contra quæ docuit superius, dicens, *granata esse ex his, quæ nocent in talibus apostematibus*, & contra doctrinam Galeni Lib. 13. Meth. Cap. 13. vbi habet. *Nam, & punicum malum, & cætera quæ adstringunt, dum bilis meatus osculum coarctant, bilem ipsam excerni prohibent*. Sed forsan in hoc non errauit Auicenna; quoniam hoc in loco loquitur de inflammatione iecoris, cum fluxu alui, quem granata iuvare possunt.

Cap. XIII. Dicit Auicenna, quod *curatio Erysipelatis proxima est curationi inflammationis*. Verum, in tribus valde dissentiunt, videlicet, quoniam in Erysipelate, primo solutio ventris; secundò vrinæ prouocatio sunt ex sublimioribus intentionibus curatiuis; tertiò, quia in hoc medicamenta debent esse frigidiora, quàm in inflammatione. Atque ita, in his tribus indicationibus scribit Auicenna totam consistere Erysipelatis curationem. Quæ tamen curationis norma non videtur seruanda; quoniam agẽda omit-

tit, & omittenda laudat: nam cum Eryſipelas iecoris ſit acutus morbus, & magnus, quantum ad eſſentiam, ſymptomata, & periculum, cui dubium, quod conſtantibus viribus, ſit ſecanda vena, vt habetur ex Hip. Lib. 4. Reg. Acut. 19. & ex Galeno, hanc ſententiam vbique approbante; quam tamen venæ ſectionem negligens Auicenna, huius in hac cura planè non meminit. Præterea, vt alias notaui, Eryſipelata partium internarum, vt docet Galenus Lib. 9. Meth. Cap. 5. non aliter ſanari poſſunt, quàm frigida exhibita, etiam non apparentibus coctionis ſignis; quo ſuppoſito, cui dubium, hoc eſſe potiſſimum huius morbi remedium; quod tamen vel non vidit, vel neglexit Auicenna. Cum autem ipſe aſſerit, ſolutionem ventris eſſe ex *ſublimioribus indicationibus*, videtur procedere contra principia Galeni, qui monuit, nunquam tentandam eſſe euacuationem per locum affectum, ne ſcil. ad eum attrahatur materia; at medicamenta electiuè ducentia, & bilem à toto euacuantia, eam iecoris vaſa permeantem, foràs educunt; quæ euacuatio, ſi neceſſaria eſt in cura Eryſipelatis, ad mentem Gal. Lib. 14. Meth. Cap. 3. non tamen in hoc morbo conuenit; quoniam ibi Gal. loquitur de Eryſipelate partium externarum; hic autem eſt ſermo de Eryſipelate partium internarum, potiſſimum ipſius hepatis, quod excrementa ab ambitu venarum totius corporis euacuata permeare neceſſariò debent. Quare, dimittendæ ſunt huiuſmodi ventris ſolutiones, quæ bilem à toto educere queant; niſi forſan, *per Ventris ſolutionem*, Auicenna, intelligat aliquam ſaltem, per lenientia medicamenta, qualis eſt caſſia, & tamarindi factam euacuationem; quam probare quidem, nequaquam tamen *ex ſublimioribus indicationibus* in hac cura vocare poſſumus. Quo autem ad vrinæ prouocationem, ſciendum eſt, cum diuretica vera ſint omnia calidæ naturæ, in hac cura non conuenire; ſed ſolum ea, quæ humiditate quadam poſſunt lotium prouocare, qualia ſunt, ſem: communia frigida. Verum nec in his erit *ſublimis indicatio*; quoniam in prouocando lotio, omnino abſtinendum eſt à verè diureticis, & ab his, quæ ſua natura apta ſunt lotium prouocare; quæ omnia ſunt calida; à calidis autem, quantum poſſibile eſt, vt ipſemet docet Auicen. in vltimis huius capitis verbis, in tali curatione, abſtinendum eſt.

Cap. XIV. Suppurante Apoſtemate, duæ ſunt indicationes deſumendæ à Medico. Prima, vt quantum poſſibile ſit, hæc ſuppuratio prohibeatur; & hoc quidem, quoniam omnes hepatis inflammationes ſuppurantes ſunt valde periculoſæ, ex quibus pauci ſeruantur. Secunda, vt ſi non ſit poſſibile prohiberi, adiuvetur. De prima locutus eſt Auicenna, in principio capitis, in quam rem proponit *emplaſtra repercutientia, potiones refrigerantes, & attenuantes, nouam venæ ſectionem, cucurbitularum appoſitionem, & aliquam ventris per pharmaca ſolutionem*. In quibus tamen ſit diligens, & prudens Medicus, ne ex prohibenda ſuppuratione deducat ægrotantem ad imbecillitatem extremam, in qua poſtea nec ſuppuratio, nec vires ſufficiant; vnde ſit cautus, & potiſſimum quoad nouam venæ ſectionem. De ſecunda incipit habere ſermonem, illis verbis. *Cum ergo non eſt excuſatio* &c. vſque ad finem capitis, in quo, cum accurate, & pulcherrimè huius caſus expoſuerit curationem, mirum quomodo non meminerit puris eruptionis, quæ

fit, transmisso pure ad ventriculum, cum sæpè hæc eruptio, suppurante iecore appareat. In qua eruptione debet Medicus materiam ad ventriculum transmissam, per vomitum euacuare; quæ si fœtore sit molesta, vel acrimoniæ particeps, prouocantibus vomitum debet admiscere, quæ his prauis qualitatibus resistere queant. Euacuata autem materia per vomitum, roborandus est ventriculus, & deturbanda materia ad intestina; ne amplius ille suscipiat, at hæc ad loca ignobiliora, & minus præstantia descendat.

Cum Auicenna molitur, & iuvat suppurationem, non veretur exhibere *lac asininum*; quod tamen est suspectum, cum lac, inflammatione præsente, & calore æstuante, facile corrumpatur.

Quando ad faciliorem suppurationem, laudat *assiduare balneationem, cum aqua calida*; si de balneo totius corporis loquitur, videtur suspecta curatio; cum hic habeamus febrem putridam, cum materia cruda. Si autem de fotu ex aqua calida, hic magis conuenire videtur; non tamen simpliciter admittendus; cum etiam suppurantia, in hepatis affectibus, non sine aliqua saltem adstrictione sint adhibenda.

Victus rationem recensens, inter carnes opportunas, enumerat *arietinas*; quæ tamen nunquam concedendæ, ob succi prauitatem, & ob coctionis difficultatem. Dicebat enim Galenus Lib. 3. de Alim. Fac. Cap. 1. *Hircorum caro, tum ad coquendum; tum ad succum bonum generandum, est deterrima*; quam sequitur arietina.

Cum plurimus fuerit in hac curatione Auicenna, omisit tamen ab Hipp. Lib. 7. Aph. 46. propositam, per adustionem scil. vel quia hunc locum non animaduerterit; vel quia neglexerit.

Cap. XV. Per *apostemata frigida*, hic debemus intelligere œdemata; verum quoniam, vt supra dictum est, iecur non potest pati œdema exquisitum; ideo de huiusmodi œdemate hoc in loco est intelligendum, subortum scilicet ex pituitoso quidem, & laxo humore; sed qui etiam permistus sit alijs humoribus; ob quam admistionem, facile conuerti possit in aliud tumoris genus; atque ideo dicebat Auicenna, in curatione horum tumorum. *Et ex eis, quæ in ipsis iuvant, & propriè in illo, quod indurationi proximum est, &c.* Non enim œdema exquisitum est ex se indurationi proximum; sed quia non est exquisitum, ideo facile obdurari potest. Hoc autem notare volui, vt in purgatione præmittenda localibus medicamentis, habeatur ratio, non tantum pituitæ simplicis; sed & crassioris, & aliorum humorum, qui phlegmati admisti, sunt causa, vt hoc apostema non diutius in hoc statu; sed in alterum tumorum genus permutetur.

Cap. XVI. Cum deuenit Auicenna, in cura apostematum duriorum hepatis, ad ea medicamenta, quæ recensentur ab eo, post ea verba. *Et ex eis, quæ conferunt ad illud &c.* videlicet *semina agni casti, eupatorium, plantaginem siccam, lupinos, piper, amygdalas amaras, baccas lauri, polium, chamædryn, porrum &c.* quæ simul cum his recensentur. Similiter cum describit medicamentum Asclepiadis, compositum ex *felle Vrsi*, nec tempus, nec modum vsus horum medicamentorum tradit; cum tamen hoc magni intersit; non enim indistinctè, & quolibet tempore, huiusmodi medicamenta administranda sunt; sed

tantum,

tantum, emollito prius tumore: si enim, non præcedente emollitione, adhibeantur, à principio quidem, fusa materia, manifestam tumoris imminutionem inducerent; verum postea exiccata magis magisque, superstite tumoris materia, immedicabiles euaderent. Quapropter, in vsu horum medicamentorum hoc obseruetur, vt citra præcedentē emollitionem non administrentur; sed tantum, vbi prius per emollientia Medicamenta tumor ad discussionem fuerit præparatus; quo tempore huiusmodi pharmaca maximè opportuna sunt; vt docet Gal. Lib. 8. de Componend. Med. secundum Loca, in examine Medicamentorum Asclepiadis.

Recensens Auicen. medicamentum *ex felle Vrsi* compositum ab Asclepiade, loco *echij*, habet *opij*; sed forsan hic error non vitio Auctoris, sed interpretis irrepsit.

Vbi scirrhus sit *obediens*, tandem Auicen. deuenit *ad vsum Ellebori albi*. Verum hoc medicamentum potius est aptum reuocare materias, & succos, in ambitu totius hærentes, ad hepar ipsum affectum, quàm ab ipso hepate, reluctante materia lapidea iam facta, aliquid euacuare.

Cap. XVII. Longe melius locutus fuisset Auicenna, si dixisset, apostemata abdominis curari curatione generali cæterorum tumorum, in partibus carnosis, quàm, quod *istorum apostematum curatio sit proxima curationi apostematum hepatis*; quoniam longè hæ differunt, tum ratione partis, tum ratione symptomatum, tum ratione periculi, tum etiam ratione virtutis.

Cap. XVIII. Apostemata venarum mesaraicarum curantur eadem curatione, qua apostemata cauæ partis iecoris, vbi simul cum hac, illæ inflammentur, vel abscessum faciant. Sed si istæ sine hepatis læsione afficiantur, partim conuenit curatio cum illa; quoniam eædem ferè sunt indicationes: hoc tamen discrimine, quod in his non indicantur, sicuti in hepate affecto semper immista medicamentis (ad conseruandam vim eius) aliqua adstringentia.

Cap. XIX. Admiscet trochiscis ex Rhabarbaro, lacca, & Zingibere, *arsenicum citrinum*, dicens, ipsum esse *mirabilis virtutis in repercussione, & resolutione sanguinis*. Sed quis auderet exhibere arsenicum per os; cum sit medicamentum, & venenum corrosiuum? Scio quidem Arabes in hoc audaces fuisse, & Dioscorid. hoc quandoque probasse; ratio tamen contrarium dictat.

Cap. XXI. Melius Auicenna, in casu adeò difficili, & periculoso, curationis modum tacuisset, quam adeo imperfecte eam tradere. Quare, non confidat Iunior Medicus huic adeò simplici, & tam diminutæ curationi Auicen.

Fen Decimaquarta Tract. IV. Cap. I.

Cap. I. INter causas expulsionis materiarum ex hepate, connumerat *debilitatem attractiuæ*. At per debilitatem attractiuæ, nihil ex iecore excernitur; sed tantum id, quod attrahi debebat, & concoqui, in eo permanens incoctum, ac proinde naturæ graue, vi expultricis facultatis intestinorum, expellitur, & fluxum alui inducit. Vnde hæc excretio fit quidem

ratione

ratione hepatis patientis; sed non ex hepate ipso.

Docens, quomodo debilitates hepatis sequantur omnem complexionem, subiungit. *Sed plurimum debilitatis retentiuæ est propter caliditatem tantum.* At ex Galeno, Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. Vltimo, apparet, vim retentiuam potius ex frigiditate lædi; exemplo hepaticorum affectuum, in quibus cruēta sanies excernitur, quique ex intemperie frigida progignuntur, dicens. *Ita cum retinere nequit, comprehendens, continensque facultas infirma putanda est; proinde, in primis quidem saniosum cruorem excerni videmus, postea vero crassum, & fæculentum.*

Cum monet, aliquando *fieri expulsionem ex hepate, per solutionem continuitatis,* ad hoc citat sententiam Hipp. Lib. 7. Aph. 56. dicentis. *Quibus hepar aqua plenum in omentum eruperit, his venter aqua repletur, & moriuntur.* Sed notandum est, ex Galeno in Com. quod hæc solutio, non ex hepatis substantia, sed potius ex eiusdem membrana, quæ vesicis aqua plenis scateat, est intelligenda. An autem ex huius membranæ diuisione, vt nonnulli celebres viri censuerunt, gignatur hydrops ascites, alterius est considerationis, de qua proprio loco.

Cap. II. *Differentia inter uirus, factum ex ulcere, aut resudatione hepatis, & ex alijs partibus,* inquit, Auic. *consistit in hoc, quod ante factum ratione hepatis, est febris; factum autem ratione aliarum partium est sine febre.* At hæc differentia non est obseruanda; quoniam etiam factum, ratione alterius partis, potest præcedere, & comitari febris, vt fit in excretionibus, ratione apostematum partium superiorum, & morbos acutos inferentium; & postea suppurantiū; vt aliquando apparet ex empyemate suppurato, vel pleuritide, vel peripneumonia, vel alio simili morbo & postmodum ad intestina erumpente; prout etiam suppurante ventriculi inflammatione, potest accidere. Quare hæc differentia non attendatur; sed ex præcognitione loci affecti habeatur.

Virus hepaticum, inquit Auicenna *est decliue ad albedinem, & rubedinem.* Quæ sententia intelligenda, cum ad bonum terminatur suppuratio, nihil patiente hepatis substantia, & pure in sola tunica contento. Si autem praua est suppuratio, & malè terminatur, erit pus ad nigrum vergens, amurcæ olei simile; & quidem, quoniam in his corruptio pertingit vsque ad substantiam, & carnem ipsius hepatis. Quare duplex potest esse virus istud; non autem semper *ad albedinem, & rubedinem decliue,* vt dictum est, & vt docet Hipp. & Galenus Lib. 7. Aph. 46.

Fluxionem ab ulcere, aut corrosione hepatis, inquit Auicenna, *esse cum dolore in partibus hepatis.* At sciendum est, quod nisi ab his affectibus trahatur in consensum iecoris membrana, nullus est dolor; nam affecta sola hepatis substantia, vel ex vlcere, vel corrosione, nullus subsequitur dolor.

Cap. III. Quamuis Auicenna distinguat caput Cachexiæ à capite de hydrope; non tamen sentiendum est, hæc duo aliter differre inter se, quàm inter principium morbi, & morbum factum. Cachexia enim est principium, & præludium hydropis; atque adeo magis ad rem hæc duo simul coniungenda fuere; sicuti fit in cæteris morbis, de quorum principio non fit caput

distin-

distinctum ab eo, in quo agitur de morbo ipso. Sed in hoc sequutus est Aetium, qui forsan distinxit caput cachexiæ à capite hydropis; quoniam cachexia in aliquibus, antequam sit confirmatus hydrops, diutius durat; cujus ratione, ab his capita distincta facta sunt.

Et quandoque accidit, inquit Auicenna, *cachexia, propter aggregationem aquæ in pulmone.* Quod forsan dicit, alludens ad hyderum pulmonis; de quo alias egimus.

Cap. IV. Hydropis duplex recenset causarum genus; quarum altera est vnica, & sola, quam couiunctam appellat; quoniam ea posita, ponitur hydrops, & ea non posita, remouetur. Cæteræ autem omnes dicuntur antecedentes; quoniam his positis, non semper ponitur hydrops; sed hoc tantum contingit, cum hæ illam coniunctam induxerint. Hæc *causa coniuncta*, inquit *est debilitas digestionis hepaticæ*; quæ digestio hepatica princeps, cum nil aliud sit, quam sanguificatio, clarum est, quod tunc hydrops fiet, quando hepatis sanguificatio labefacata fuerit. Quam sententiam exscripsit à Gal. Lib. 2. Progn. Com. 1. dicente. *Itaque, cuiusuis aquæ inter cutem communis genitura est, ubi sanguificationis officium intercidit*. Quod & re petijt Lib. 2. de Natural. Fac. Cap. 8. his verbis. *Est enim ea prima generandi hydropis causa, ex sanguificationis defectu proueniens*. Et Lib. 6. Aph. Com. 12. vbi iuxtà eandem sententiam, inquit. *Aqua uerò inter cutem fit, cum sanguinis generatio frustratur*. Hoc constituto, liquet, quæ sit specifica differentia, qua hydropis essentia constituitur; quæ nulla alia fuerit, quam sanguificandi munus interceptum. Quibus positis, possumus absque omni dubio explicare quæsitum illud antiquum, an scil. hydrops ex sola iecoris intemperie frigida, vt voluisse videtur Gal. Lib. 5. de Loc. Aff. & Aetius, alijque classici Auctores, ipsum sequentes, producatur; & an etiam, vt habetur ex Hippocrate Lib. 2. Progn. & ex Gal. ibidem, ex morbis acutis, ideſt ratione intemperiei calidioris fieri queat. Nam ex sanguificationis causam non sanguificandi habebimus, nouerimusque, cuius intemperiei ratione hoc fieri possit. Vt autem hoc habeamus, sciendum est, ex Gal. & Hipp. opus sanguificationis, non ab vlla pendere temperie; sed hoc tantum esse munus caloris natiui, in hepate vigentis. Hoc autem pluribus in locis declarauit Galenus, potissimum autem Lib. 8. de Hipp. & Plat. Decretis, Cap. 7. sub finem, vbi concilians Hippocratem, & Platonem, in causa operationum naturalium, dicebat, hos Auctores, huiusmodi opera, in quibus sanguificationem enumerat, calori natiuo adscripsisse, hæc scribens. *Videtur igitur in his, Plato Hippocratem sequi, cum innatum calorem, causam affirmet concoctionis ciborũ in uentre, & inde, in iecur, & uenas digestionis, ac sanguinis creationis; præterea, & sanguinis in totum corpus deductionis, & dispensationis*. Superius autem, eodem capite docuerat, iuxtà Hipp. omnium naturalium operum calorem innatum, qui malè à Platone ignis vocetur, causam esse. Quam eandem sententiam amplexus erat, Lib. 1. Aph. Com. 15. locutus de calido innato, his verbis. *Hic igitur cum sit omnium operum naturalium causa.* Nec à superiori alienam tuebatur Lib. 2. de Natural. Fac. Cap. 4. docens, Aristotelem Hipp. consentire, in causis naturalium facultatum; vbi hæc recensens,

&

& de coctione, sanguificatione, nutritione, auctione, & alteratione locutus, concludebat his verbis. *Atque idcirco, tum nutritionem, tum coctionem, tum omnem succi generationem; necnon, & in excrementis ipsis qualitates, à calore innato prouenire* Quod clarius, & breuius docuit Lib. 6. Aph. Com. 12. dicens. *Si igitur à calore natiuo generatur sanguis, &c.* Ex quibus locis, & alijs quã pluribus huiusmodi, in hãc sententiã, luce meridiana clarius liquet, sanguificationis munus spectare ad calorem innatum, non autem ad vllum temperamenti genus; tum quoniam calor innatus est quid distinctum à temperamento; tum etiam, quoniam quodlibet iecur, siue calidum, siue frigidum, siue vtroque intemperatum, dummodo calorem innatum foueat, sanguinem generat. Nec huic sententiæ refragatur doctrina Galeni, proposita Lib. 2. de Nat. Fac. Cap. 8. sanguinem scil. ex moderato calore, reliquos autem succos ex eodem quidem, sed intemperato, seu non commoderato fieri; quoniam hic Galenus, non de simplici humorum generatione; sed de exuperanti, quoad naturalem proportionem loquitur; vt exemplo patet sanguinis, & bilis: à moderato enim calore plurimum sanguinis producitur, minimum bilis; qui calor si admodum augeatur, plurimum bilis generatur, sanguinis autem temperati minus; non autem, quod à temperato solus sanguis, ab intemperato autem sola bilis fiat. Præterea, aduertantur Galeni verba, in eodem loco, clarè scribentis, hanc in sanguinem, alimenti mutationem, esse caloris innati munus, qui in generatione humorum diuersa ratione, pro temperamenti modo agens, tum sanguinem benigniorem, tum biliosiorem, tum alterius naturæ gignit; atque adeo, postquam Hippocratem, Aristotelem, Praxagoram, & Philotimum laudauit, in doctrina generationis, subiunxit. *Demonstratum enim ijs est, alimentum, dum in venis, ab innato calore alteratur, sanguinem quidem ex moderato calore fieri; reliquos vero succos ex eodem, sed non commoderato.* Quibus verbis docere voluit Gal. generationem sanguinis, & succorum, soli calori innato tribuendam esse; ea tamen ratione, vt pro diuersitate temperamenti, diuersa etiam succorum genera copiosius generentur; non autem, quod ab eo temperamento generatio dependeat, licet foueatur. Si igitur sanguificandi munus est opus tantum caloris natiui; ergo hoc solo deperdito, non amplius generabitur sanguis, officiumque sanguificandi in ipso iecore labefactabitur. Cum autem hic calor dupliciter extingui possit, scilicet vel dissolutus, vel extinctus, aut suffocatus, quæcunque huius caloris, vel resolutionem, vel extinctionem, seu suffocationem inducere poterunt, sanguificandi quinetiam munus abolere apta erunt. Quapropter, cum ex calefacientia; tum refrigerantia (siue sint intemperies, siue instrumentales morbi) possint, & resolutionem, & extinctionem, seu suffocationem caloris innati inducere, ideo tùm intemperies calida, tùm frigida, & morbi instrumentales, & calidi, & frigidi, poterunt hydropem inducere. Et quoniam immoderatæ euacuationes, & potissimũ sanguinis, vt habet Gal. Lib. 4. Aphor. Com. 27. natiuum calorem, cuius opus est ciborum concoctio, & in sanguinem mutatio, debilitant, & resoluunt; ideo hæ etiam aptæ sunt hydropem producere, non quia vllam inducant intemperiem nouam; sed quia calorem innatum imminuentes, &

obtun-

obtundentes, sanguificandi munus frustrantur. Quod & plenitudo præstare apta est, suffocando scil. calorem innatum, potissimum sanguinis frigidioris; hinc enim, vt ex multitudine lignorum, tum multorum, tum frigidorum, extinguitur ignis; ita calor nativus, suffocationem, & extinctionem patitur, vt docuit Gal. Lib. 4. Reg. Acut. Com. 111. sciendum enim est, vltimam illam, & specificam differentiam, qua hydropis essentia constituitur, non quid positivum, sed priuativum esse; nil enim aliud est, quam caloris innati extinctio, vel imminutio, facta, vel per resolutionem, vel per suffocationem. Resolutio autem, & suffocatio nihil constituit in esse; sed si quid adest, quod eius vi tolli potest, aufertur; qui cum sit calor innatus, illa caloris, vel immutatio, vel extinctio, fuerit priuativum illud, quod constituit hydropem. At hinc maior prædicta videtur emergere difficultas; nam si hydropis constituitur essentia ab hac differentia specifica priuatiua; igitur hydrops non erit morbus; cum morbus sit affectus præter naturam, corpori inhærens, operationem primò lædens; affectus autem est quid positivum, non priuativum. Sed sciendum est, quod licet hydropis constituatur essentia, ab illa priuatiua conditione; non tamen in illa consistit: nam hydrops non est illa priuatio, sed est quid positivum, consequens illam priuationem, & dependens ex causa positiua, atque illam priuationem inducens: hydrops enim nil aliud est, quàm tumor, vel vniuersi corporis, vel ventris, & partium inferiorum, dependens ab intemperie, extinguente calorem innatum hepatis; cuius ratione deperdita sanguificatione, generatur, vel flatus, vel aqua, vel phlegma aquosum. Adeo vt hydrops sit morbus non temperiei; sed instrumentalis, collocatus in genere tumorum præter naturam; sicuti etiam censuit Gal. proprio Lib. Cap. 20. qui morbus instrumentalis sequitur generationem dictorum humorũ in locis proprijs contentorum. Horum autem generatio sequitur iecoris intemperiem, non quamcunque, sed eam solum, quæ apta sit calorem hepatis innatum extinguere; cuius ratione dictum est, hydropis constitui essentiam ab illa specifica differentia priuatiua; nam non potest, aut illa aquositas in Ascite; nec flatus in Tympanite; nec phlegma aquosum, in Anasarca generari, nisi abolitio caloris innati præcedat, & inde sanguificatio deperdatur. Quam caloris innati abolitionem, non quælibet intemperies infert, vt dictum est; sed, quæ adeò intensa est, siue calida, siue frigida, vt extinguere calorem innatum sit apta; quæ intemperies non est hydrops, sed hydropis causa; quoniam inde pendet generatio dictorum humorum, à quibus tumor fit; quæ intemperies est etiam quid positivum, & morbus in iecore, ex quo hydrops resultat, ob caloris innati extinctionem. Ex quo habemus, in hydrope duos morbos positiuos adesse; quorum alter est tumor; alter intemperies, iecur lædens. Primus morbus dat formam hydropi; secundus est eiusdem causa. Vnde, licet hydropis constituatur essentia ab illa priuatione, videlicet caloris extinctione; attamen est morbus positivus, & habet simul etiam causam positiuam; nec mirum, cum vnus morbus alterius morbi causa esse queat. Hæc autem intelligantur, vbi hydrops ex intemperie aliqua inducitur; secus autem vbi fit ex im-

modica aliqua euacuatione; tunc enim ſymptomati ſymptoma, vt docet Galen. ſub finem Libri 3. de Sympt. Cauſ. ſuccedit, ſeque inuicem conſequuntur; euacuationi enim immoderatæ, quod eſt ſymptoma in genere immodicè excretorum, calore natiuo debilitato, ſanguificationis deperditio, quod eſt ſymptoma in genere actionis naturalis deperditæ, ſuccedit, cui ſanguificationi abolitæ ſuccedit hydrops. Sciendum tamen eſt, cum in hydrope calorem innatum aboleri, & inde ſanguificationem deperdi dicimus, non intelligendum id fieri perfectè, & calorem innatum omnino ſublatum, nec etiam ſanguificationem prorſus deperditam eſſe; quoniam cum hydropicorum vita, menſes, & annos protrahatur; hæc autem ſine partium ſolidarum, & præcipue principalium nutritione conſeruari nequeat, ſpiritusque vitalis ex puriori ſanguine, animalis autem ex vitali generetur, neceſſario ſequitur, in hydropicis aliquam ſanguinis portionem generari, cuius ratione, cæteræ facultates conſeruantur. Quod etiam ſenſus teſtatur; nam venæ in hydropicis confirmatis, ſanguinem etiam, licet non laudabilem continent; indicio, in eo non ſolam, aut pituitam, aut aquam, aut flatum generari; ſed etiam aliquam ſanguinis portionem, licet imperfectam, & mole minimam. Quapropter, prout dicimus, ſanguinis in hydropicis confirmatis, & antiquatis portionem generari; ita etiam affirmamus, calorem iecoris innatum prorſus extinctum non eſſe; ſed ſtatuimus, eius extinctionem hydropem conſtituere; quoniam non tantus eſt in eo calor innatus, vt perfectæ ſanguinis generationi ſufficere queat; qua deperdita, neceſſario generatur, vel aquoſum phlegma, vel aqua, vel flatus, maiori copia, quàm ſanguis; vnde, vel totius corporis, vel ventris, & partium inferiorum ſuccèdit tumor, qui in maiorem molem in dies excreſcet, magis magiſque debilitato iecore, in morbi progreſſu, niſi ab arte opportuna adhibeantur remedia; vel natura ſponte morbo prępolleat, ac materiam peccantem expellens, & ex alijs membris iecur calore perfundens, ſimul materiam genitam euacuet, & generandæ fomitem; qui cum nil aliud ſit, quàm caloris in iecore innati debilitas; debilitari autem poſſit, tum per reſolutionem, tum per extinctionem, iure dictum eſt hoc contingere, tum ex immodicis euacuationibus; quoniam hinc reſoluitur, & languet robur caloris innati; tum ex qualibet intemperie exuperante, & apta calorem innatum abolere; quoniam hinc calor innatus extinguitur; à frigida quidem, ratione contrarietatis; à calida autem, ratione exceſſus. Quod autem vtraque hæc intemperies apta ſit calorem innatum debilitare, & inde hydropem inducere, nulli dubium. De frigida, ſcio clariſſimam eſſe ſententiam Galeni Lib. 5. de Loc. Aff. pluri miſque alijs in locis, ab omnibus ſcriptoribus admiſſam, quæ ſenſui ſatis reſpondet; cum ex nimia refrigeratione nouerimus plurimos hydropicorum in hunc morbum delapſos; adeoque manifeſtus eſt hic caſus, vt viſus ſit Galenus aliquando cenſuiſſe, hydropem ex ſola refrigeratione iecoris ortum habere. Quare ſuppono tanquam manifeſtum, intemperiem frigidam aptam eſſe iecoris calorem innatum adeo oppugnare, vt hinc extinguatur, ſimulque ſanguinis generatio labefactetur. De intemperie ca-
 lida

lida maius est dubium. Verum hoc Gal. Hipp. ratio, & experientia testantur; Gal. enim Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 1. locutus de hydrope qui sequitur morbos acutos, dicebat. *Quippe ab ijs iecur calida sæpe numero, & sicca quoque intemperie tam grauiter afficitur, vt cibum in sanguinem transmutare nequeat.* Hipp. vero lib. 2. Progn. Tex. 1. 2. & 3. loquitur de eiusdem generis hydrope, eo videlicet, qui morbos sequitur acutos. Quid autem hoc aliud est, quàm sequi intemperiem calidam? Ratio hoc idem dictat; cum enim innatus calor in quadam commoderatione consistat, immoderatus præter naturam si adfuerit, poterit innatum imminuere, & extinguere. Hinc videmus, in morbis acutis, vrinæ interceptiones, refrigerata vesica, resoluto eiusdem calore naturali à calore febrili, admodum intenso; quod declarans Galenus Lib. 2. Prorrh. Com. 16. dicebat. *Refrigeratio autem vesicæ fit, discusso, euaporatoque ab eo quod præter naturam, naturali vesicæ calore.* Hinc etiam in febre ardenti, & acuta, extincto à calore febrili calido innato cerebri, videmus soporem succedere; de quo locutus Galenus, in Hermocrate Lib. 3. Epid. Sect. 1. Com. 8. dicebat. *Siquidem vna cum ardente febre, & succum habente mordacem, acremque admistum, si quis symptomate teneatur, tardos, & frigidos humores, atque non mordaces comitante, non esse incommodum ostendit profligatum; cum nihil acciderit decretoriè; sed suffocari, & extingui natiuum calorem.* Hinc etiam in morbis acutis, aliquando apparet spiritus è naso, & ore prodiens, frigidus (de quo Hipp. Lib. 1. Progn. Tex. 27.) extincto calore natiuo à febrili; quod declarans Galenus Lib. 6. Epid. Sect. 4. Com. 29. dicebat. *Illis enim solis id euenire comperies, quorum mortem calidissima febris antecessit, quæ cordis ipsum corpus cremauit, atque ideo postremo ipsum refrigerauit.* Cum ergo id in vesica, in cerebro, & in corde possit calor intensus facere, idem poterit & in iecore, exuperans, & præter naturam, calorem innatum dissoluens, & difflans. Hoc etiam experientia testatur; nam præter testimonia Galeni, & Hippocratis, quot vidimus ex istis potatoribus, qui gulæ indulgentes, vino generoso immodicè vsi, in hydropem lapsi sunt? quod non contigit, ob intemperiem frigidam; sed ob calidam, supra gradum proportionatum inductam, dissoluto calore innato. Quare, sine vlla hæsitatione, concludendum est, intemperiem quamlibet exuperantem, tum calidam, tum frigidam posse hydropem inducere; quod admittens, & pro vero supponens Auicenna, hoc in loco manifestissimè, inter causas hydropis, vtramque recensuit.

Sed ex prædictis, nec contemnenda, nec dissimulanda insurgit difficultas; quoniam, si vt scil. suppositum est, sanguificandi munus pendet à calido innato, eiusque propria actio est sanguificatio; Igitur sanguificandi facultas in eodem consistet. At ex Gal. facultatis essentia, non in calido innato; sed in singularum partium posita est commodo temperamento; vt habet Lib. 1. Gal. de Præsag. ex Pulf. Cap. 4. & idem repetens eodem volum. Lib. 2. Cap. de Pulsu Caprizante, & Dicroto pag. 429. dicebat. *Nunc quando essentiam facultatum, persuasi sumus, nihil esse præter qualitatem temperamenti.* Similem tuetur sententiam Lib. 1. de Nat. Fac. Cap. 3. dicens.

At

At mihi quidem, tum vena, tum reliquarum particularum singulæ, ob certam quandam temperiem, quam ex qualitatibus sunt nactæ, hoc, vel illo modo agere videntur. Eodem verò volumine, Lib. 2. Cap. 8. docens variam succorum generationem, ex diuersarum qualitatum temperie eam oriri dixit, his verbis. *Cum enim propter certam, ex quatuor illis, temperiem, particula quæque certam habeat functionem, necesse omnino est, propter eius temperiei vitium, aut prorsus corrumpi functionem, aut impediri; atq; ita, vel totum, vel parte aliqua saltem ægrotare animal.* Eodem vero Cap. inferius, subiungit. *Neque enim alia de causa potest intemperies primorum morborum esse causa, nisi quod commoda temperies est corrupta; cum enim ab hac manent actiones, necesse est prima earum vitia ex hac manare corrupta.* Cap. autem 9. pro secundo proposito, ex probatis, hoc assumens, dicebat. *Tum quod, siue quis venas, siue iecur, siue arterias, siue cor, siue ventriculum, siue aliam particulam vllam fungi quacunque actione dicat, ineuitabili necessitate cogetur, propter certam ex quatuor corporibus temperiem, edi actionem ab illa fateri.* Speciatim autem locutus de hepate, Lib. 5. de Loc. Aff. Cap. 7. dicebat. *Porrò, omnium facultatum essentiam in peculiaribus partium temperiebus consistere didicistis; proinde, cum iecur ad aliquam octo intemperierum delabitur, accidit viribus ipsius noxa, quæ illi intemperiei peculiariter debetur.* Clarissime hoc etiam proposuit Lib. de Mult. Pag. 279. B. C. dicens. *In opere autem de Elementis, secundum Hippoc. demonstraui, substantiam generationi, & corruptioni obnoxiam, tum ipsam, pro quatuor qualitatibus, alterari, humiditate, & siccitate, caliditate, & frigiditate corporis; tum cuiuslibet propriam substantiam, in tali quadam esse temperie, proinde, & substantiam facultatum, quibus eæ reguntur, proprietatem esse temperamenti.* Similem huic sententiam in pluribus alijs protulit locis, semper docens, facultatum, & actionum essentiam in temperamento partium consistere. Si autem hoc; ergo sanguificandi munus, non à calido innato, sed à proprio hepatis temperamento dependet. Quibus sic stantibus, sequitur, calidam intemperiem non posse hydropem inducere; quoniam calida administrata, vt habet Gal. Lib. 3. de Temperament. Cap. 4. intendunt caloris qualitatem, si sint medicamenta; eiusdem autem substantiam augent, si sint alimenta; hoc autem, vel illud contingat, nunquam flatus, aut aquæ, aut phlegmatis aquosi generatio succedet; sed aucta caloris innati substantia, probi sanguinis generatio fiet; si autem augeatur qualitas, biliosi; si magis, adusti gignentur humores; nunquam autem frigidi, prout generantur in hydrope. Quamobrem, quis existimare posset, calidum innatum nil aliud esse, quàm commodum temperamentum; atque adeo cum dicimus, sanguificandi officium esse actionem caloris innati in hepate, perinde esse, ac si diceremus, sanguificationem fieri à commodo hepatis temperamento, quo corrupto, corrumpitur etiam sanguificatio; vnde pro ratione intemperiei, sequitur in sanguificatione ea noxa, quæ ei intemperiei peculiariter conuenit. At verò hoc falsum esse comperitur, cum innatum calidum longè differat à temperamento; illud enim, cum omni temperamenti genere potest consistere; cuius ratione, in Lib. Art. Med. tradita sunt à Galeno indicia cuiusque temperaturæ, & præcipuè membrorum principalium. Quod & nobis indicant

dicant alimenta medicamentosa, tum frigida, tum calida, luculentius autem frigida; nam ista, veluti si in hunc vsum veniant lactucæ, assumptæ, dum concoquuntur, ad frigiditatem immutant corpus; coctę autem calorem innatum augent; vt habetur lib. 3. de Temp. Cap. 4. quæ duo cum sint opposita, videlicet refrigerare, & calorem augere; & cum ab eadem re, & in eodem subiecto, sed diuerso modo (nam refrigeratio ad temperamentum; augmentum autem caloris ad calidi innati pertinet substantiam) fiant, clarè indicant, calidum innatum re differre à temperamento. Huius autem oppositum fit ab alimentis medicamentosis calidioribus, quoad temperamentum, licet idem fiat, quoad calidi innati augmentum; nam si ruta, origanum, thymus, anethum, calamintha, & similes herbæ calidiores in vsum alimenti assumantur, dum concoquuntur, calefacient, aucta qualitate temperamenti; concocta autem, caloris substantiam augebunt. Quare, non idem fuerit, innatum calidum, & commodum temperamentum. Hoc idem indicat ea exercitationis vtilitas, à Gal. proposita Lib. 2. de Tuend. Valet. dicente. *Omnis exercitationis commune est illud, quod animali ipsi caloris natiui augmentum excitet.* Quod & in principio eiusdem Libri etiam docuerat. & Lib. de Renum Dign. & Med. Gemini autem, & innati caloris augmentum, cum sit quid aliud à caliditate corporis, quæ ex pluribus causis concipi potest, vt primo loco citato habetur; igitur temperamentum corporis erit quid aliud, à calido innato distinctum. Præterea, calidi innati substantia augetur hyeme; æstate autem imminuitur, vt habetur Lib. 1. Aph. 15. At temperatura, tum æstate, tum hyeme eadem permanet, nec permutatur, ad anni, vel aeris mutationes. Quare non eadem hæc ac calidum innatum erit. Quibus suppositis, adhuc dubitari potest, quomodo sanguificatio sit operatio, & actio caloris innati; cum ex Galeno, facultatum essentia consistat in proprietate temperamenti, seu in commodo singularum partium temperamento. Ad hoc explicandum altius res perscrutanda est; quia enim sanguificatio est actio, quando functiones à facultatibus fiunt, videndum erit, quid sit ista sanguificandi facultas, & quid sit eius actio; & quoniam facultates, mediantibus instrumentis suas obeunt actiones, videndum est, quæ sint instrumenta facultatis sanguificationis; & quia ex instrumentis, alia sunt principalia; alia inseruiunt principalibus, declarandum tandem fuerit, quid sit instrumentum principale huius facultatis, & quid sit illud, quod ei inseruit. Ad horum autem explicationem præmittendum est, quid sit facultas, quid actio, quid instrumentum principale, quid inseruiens. Facultas est potentia actiua, apta ad producendam actionem propriam; exempli gratia, facultas visiua, est potentia actiua, ad producendam visionem; Facultas motiua est potentia actiua, apta ad producendam motionem, & sic de singulis, quæ potentia non est qualitas, sed substantia: cum enim anima in plures potentias diuidatur, & plures potentias habeat, huius animæ potentiæ non erunt accidentia, sed partes, ac proinde substantiæ. Quare facultas erit in prædicamento substantiæ, non accidentis, & erit pars animæ actiua, apta ad producendam propriam

priam actionem. Quapropter necessariò dicendum erit, facultatem sanguificandi esse potestatem actiuam, & partem vegetatiuæ animæ, in sanguineis animalibus, aptam ad producendam sanguificationem; vnde hæc facultas erit substantia formalis. Et quoniam hæc, prout est in genere substantiæ; ita etiam est propria causa propriæ operationis; ideo Galenus Lib. de Mult. in principio, dicebat nihil referre, an facultas dicatur substantia; & an eam vocemus causam effectricem, seu factricem. Hæc facultas, potentia dicta, dum suo munere fungitur, operationem propriam edit; atque talis operatio est actio illa, cuius explicationem quærimus, quæ non consistit in facto esse, sed in fieri; illud enim quod consistit in facto esse, & resultat ex operatione, est opus, non actio; hinc quippe illud gignitur, finisque est actionis, quæ solum in fieri consistit, & habet propriam essentiam in motu; tandiù enim durat actio, quandiù ille motus; quod autem ex hoc motu, & actione resultat, est opus, non actio; nam sicut in vulneribus infligendis, adest vulnerans, vulneratio, & vulnus; quorum vulnerans est efficiens, vulneratio est actio, & vulnus est opus vulnerantis; ita in naturalibus, adest agens, quod est facultas, actio, quæ est facultatis propria operatio, & opus, quod ex ea actione resultat. Quare, actio nil aliud erit, quam operatio propria facultatis agentis, habens essentiam in motu, & in fieri tantum. Quapropter actio facultatis sanguificandi, erit sanguificatio ipsa, quæ consistit in sola sanguinis ad tempus generatione; sanguis autem genitus erit opus illud, quod ex hac actione resultat. Dum autem vnaquæque facultas operatur per propria instrumenta, propriam edit actionem; sicuti enim in artificialibus, actiones, & opera fiunt proprijs instrumentis; ita etiam in naturalibus idem euenit; cum natura nequicquam agat absque proprio instrumento. Illud autem ex instrumentis dicitur principale, à quo primo, & per se editur illa actio; inseruientia autem sunt ea, quæ vsum primo instrumento præstant, & sine quorum recta dispositione, malè primum operatur instrumentum. Primum autem instrumentum duplex est; alterum, quod; alterum, in quo. Illud est verum instrumentum; hoc autem est subiectum per quod illud immediatè agit; exemplo hoc patet in oculo, in quo Facultatis visiuæ primum instrumentum est spiritus visivus; primum autem instrumentum in quo, est humor crystallinus; quoniam in humore crystallino tantum fit visio; à spiritu autem visiuo sola fit, & perficitur; cuius ratione, quandoque spiritum, quandoque humorem crystallinum, primum visionis instrumentum vocauit Galenus; cæteræ autem oculi partes omnes sunt inseruientes; ac propterea nequaquam sunt principalia instrumenta, sed secundaria; quæ tamen instrumenta visionis dicuntur; quoniam licet spiritus, & humor crystallinus sint optimè disposita, si hæc male habeant, visioni officiunt. Quemadmodum autem hæc instrumenta secundaria, licet conferant ita visioni, vt sine his non possit fieri visio; non tamen dicuntur principalia; quia crystallino inseruiunt; pariter, si primum instrumentum, quod, conferamus cum primo instrumento, in quo, quoniam illi inseruit, cum hoc habeat rationem materiæ, illud autem formæ, nequaquam princi-

pale dicendum fuerit, sed inseruiens; vnde inter duo hæc prima visionis instrumenta, magis principale erit spiritus; humor autem crystallinus erit potius inseruiens, vt enim spiritus visivus rectè operetur, requiritur crystallini humoris optima temperies, & dispositio, qua vitiata, vitiatur & visio. Hæc eadem comprobantur in casu nostro; cum enim facultas sanguificandi proprium munus, per propria instrumenta peragere debeat, alterum habebit principale instrumentum quod, alterum habebit in quo. Primum est calor innatus; secundum est hepar, cuius ratione quandoque à Gal. dictum est, sanguificationem fieri per calorem innatum; quandoque autem sanguificandi munus solum ad hepar spectare. Quæ duo si inuicem comparentur, nulli dubium quin calor innatus sit magis principale sanguificandi instrumentum; cum huic inseruiat hepar tanquam subiectum, in hoc enim vigens calor iste operatur, pro ratione status, & constituitionis hepatis; sicuti enim spiritus visivus per crystallinum, pro eius conditione, operatur, vt si bene dispositus sit, bene, si male, male visionem efficiat; ita calor innatus in hepate sanguificationem, pro ratione eius dispositionis perficit; si enim temperatum, & optimè constitutum sit, optimè sanguificabit, si autem intemperatum, & male dispositum, pro ratione intemperiei, & prauæ dispositionis, malè operabitur, sanguinemque eius constitutioni proportionatum generabit; vnde si sit temperatum, sanguinem temperatum, & benignum; si calidius, sanguinem biliosiorem, si multò calidius, adustum, si frigidius, pituitosum generabit. Hæc verò est Galeni sententia Lib. 2. de Natur. Fac. Cap. 8. vbi de generatione humorum, & diuersi sanguinis tractans, hæc habet. *Demonstratum est enim ijs, alimentum, dùm in venis ab innato calore alteratur, sanguinem ex mediocri, & moderato calore fieri; reliquos vero succos ex immoderato.* Et quidem nulla alia de causa, nisi quoniã hepatis temperatura inseruit tanquam instrumentum calori innato in sanguificatione, vnde pro varietate temperaturæ, varia etiam sequitur sanguinis, & humorum generatio, quod indicat, temperaturam non esse principale instrumentum sanguificationis, sed inseruiens, & secundarium; cum ab hoc sanguificationis diuersitas, à calore autem innato simpliciter sanguificatio proueniat. Quemadmodum enim citharœdus, ad bene, & simpliciter citharizandum, indiget facultate citharizandi, citharizatione, principali instrumento, quod, & altero minus principali, quod diximus in quo; quorum primum est habitus in potentia animæ, secundum est actio, & operatio propria eiusdem habitus; tertium est manus, instrumentaliter primo citharizans; quartum est cithara ipsa in qua citharizat; pariter natura in sanguificatione quatuor eget; quorum primum est facultas sanguificandi, quæ est potentia animæ vegetatiuæ; secundum est eiusdem actio, quæ est sanguificatio ipsa; tertium est calor innatus, primò, & per se instrumentaliter sanguificans; quartum iecur ipsum, in quo fit sanguificatio. Sicuti autem, vt citharœdus rectè citharizet, habitum citharizandi, & manum ad hoc dispositam habens, præter hæc requirit vt cithara secundum partes similares, & instrumentales sit optimè disposita, alias his male habentibus, pro ratione vitij, vel partium simila-

similarium, vel instrumentalium, male etiam proportione citharizabit; ita etiam natura, ad rectè sanguificandum, præter facultatem propriam, & calidum innatum, requirit vt hepar, secundum partes similares, & organicas optime sit dispositum, alias his malè habentibus, pro ratione, vel intemperiei partium similarium, vel vitij organicarum, iuxtà proportionẽ, male suo munere fungetur. At quoniam hepatis vitia sanguificationem non vitiant, nisi quatenus eius temperiem immutant; ideo sanguificandi munus in hepate, vitiabitur primò, & per se, ratione intemperiei; cuius causa hi iecoris primi morbi dicuntur. Quapropter concludo, primum, & magis principale sanguificandi instrumentum esse calorem innatum, vt quod agat; hepar autem esse principale quidem, sed minus, vt, in quo à calore innato fit actio. Et quoniam hepar, prout cæteræ omnes particulæ, ad rectum munus obeundum, vt rectè scil. inseruire calori innato possit, certa, & recta temperie donatum esse debet; ideo eius temperies, vel intemperies faciet ad rectam, vel prauam eius actionem edendam. His constitutis, liquet, facultatem esse distinctam realiter à temperamento, nec facultatis essentiam in hoc consistere. Si autem Galenus visus sit aliter docere, hæc causa fuit; quia cum Medicus sit artifex sensatus, & ab euidentibus curationes indicatiuas desumere debeat, vt in simili casu fecit, Lib. 12. Meth. Cap. 7. de dolore agens, cuius cum vnica sit causa, manifesta sectatus, duas tamen proposuit; ideo essentiam facultatis in temperamento posuit, non quia facultas sit temperamentum; sed quia semper, pro ratione temperamenti agens, vt si bonum sit temperamentum, benè, si malum, malè operetur, manifeste, & ad sensum videtur consistere in temperamento; cum tamen ab eo essentialiter differat. Quam essentialem differentiam non distinguebat Galenus, quoniam cum Medicus sensu duci debeat, nec intimius substantias perscrutetur, & præcipuè animæ (cuius essentiam ignorare sæpius se fatetur Galenus ipse) potentias, & facultates, ad earum essentiam declarandã, ex sola virtutum læsionis colligens, & earum facultatum operationes, pro ratione læsionis varias esse videns, atque læsionem hanc primò vitio temperamenti prouenire; ideo censuit facultatum essentiam in temperamento consistere, non quod temperamentum sit facultas; sed quia facultas variè operetur, iuxtà diuersitatem temperamenti; atque adeo, quando Lib. 1. de Præsag. ex Puls. dicebat, facultatis essentiam in commodo consistere temperamento, intellexit facultatem esse bene operantem, quando membra ei inseruientia commodo gaudent temperamento. Eodem autem volumine Lib. 2. dum dicebat, facultatum essentiam nil aliud esse præter qualitatem temperamenti, intellexit facultates nullo alio modo operari, quàm per qualitatem temperamenti; pro vt enim est temperamentum, ita etiam operatur facultas; si enim temperatum est, bene; si intemperatum, pro ratione intemperiei, malè agit, ita vt modo minus, modo male, modò nihil omninò operetur. Quod autem hæc sit Galeni sententia, perspicuum est, si considerentur adducta in contrarium, & præcipuè, ex Lib. 1. de Natural. Fac. Cap. 3. dum dicit. *Ac mihi quidem, tum vena, tum reliquarum particularum singulæ, ob certam quandam*

dam intemperiem, quàm ex qualitatibus sunt nactæ, hoc, vel illo modo agere videntur. Nam hic clarè docet, diuersitatem actionis pendere ex vario temperamento. Quod repetit Gal. Lib. 2. de Natural. Fac. Cap. 8. dum functiones pro temperamenti vitio, vitiari, & proportione, pro temperamenti vitio, læsionem pati docet. Cap. autem 9. locutus de perfecta actione, imperfecta enim non à certa, sed ex varia potest prouenire temperie. Eodem sensu dicebat, Lib. de Multit. facultatum substantiam, quibus reguntur, proprietatem esse temperamenti. Et Lib. 3. de Loc. Aff. Cap. 7. facultatum essentiam in particularibus partium temperamentis consistere; quoniam si temperatæ sint, optimè suo munere, ac rectè funguntur; si intemperatæ, pro ratione intemperiei, sequitur noxa; non quidem quod facultas sit illud temperamentum; sed quod temperamentum inseruiat calori natiuo, cuius ope facultas sanguificans, primo, & per se operatur. Ex quibus patet, quod sanguificationis operatio, potius à Medico adscribenda est calori innato, quàm iecoris temperamento; vnde iurè sancitum est, sanguificationem fieri à calore natiuo, tanquam à principali instrumento. In qua sententia conueniunt Hippocrates, Plato, Arist. Praxagoras, Philotimus, & Galenus ipse. Quibus suppositis, nunquam intercidet sanguificationis munus, nisi hoc calido extincto; quamdiù enim hic pollet, semper generabit sanguinem, licet diuersum, pro ratione diuersitatis temperamenti hepatis; si autem exuperans adeo sit in eo intemperies, vt inde calor innatus extinguatur tunc, munus sanguificandi intercidet; pariterque, si ex aliqua plenitudine suffocatur, vel ex superuacua euacuatione imminuitur, sanguificationis munus labefactabitur; vnde hydrops succedet, qui ex nulla potest iecoris intemperie induci, nisi adeò intensa, vt calorem hunc extinguere sit apta. Hæc autem caloris extinctio fit positiuè à suo contrario, vt à frigiditate; fit autem priuatiuè, vel à plenitudine suffocante, vel ab euacuatione immodica imminuente, vel ab intemperie calidiori resoluente. Simul verò cum eadem caloris extinctione, adest intemperies positiua, iecur refrigerans; cum ista autem est frigiditas priuatiua, ex caloris imminutione inducta; quoniam hinc iecur refrigeratum est, non quia accesserit in eo temperies aliqua; sed quia subductus est calor, quo deficiente, refrigeratio partis sequitur. Differt autem positiua frigiditas à priuatiua in hoc, quod positiua frigiditas non admittit intemperiem oppositam, videlicet calidam, nisi sit inæqualis; at cum priuatiua potest consistere, & intemperies calida, & inflammatio in iecore ipso, prout ex Hipp. & Gal. colligere est Lib. 2. Progn. Tex. & Com. 2. & 3. Et Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 1. Differunt etiam, quod positiua frigiditas in hydrope, non tantum extinctionem caloris innati infert; sed etiam intemperatum ad frigidum reddit hepar, positiuam frigiditatem ipsi inducens. At priuatiua frigiditas significat tantum caloris innati extinctionem, non autem vllam iecoris intemperiem; quia simul cum priuatiua frigiditate potest consistere calida intemperies; & summatim in hoc differunt, quod frigiditas positiua, est iecoris intemperies frigida, quæ potuit calorem eius innatum abolere; priuatiua verò est natiui caloris imbecil-

litas

litas eius extinctionem consequens; non autem vlla iecoris intemperies; iam enim explicatũ est, quomodo differat hic calor à temperamento; quod tamen temperamentum temporis diuturnitate poterit tandem permutari ad frigidum positiuè, si causæ immodicè calefacientes, vel arte, vel natura, resolutæ quidem, non tamen calore innato reuiuiscente, & instaurato, fuerint. Sed antequam hoc accidat, dubium esse potest, quomodo fieri queat, vt stante iecoris, vel intemperie calida, vel inflammatione, iecur, iam sanguificandi munere intercidente, possit, vel flatum, vel aquam, vel phlegma aquosũ producere; si enim, vt habetur ex Gal. Lib. 3. de Caus. Sympt. Cap. 1. magnæ intemperies, virtutem deijcientes, si ex frigido exuperante fiant, frigidos affectus; si vero ex calido, contrarios excitare sunt idoneæ, præsente calidiore iecoris intemperie, & eo supra modum incalescente, quomodo poterunt succi frigidi, quales in hydrope gignuntur, nec potius calidi, seu biliosi, seu adusti generari? At sciendum est, illam Galeni sententiam intelligendam esse de qualitatibus, & intemperiebus positiuis, non complicatis cum priuatiuis; frigidæ enim intemperies positiuæ, solum frigidos succos; calidæ calidos generant. At vbi sit altera positiua, altera priuatiua, vt in casu nostro, ratione priuatiuæ possunt produci humores, & succi frigidi, quod fit deficiente calore naturali; ratione autem positiuæ, potest generari bilis; vnde dicebat Galen. Lib. 2. Progn. Com. 2. quod in hydrope, ex ilibus, & lumbis originem trahente, fit alui fluor, ex bilis copia à calore partium, quæ inflammatione vexantur; cum tamen deficiente calore naturali, sanguificatio interciderit. Quare non implicat, generari succos frigidos in hydrope, iecore licet intemperie calida laborante; cum huius intemperiei ratione, succi frigidi non producantur; sed quia imminuto calore natiuo, hepar tunc priuatiuà frigiditate frigidum, amplius non est aptum generare sanguinem; quod autem apud Galenum, præter casum præsentem, detur ista frigiditas priuatiua, citra positiuã, plures sunt loci; quorum tamen hos adducam, explicationis vberioris causâ, Gal. Lib. 5. Meth. Cap. 7. hæc habet. *Scire autem licet, solidorum corporum siccitatibus, si perdurent, succedere necessariò frigiditatem; quippe permanere siccitas ipsa per se, non mutata oppositione, quæ ex calido, & frigido consistit, non potest: celeriter enim ex nutritionis defectu refrigerantur partes, propterea scilicet, quod ex calido succo sanguinis nutriantur.* hæc Galenus. Ex quibus clare apparet hanc diminutionem caloris, quid priuatiuum esse, quoniam scilicet, ob siccitatem, non nutritis solidis partibus, calor proprius exoluitur; non autem quod positiua qualitas frigida inducatur. Hoc idem dilucidè habetur ex Lib. de Caus. morb. Cap. 3. quo loco, inter causas refrigerationis, enumerat nutritionis defectum, vel paucitatem, nimium, vel motum, vel otium; ex his enim non positiua inducitur frigiditas; sed calor, vel imminuitur, vel extinguitur; quod testantur Galeni verba, comparatione ignis cum calore nostro, ita dicentis. *Quod si nihil omnino, aut parum admodum adieceris, ob defectum, ac paucitatem alimenti, videbis omnino marcescere.* Non dixit Gal. refrigerari ligna; sed marcescere calorem, scil. calorem imminui; quod & eodem loco docet, de immodico, vel motu,

tu, vel otio, quibus calor quidem elanguescit, non tamen inducta frigiditate positiua. De hac caloris imminutione, absque frigiditate positiua, locum etiam habemus Lib. sec. Aphor. Comment. 20. vbi fit sermo de ore ventriculi, & de appetentia, vel inappetentia mutata, secundum ætatis decursum, alijsque pluribus in locis. Quare non refragatur Galeno distinctio ista frigiditatis positiuæ, & priuatiuæ; quæ priuatiua frigiditas in casu nostro, constituitur per caloris innati diminutionem, vel extinctionem, ob quam hepar, non sanguinem amplius, sed vel flatum, vel aquam, vel pituitam aquosam generat. At sciendum est, cum in corpore nostro, aliquando, sicut in casu hydropis, sæpius generatur, vel flatus, vel aqua, vel phlegma aquosum, quod hi humores non eiusdem conditonis sunt, & naturæ, ac qui calore innato vigente, ex alijs causis gignuntur; in his enim plurimum spiritus naturalis abundat, quod non fit in illis, vt patet de flatu; hic enim dum calor ingenitus pollet, adeo spiritu turget, vt cum ex proprio loco non erumpit, maximos cruciatus, & dolores inuehat; qui autem gignitur in tympanite, potest quidem, ratione extensionis abdominis, esse molestior, cum copia præpolleat; non tamen atroces adeò dolores inferre quales flatus, vi spiritus eruptionem tentans, ac partes diuellens, vel in colicis, vel in vterinis affectibus, vel in ventriculi passionibus, vel alijs locis, inducit. Hanc eandem differentiam comprobat casus Hipp. propositus Lib.4.Aph.11. nam flatus cũ spiritu circa vmbilicum, & lumbos inclusi, cum nec à medicamentis, nec aliter soluantur, Tympanitem inducunt, & tormina ingentia, & quidem ante eius generationem; oborto autem Tympanite, non amplius eo dolore admodum cruciantur patientes, cum tamen tunc copiosior generetur flatus, ob hanc causam scil. quoniam spiritu hi carent, illi autem eo turgent. Quare, non eiusdem generis flatus fuerit hic genitus in hydrope, ac qui in alijs gignuntur passionibus, & morbis; quod & in phlegmate aquoso locum obtinet; quod enim generatur ex alijs causis, sicut vel ex erroribus victus, vel ex intemperie membrorum internorum, dum viget calor innatus, pluribus spiritibus scatet; quorum causa aptum est coctionem à natura subire, atque in sanguinem, excreta parte serosa transmutari; at genitum in Anasarca, quia his spiritibus caret, ideo coctioni ineptum est, nec quicquam à natura patitur, fitque admodum fluxile; vnde licet partibus solidis apponatur, non tamen, nec agglutinatur, nec assimilatur; vt habet Gal. Lib. 1. de Naturalibus Fac. Cap. 11. Quò autem ad aquam in ascite genitam, hoc sciendum, quod serosi, & aquosi humoris productio in corpore nostro, dum naturaliter fit, nullam aliam habet materiam, præter partem aqueam, vel alimentis admistam, vel potulentam, à qua ex naturæ præscripto generatur vrina, sudor, & ichores humorum: Vbi verò præter naturam fiunt, hoc, vt habetur Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 1. euenit, vel ex facultatis alteratricis læsione; vel ex ciborum vitio. Hi verò eandem materiam apti sunt generare, qui crudioris, & aquosæ sint substantiæ. Alteratrix autem facultas tunc læditur, cum ex aliqua intemperie immodicè immutatur, ob quam alterationem proprium finem

con-

consequi nequit: tunc autem gignit aquosos humores, cum in frigidius mutata est; quod tamen non est perpetuum, cum etiam serosi, & aquosi humores, ratione caliditatis immodicæ produci possint; vbi enim exuperat succos, qui in venis sunt, colliquans eos, in serosam substantiam immutat; vt patet exemplo apud Gal. Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. Vnde subiungebat, Cap. 3. sub finem. *Calor adauctus validius alterat, modò tamen non eo incrementi perueniat, vt iam colliquet; tunc namque ad omnia est inutilis*. Serosi igitur humores generantur vitio intemperiei, tùm calidæ, tùm frigidæ; verum in eo differunt, quod ex calido, fiunt acres, & praui, & calidi; ex frigiditate autem fiunt morsu carentes, & frigidi; cuius ratione Galenus lib. 6. Epid. sect. 2. Com. 39. dicebat, ex Plat. ichorem sanguinis, quoniam hic ratione moderati caloris gignitur, esse mitissimum, mordacem, & acerbissimum ab atra bile; hæc enim ex ustione generatur, minus acerbum à bile flaua; quoniam hæc à minori fit calore; & quidem multo minori quam pituita; cum hæc ex imminuta fiat caliditate; adeò vt ex hac exuperante, quoniam frigidior est, homines fiant pauidi, & timentes; ex illis autem, quoniam calidi, fiant vigiles, delirantes, & aliquando furentes. Dum autem generantur ichorosi, & aquosi humores à calido, calidiorem intemperiem seruant, & inde serosi humores hi, ex colliquatione, & immisti atræ, & flauæ bili, ac pituitæ salsæ, sunt calidi; qui autem à frigido fiunt, frigidam intemperiem retinent. Quoniam autem in ascite nunquam fit aquæ generatio, ratione intemperiei calidæ, sed frigidæ potius, licet priuatiuæ, ideo aqua in hoc ex se est frigida; nisi tamen diuturnitate, & mora, quam longam trahit in abdomine, aliquam concipiens putredinem, tandem incalescat, & salsedinem contrahat, vel eandem temperiem acquirat, quando simul cum frigiditate priuatiua iuncta est intemperies hepatis calida; quam hydropis sufficientem causam declarauimus. Hæc verò aquosa materia genita in ascite, longe differt à prædictis, tum ratione materiæ, tum ratione agentis, tum ratione substantiæ. Ratione materiæ; quoniam in illis, quæ naturæ lege, & vigente calore innato fiunt, materia ichorosa generatur ex parte aquosa potulenta, vel alimentis admista; at in ascite, ex materia alimentali, idest ex ea alimenti substantia, quæ in sanguinem, ac proinde in propriam corporis essentiam, & nutritionem immutari deberet, ratione agentis; quoniam in illis seruatur calor innatus, licet intem peries frigida positiua iecoris, & membrorum adsit; at in ascite adest frigiditas positiua in iecore, ex caloris innati extinctione, cuius gratia vis sanguificandi intercidit; ratione autem substantiæ, quoniam aquosi humores in ascite sunt crassioris substantiæ; in illis autem sunt tenuioris: aquosa enim materia hydropis, respectu vrinæ, sudoris, & ichoris sanguinis, & aliorum humorum, sensui satis manifestè crassior apparet; quinimo in quibusdam est adeo crassioris substantiæ, vt non videatur aqua; sed lactis ferè substantiam æmulatur, ad eòque pondere grauat, vt illis collata longè sit ponderosior omni alia, vel aqua, vel ihore in corpore genitis. Quare sicuti flatus, & aquosum phlegma hydropicorum differt à cæteris, pari ratione differt etiam aquosa materia, in ascite genita.

Inter

Inter hydropis causas antecedentes, enumerat Auicenna *paruitatem hepatis*. Sed qua ratione hinc succedat hydrops, non explicat, idque forsan, quoniam paruum hepar proprium nutrimentum conculcat, ex quo temporis processu, cruditatibus congestis, & eo non liberè difflato, sequitur intemperies frigida, ex qua hydrops; quod tamen fieri non potest, nisi supra vires iecoris immodicum assumatur alimentum: si enim proportionatum sit, nihil tale ex hepatis paruitate succedere poterit; cuius ratione, hac de causa, à nemine, præterquam ab Auicenna facta est mentio.

Inter easdem causas, recenset *duritiem siphac*. Pro quo sciendum est, quod non tantum peritonei durities; sed & omenti, apta est hunc morbum inducere, vt aliquando experientia mihi compertum est; in quo Auicennæ diligentia est animaduertenda, qui hanc rem à ceteris scriptoribus non consideratam proposuerit. Sciendum tamen est, quod durities huiusmodi, ante productionem hydropis, solent diù durare, affliguntque patientes, non dolore, sed grauitate, & compressione; cum autem diù perstiterint, tandem hepar ipsum refrigerantes, & comprimentes, deducunt patientem ad hydropem. Solent autem durities, & scirrhi in his partibus; videlicet omento, & peritoneo, aliquando ad tantam magnitudinem augeri, vt omenti crassities duos digitos excedat, aucto quinetiam simili ratione peritoneo, licet non æquet omentum. In huiusmodi verò scirrhis, æqualis est totius ab dominis durities, venterque prominet adeò, vt omnes ventricosi appareant. Dignoscuntur autem ab inuicem; quoniam scirrhus peritonei est admodum vniformis, vt videatur totus læuis; scirrhus autem omenti est inæqualis quodammodo ad tactum; atque hic est profundior, quàm ille. Dixi hos scirrhos non esse dolentes, & quidem iuxtà naturam aliorum scirrhorum; sciendum tamen est, in his sæpe varios in abdomine contingere, & graues dolores; tum à copia flatus, tũ materiæ vaporosæ; nam ob densitatem, & duritiem eorũ tumorum non fit difflatio; vnde hæ materiæ conclusę, extensione has partes vellicant, & continuum soluunt, ac molesti, & varij dolores suboriuntur. Hæc autem omnia diligenter animaduertantur; quoniam huiusmodi affectus, doloribus ingrauescentibus, vel nobiliores Medicos maximè ancipites habuerunt, non animaduertentes horum scirrhorum conditionem. Qui scirrhi si à principio obseruentur à Medicis, poterunt curari, quorum inueteratorum iam, & auctiorum nulla amplius speranda curatio, quin potius ægrotantes diù excruciati medicamentis, tandem, vel ad hydropem, vel ad mortem præcipitantur. Hoc notasse volui; quoniam nullus scriptorum de his scirrhis verba fecit.

Verum quoniam alius textus in hoc loco habet, *durities siphac, continentis ipsum*. Quibus verbis, videtur Auicenna loqui, non de peritoneo, sed de membrana hepar ipsum obuoluente, in hoc sensu hoc etiam adnotabo, quod scirrhus in membrana hepatis, est quidem aptus inducere hydropem; non tamen hoc perpetuum est, sed tantum temporis diuturnitate; perdurant enim huiusmodi scirrhi ad annos, antequam ad hydropem

patien-

patientes deducant. Quare datur tempus, & occasio curandi eos, & prospiciendi ne hinc ægrotantes in hydropem delabantur.

Recensens hydropis causas per consensum, inquit. *Aut sunt per communitatem cum corpore toto, ita vt calefiat sanguis eius valde.* De quo notandum, quod licet declaratum sit ex Gal. & Auicen. hydropem posse fieri ex calida iecoris intemperie; attamen non ita compertum est fieri hydropem ex calida totius corporis intemperie, absque hepatis propria læsione, vel ex propria inflammatione, seu partium circunstantium, & ei consentientium; de quibus Hippocr. Lib. 2. Prognostic. Tex. 1. vel ex causa externa, potu scil. vini vinosi, vel ex alia causa potissimum iecur ipsum lædente. Quamuis autem non alienum videatur, consentiente hepate toti corpori æstuanti posse fieri hydropem; non tamen hoc sensus dictat, nec in febribus ardentibus, nec in alijs æstuosis affectibus, nisi accesserit error inuictu, vel in eo morbo laboret, aut hepar, vel partes ei consentientes. Quare nisi quid proprium adsit in corporis feruore, quod ad hepar spectet, non succedet hydrops.

Enumerans causas, quibus hepar languidum redditur, vitio splenis, inquit, alteram esse, *quando splen multum attrahit ex hepate.* At cum splen solum attrahat fęculentum sanguinem, quique grauis, & noxius hepati esse potest, quomodo ex hac attractione languidius hepar reddetur? Verum hoc solum Auicennam auctorem habet, atq; adeò pro commento habendum.

Quod possit fieri hydrops per consensum à renibus, vel incalescentibus nimium, vel admodum refrigeratis, hinc male affecto iecore, & eius calore innato expugnato, verum quidem est; at quòd, cum oppilationem patiuntur, indeque serositatem attrahere nequeant, fiat hydrops, falsum omnino: hoc enim (quod exscripsit à Galeno Lib. 3. de Caus. Sympt. Cap. 2.) non admittitur de hydrope, vt alias scripsi; quamuis dixerit Galenus, hanc dispositionem ad hydropem inducere.

Quando proponit causas hydropis, ex intestinis, & adscribit dolorem, *sicuti in colica, & alijs similibus casibus*, alludit ad sententiam Hipp. propositam Lib. 4. Aph. 11.

In reprobanda Galeni sententia, adducta Lib. 2. Progn. Com. 1. in expositione Hippocr. mirum quomodo Auic. qui neminem immeritò damnare sit assuetus, nulla ratione rotundo ore dixerit. *Et hic est sermo non bonus.* At vel longè fallitur Auic. cum hæc Gal. sententia, & sensu, & Hipp. authoritate confirmetur; vel Textus præsens corruptus est, pro affirmatiua proponens negatiuam.

Indicans Auic. quæ ex tribus hydropis speciebus sit deterior, contra ordinem Rasis inquit 1. *ascitem omnium deterrimam*, 2. *Tympanitē*, 3. *Anasarcam.* At Aetius, primum locum adscribit Tympanitidi, secundum Asciti; Verum fortasse vterque nititur veris, & proprijs rationibus: nam ratione causæ, ascites est deterior tympanitide; cū ab intensiori generetur frigiditate; vt habetur ex Gal. Lib. 4. Aph. Com. 11. At ex modo curandi, tympanites est ascite deterior; cum magis obsistat medicamentis, & difficilius curetur tympanites ascite ipso; quinimo ex tympaniticis paucissimi sanantur,

Z cum

cum ex asciticis plures liberentur.

Et scias inquit Auicenna, *quod fluxus ventris in hydropisi mortalis est.* At ex Hipp. Lib. 6. Aph. 14. *Ab aqua inter cutem habito, si aqua è venis in ventrem defluxerit, soluitur morbus.* Quare vel deceptus est Auicenna, contradicens Hipp. vel per *fluxum ventris,* non intelligit aquæ, nec materiæ peccantis fluxionem; vnde Cap. sequenti dicebat, iuxtà sententiam Hipp. *Et quando expellit natura ex hydropico aquositatem, hydropisis per se ipsam, significat euasionem.*

Cap. V. Duos potissimos scopos habet Auicenna in hoc Cap. quorum primus est, docere, cur in ascite aqua colligatur in cauitate abdominis, intra peritoneum; secundus, tradere causas collectionis eiusdem aquæ. Ad primum quæsitum tripliciter respondet, dicens hoc fieri, *aut secundum semitam resudationis, aut secundum semitam scissuræ quorundam meatuum, qui preparati sunt cibo ad hepar, aut secundum semitam transumptionis huius materiæ ad vas vmbilicale, per quod fœtus in vtero vrinam in proprias membranas expurgat.* Resudationem autem duplici ex causa fieri posse monet, videlicet, aut per separationem copiæ vaporum, ex multa materia cruda eleuatorum, quos in aquam natura, ex coarctatione loci, idest, quia extra peritoneum non possunt difflari, sed ab eo coarctantur, & retinentur, conuertit. Aut propter vehementiam expulsionis non vniuersalis, ipsius hepatis, quod cum non possit eas materias, per naturales, & consuetos meatus, ob propriam imbecillitatem transmittere, cogitur easdem ad cauitatem ventris expellere, in qua cauitate ea ratione colligitur aqua, vt intra omentum, & peritoneum contineatur; non enim intra omentum permeare potest, nisi eo exeso, & disrupto; cuius transmissionis materiæ ab hepate ad dictam cauitatem, non est magis admirandus modus, quàm sit puris extra ossa, quæ sunt magis dura, & densa; si autem in his resudat pus, quod est crassius aqua, non mirum admodū fuerit, quod aqua possit resudare ab hepate ad abdominis cauitatem. Et hæc de primo responso. Secundum consistit in hoc, quod ex meatibus destinatis cibo ad hepar, quales sunt venæ meseraicæ, vel vena portæ, hæ aliquam scissuram patiantur, cuius ratione resudans aquositas, antequam ad hepar perueniat, in ventris cauitatem deriuatur; quæ tamen scissura, minima, & leuissima esse debet, alias simul cum aquositate sanguis etiam permearet. Tertium (quod fuit Rasis) tale est, videlicet, quod aquositas genita in iecore, transmittitur, & effunditur in vas vmbilicale, per quod fœtus in vtero ex vesica expurgat lotium, in allantoidem membranam; quod fit, quoniam cum propter obstructiones cęterarum viarum, & impedimentum virtutis expulsiuæ aliarum partium, non possit hæc materia super iecur transfundi, recipitur in huiusmodi vase, quod cum eius copia amplius fiat, & laxius, ac proinde tantum dilatetur, vt aperiatur, & scindatur, quoniam nec ex parte superiori ad vmbilicum, nec ex parte meatus ad vesicam, pateficri, & transmittere materiam potest, ideo hæc necessariò in cauitatem abdominis descendit, indeque tumorem hydropicum excitat. Atque hæc de primo quæsito; quæ exponenda duxi, quoniam non ita videntur clara Auicennæ verba.

Quo

Quo autem ad secundum, inquit, quod *causa aggregationis aquositatis, aut est ratione virtutis separatiuæ, aut ratione materiæ separatæ, aut ratione viarum*; Ratione virtutis separatiuæ aggregatur aquositas, cum pars serosa non separatur à sanguine; quod duplici de causa contingit. Primo quidem, vel ex sola debilitate virtutis expulsiuæ hepatis, vel solum ex debilitate virtutis attractiuæ renum, seu ex vtrisque copulatis. Debilitas expulsiuæ facit vt sanguis serosior generetur; debilitas autem virtutis attractiuæ renum facit vt sanguis à serositate non expurgetur; præcipuè autem cum impotentes ad attrahendum sunt renes; vel cum viæ ad eos fuerint obstructæ; vel ipsi fuerint scirrhosi: non enim tunc possunt excipere aquositatem in corpore proprio, & viæ obstructæ huic reluctantur; atque tunc necessariò exuperante serosa, & aquosa materia, fit modus quidam generationis ascitis, quæ species propterea fit ex sola debilitate, & ægritudine renum. Ratione autem materiæ separatæ, hoc fit; vel quia materia est copiosa vsque adeò, vt eam virtus separare non possit; vel quia fit crudior, & indigesta. Plurima adest, ex duplici causa aquositas. Prima propter plurimum potum aquæ frigidæ, ob intensam sitim; aut propter intemperiem calidam hepatis, aut propter aliam aliquam causam, sicuti propter exercitium validum sitim excitans, aut propter obstructionem validam, cuius ratione non attrahitur ad hepar tanta potus quantitas, quæ possit ipsum refrigerare, ac proinde sitim tollere; vnde fit continua sitis, quamuis plurimus hauriatur potus; quod etiam fieri potest ratione aquæ epotæ, vel quia non sit frigida, sed calida, & ideo inepta ad extinguendam sitim; vel quia habeat qualitatem aptam excitare sitim; prout si sit salsa, vel nitrosa. Secunda autem fit ex indigestione cibi humidi, qui crudus, & incoctus, plurima etiam humiditate replet corpus, & vasa, & inde deducit corpus ad hydropem, & quidem ascitem. Ratione vero viarum hoc contingit, quando in ipsis sunt apostemata, & obstructiones, quorum ratione aquositas ad vias proprias persuadere cum non posit, necessario transmittitur ad aliam partem potius, quàm ad viam propriam. Et hæc quoad solutionem secundi quæsiti; reliqua autem proposita in hoc Cap. spectant ad prognosticum.

Sed circa prædicta multæ insurgunt difficultates: nam quoad primum quæsitum, cum primo proponitur exsudatio facta, vel ex conuersione vaporum in aquam; vel ratione vehementiæ virtutis expultricis, neutrum videtur posse fieri: namque, licet vaporum in aquam conuersio posit admitti iuxtà rationem, tamen quod ex chylo in hydrope solum generentur vapores, ex quibus postea in cauitate abdominis fiat aqua, non humores, non consentaneum rationi videtur. Præterea, cum generatio ascitis in quibusdam cito fiat, hæc generatio probare videtur aquam ex alia genitam esse causa potius, quàm ex vaporum permutatione; quoniam ad copiosæ adeo aquæ generationem non sufficeret multo maior vaporum copia, quàm in corpore humano eleuari posent. Quo autem ad vehementiam expulsiuæ virtutis, nequaquam hæc in hepate, præsente hydrope valida esse potest; cum enim virtus expulsiua, vt habetur ex Gal. Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 3. sit valida, ratione siccitatis; in hydrope autem hepar potius

ad intemperiem humidam declinet, non videtur posse in ascite expultrix virtus esse valida, alioquin non ad viam præter naturam, sed ad naturalem potius materiam transmitteret.

Quoad secundam solutionem, cum proponitur scissura meatuum, cibo ad hepar, destinatorum deducẽdo duo contrarium suadere videntur. Primo quod hæc causa est contra principia Galeni, & eiusdem Auicennæ, qui docuerunt, hydropem fieri ex iecoris affectu, non ex istorum meatuum scissura. Secundò, quia si scinderentur meatus isti, aqua intra omentum, non intra peritoneum colligeretur; quod Galeni Lib. 7. Aphor. Comment. 56. sententiæ, & ijs, quæ hic à Galeno mutuatus docuit Auicenn. è directo opponitur.

Contra tertiam responsionem, quæ à ratione maximè omnium aliena est, hæc faciunt. Primo quod Vrachus in adultis adeò est exiccatus, & imminutus, cum eius vsus solum fuerit, dum fœtus est in vtero, vt nihil in eius cauitatem possit admitti; secundo, quod licet foret aptus aliquid intra se suscipere; attamen, si ad eum ex iecore transfundi materia deberet, prius aqua in cauitate abdominis, quàm in vrachum effunderetur; cum hoc vas immediatè non attingat iecur; mediaque adsit inter ipsum, & iecur abdominis cauitas.

His autem positis, videtur adhuc quærendum, qua via colligatur materia aquosa intra cauitatem abdominis in Ascite. Cuius quæsiti cum causam manifestam non habeamus, dico, eam ita anxiè quærendam non esse; non enim in omni euacuatione, & expulsione à natura facta, manifestos, & euidentes ductus habemus; nam multa per insensibilia loca educit, vt quando viam præbet puri ab interna ossium parte ad externam, & non solum ad externa ossa, sed extra cutim quinetiam, & per carnem, & cutim sanam educit (vt habet Gal. Lib. 7. Aph. 55. & pluribus alijs in locis) sanguinem in ossibus, quæ fracta occaluerunt. Quapropter cum natura habeat plura insensibilia loca, & quæ visu percipi nequeant, per quæ multa euacuat, & transmittit, non sunt quærenda in omni expulsione, nec certus modus, nec certa via; prout in præsenti casu moneo faciendum; cum expulsionem hanc sensu, non tamen modum, ac viam eius deprehendamus. Quare concludendum fuerit, quod hæc aqua colligatur in ascite, intra peritoneum, & cauitatem abdominis; quoniam vbi in iecore genita fuerit, per cœcos, & insensiles meatus eò à natura transmittitur.

At contra hanc propositionem tria deducens Ioannes Fernelius, diuersam à prædictis proponit sententiam. Primò enim inquit, quod si adessent meatus illi cœci, & angusti, per quos in ascite transfunditur aqua in cauitatem ventris, omnes hanc hydropis speciem paterentur; quoniam omnes natura habent hos meatus. Secundò, si hi meatus adessent, natura nullo vsu alias vias, & ductus deducendis humoribus destinatos constituisset; cum ex his aliæ materiæ transmitti potuerint. Tertiò, hoc experientia arguit, quod scil. his, quibus vrina per 20. dies suppressa fuerit, nihil aquæ per hos ductus in abdominis cauitatem effusum fuisse compertum sit; quod non fieret, si cœci illi, & angusti meatus, per quos materia in ascite trans-

mitteretur intra cauitatem abdominis, adessent. Quare subdit, hanc aquæ collectionem intra peritoneum, non aliam habere causam, quàm scissuram vasorum hepatis; his enim exesis, & ruptis, exudat continuò materia serosa, quæ extra illa vasa effusa, in cavum abdominis spatium recipitur; & quidem, quoniam dictorum vasorum scissuram sequitur quinetiam membranæ iecur ambientis ruptura, ex qua in cauitatem abdominis aquosa materia exstillat, ad quam (inquit) causam alludit Hipp. Lib. 7. Aph. 56. cum habet. *Quibus hepar aqua plenum eruperit in omentum, ijs venter aqua repletur*. Repleri autem non potest, nisi ea sit disrupta; quoniam ea integra permanente, materia extra ipsam transfundi non potest; sed ex eadem tantum vesicæ aqua plenæ in dicta membrana excitarentur. Quapropter ad ea solum, quæ iecur adeo exiccare, & arefacere, vt inde scindatur, possunt, causas ascitis, reducit. At hæc opinio nequaquam est amplectenda, tum quoniam sensui repugnat, cum experientia constet, plurimos in ascitem delabi, ex solo potu aquæ frigidæ, necnon vel ex medicamentis, vel ex cibarijs, & pluribus alijs causis admodum refrigerantibus, quæ tamen iecur exiccare nequaquam possunt; tum quoniam hinc ascitis curatio foret impossibilis, cum membranæ, quæ carnosæ substantiæ non sunt participes, nec coalescere, nec agglutinari queant; tùm etiam quoniam facta scissura in hepate, & fractura in membrana, idem ambiente, non tantum aqua, sed & sanguis elaberetur, qui contineri in hepate, prout in renibus, in transcolatione vrinæ, nón posset, quia renes propria facultate, & per propria vasa, & ductus naturales hoc faciunt. At in hepate hic casus foret præter naturam, vnde materia vi facultatis propriæ contineri non posset, alias discissis cæteris vasis, effluerent soli ichores, at non sanguis, cuius oppositum testatur experientia; cum constet, scissa vena, vel arteria, cum ichore, simul etiam subtiliorem partem sanguinis elabi. Testimonium autem Hipp. ad hoc adductum nihil facit; quoniam per hepar, non solum hepar; sed simul membranam eius intelligit, cum vesicæ illæ hydatides dictæ, occupent simul cum hepate eiusdem membranam, quibus disruptis, materia in cavum abdominis effusa, licet ventrem repleat, non tamen hydropem inducit; vt patet ex Gal. in Com. dum inquit, aquam in eo casu recipi intra peritoneum, & in eodem loco, in quo etiam hydropicorum aqua congregatur. Et inferius, comparans curationem huius affectus cum curatione hydropis, clarè testatum reliquit, hydropem differre à casu Hipp. cuius sententia ad rem nostram nihil facit. Quare superest, vt materia ascitis causa, per cœcos, & angustos meatus, non per manifestos in cavum abdominis transmittatur. Quo autem ad adducta in contrarium à Fernelio, vt persuaderet cæcos illos, & angustos meatus nequaquam adesse. Ad primum dico, his præsentibus, non omnes in hydropem delabi, quoniam ad producendum ascitem, non tantum requiritur præsentia illorum vasorum; sed etiam aquæ generatio, quæ fiat per refrigerationem hepatis, vel positiuam, vel priuatiuam. Quæ generatio aquæ, & hepatis refrigeratio cum non adsint in omnibus, nec etiam in omnibus potest fieri ascites. Ad secundum dico, hepar naturâ benè dispositũ per naturales ductus humorum distributioni destinatos, pro-

pria excrementa, & proprios succos transfundere, quibus præter naturam dispositum abutitur, iisdem meatibus angustis, nec patentibus, quò se exor neret aquosa in se collecta materia; prout in simili dispositione, per cutem ab ossibus sanguinem nequaquam effundit, nisi iisdem malè affectis. Quare, sicuti hæc expulsio non excludit sanguinis propria vasa, & conceptacula; ita, nec in ascite euacuatio per eosdem cęcos meatus, non probat inutiles naturales meatus, euehendis succis fuisse destinatos; quoniam his vtitur, in naturali statu; illis autem abutitur, cum præter naturam est dispositum. Ad tertium dico, quod in illa suppressione lotij, materia suppressa est supra iecur, atque ibidem, non in ipso iecore (cum in venis sit) continetur. Quare cum sit supra iecur, nequaquam potest per illos angustos meatus elabi. Præterea, alia est ratio lotij, alia aquæ; cum diuersa, vt iam expositum est, sit horum generatio, & generandi modus. Nec valet, quod si aqua, in iecore genita, ob eiusdem imbecillitatem, possit transfundi per illos meatus, perinde debeat fieri in lotio, quod non generatur in hepate, sed fiat ex potulenta, & aquosa materia, cum alimento sumpta, ac solum in iecore, & venis alteretur. Quare sententiam Fernelij nequaquam amplectamur, prout nec Auicennæ. Et hæc de primo quæsito.

Quoad secundum, sciendum est, Auicennam hæc à Galeno exscripsisse Lib. proprio de Sympt. Diff. Cap. 7. & Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. sed satis imperfectè; nam omisit Auicenna facultatis alteratricis vitium, quam in Lib. de Diff. Sympt. Gal. appellat sanguificam virtutem; qua læsa ab intemperie frigida, sequitur copiosa generatio serosi humoris, quæ in ascite est vera, & immediata generationis aquæ causa; reliquæ autem ab Auic. propositæ, non ad generationem aquæ, sed potius copiosæ, aqueæ, & serosæ materiæ faciunt: cum enim vitium sit in virtute separatiua, vel in materia separata, vel in vijs, sanè congeritur tunc copia serosi humoris; non tamen inde generatur aqua, nisi vitium sit in alteratrice, & sanguifica virtute. Quod autem dicit, locutus de virtute separatiua, docens, per attractiuam renum virtutem labefactatam, posse hydropem fieri, quod scil. quandoque accidit *hydropisis propter debilitatem, & ægritudinem renum solam*, alludit ad Galeni sententiam, adductam Lib. 3. de Symptom. Caus. Cap. 2. sub finem, dum ait, in colliquatione succorum, dum renes trahere non valent, serosam materiam, vel ad ventrem, vel ad totum corpus eandem mitti, & inde subitaneos hydropis affectus induci. At alias declarauimus hinc nequaquam fieri hydropem, atque Auicennam non rectè proposuisse, ex solo vitio renum hydropem induci posse.

Dum citat Hipp. Aphorismum Lib. 7. Aph. 56. data opera contradicit Galeno, in expositione eiusdem. Attamen sententiam Galeni idem suscipit, & commendat; quæ autem damnatur ab Auicenna, non est Galeni, sed fuit Marini, antiquioris Medici. Quare in graui adeo errore crediderim Textum esse corruptum, & pro Galenum, legendum esse Marinum, alias maximè deceptus esset Auicenna in Gal. expositione.

Cap. VI. Causas antecedentes Hyposarcæ enumerat, supponens, vt dixerat Cap. 4. coniunctam esse debilitatem digestionis hepaticæ. Ex antecedentibus

tibus autem primum recenset *corruptionem in digestione tertia*. Circa quod duo sunt aduertenda. Primum; quod per *corruptionem*, intelligit magnum lapsum in tertia coctione, dependentem à facultatis insigni imbecillitate, quam communi nomine appellauit *corruptionem*; cum tamen corruptio propriè sit affectio circa prauam coctionem, non autem circa debiliorem, seu ablatā. Secundum, quod hanc sententiam exscripsit à Galeno Lib. 6. de Sympt. Caus. Cap. 1. vbi postquam docuit, ab extremo ventriculi facultatis lapsu, succedere tympaniam; venarum autem hydropem subiungens, de tertia coctione dicebat. *Ad eundem modum in carne; quippe ob crudos humores afficiuntur, qui à morbis immodicè satiati, flatuosi, ac toto corporis habitu turgidi redduntur; ex imbecillitate vero virium, qui anasarca vocatur, hydari dicuntur*. Nec est quod hic Galenum sibi contradicentem dicas; cum videatur docere, fieri anasarcam vitio concoctionis tertiæ ablatæ, vel imminutæ, ex carnium facultatis imbecillitate, non autem vitio hepatis, quoniam sine hepatis, aquosum phlegma generantis, vitio sola imbecillitas facultatis in carnibus causa est atrophiæ; vt eodem Cap. habetur ex Galeno, non Anasarcæ; ad cuius generationem duo hæc requiruntur, videlicet iecur imbecille, aquosum generans phlegma, & imbecillitas virium hanc materiam crudiorem alterare non valentium. Hanc autem solam ibi proposuit Galenus, comparans cum altera symptomatis causam, videlicet cum copia alimenti; quod cum duplex vitium pati possit, vt ibidem docet Galenus, his verbis. *Vitia verò nutrimenti in abundantiam, & qualitatem deducuntur*. Vbi solum meminit multitudinis, mala qualitate neglecta, quæ necessario requiritur, vt in tertia coctione succedat habitus Anasarcæ.

Quod dicit de digestione secunda, vt causa antecedente, alludit ad id, quod dixerat Gal. Loc. cit. de venis; quod autem addit de digestione prima, est præter Galeni verba, qui scripsit, hanc desinere in tympaniam; licet etiam Auic. sententia admitti possit, si non flatus, sed plurimum phlegmatis aquosi, & crudi ex prima coctione vitiata generetur, ex qua ducto in consensum hepate, potest succedere Anasarca.

Docet fieri Anasarcam, non tantum à frigida intemperie iecoris, tum venarum, & carnium; sed etiam à calida colliquefaciente corpus, & humores; quem modum exemplo probans, subiungit. *Cum autem fuerit oppilatio, nec huius merito possit humor liquefactus ad renes penetrare, humor hic in ambitum totius corporis dispartitur, & inde subito, vt plurimum fit Anasarca*. Quam sententiam perperam satis mutuatus est à Galeno Lib. 6. de Symptom. Caus. Cap. 2. sub finem; quoniam locutus ibi Galenus de colliquatione succorum, qui in venis concluduntur, ita distinctè rem proposuit. *Si quod colliquatur, est tenue, & renes, qui ad excrementum hoc attrahendum sunt conformati, sani sint, serum hoc à sanguine expurgant, & ad vesicam fluxionem transmittunt, vnde hoc per lotium expurgatur. At si renes sint inualidi ad hoc opus, Vena huiusmodi serum ad ventrem mittunt, aut toti corpori id impertientes, subitaneos hydropum status inducunt; si autem sit crassius quod eliquatum est, & quale renes trahere non valent, totum in ventrem necessario confluit*. Hæc distinctè proposuit Gal. quæ Auicenna satis corruptè, & diminutè exscripsit, in hoc potissimum

simum deceptus, quod existimauerit, hinc fieri, vel Asciten, vel hyposarcam, & omninò generari hydropem; quod tamen falsum, tum ratione causæ, tum ratione materiæ, tum modi; & à Galeno alienum, qui non dixit, fieri hydropem, sed subitaneos hydropum status, idest fiunt, vel abdominis, vel totius corporis tumores, quales in Ascite, vel in Anasarca; non autem dixit quòd fiat verè hydropisis.

Citans Hipp. Aph. Lib. 7. Aph. 56. expositionem Gal. adducit, eamq; acutissima ratione improbat; nam cum Gal. per *hepar aqua plenum*, intellexerit eam dispositionem, qua hepar vesicas quasdam aqua plenas, in ipsum ambiente membrana, generat; atque inde docuerit, huius aquæ eruptionem, non in omentum, idest, intra omentum, vt dixit Hipp. cum id, sine omenti excisione, vel ruptione fieri nequeat; sed intra peritoneum erumpere dixit, quod *hæc dispositio est, sicut dispositio hydropicorum*; quoniam in vtrisque materia serosa in cauitate abdominis continetur; subiungens, quod sicut ex hydropicis nonnulli seruantur per medicamenta aquositates purgantia, & per administrationem remediorum, quæ eandem materiam, vel per vrinam euacuare, vel discutere possunt; ita etiam in casu Hippoc. aliquando eadem curatione procedentes seruari possunt. Quare, non omnes, vt asserere videtur Hipp. moriuntur. Contra quam Galeni sententiam pro Hipp. inquit Auicenna. *Et ego existimo, quod moritur*. Quasi dicat, non sicut ex hydropicis nonnulli pereunt, & nonnulli seruantur; ita etiam in hoc casu euenit, vt aliquando pereant, aliquando autem seruari possint; sed omnes penitus moriuntur. *Ratio est*, inquit Auicenna, *quoniam hæc aqua est deterior ea, quæ in hydropicis aggregatur; quæ cum sit prauæ qualitatis, facile corrumpitur, & inde vapore suo prauo interficit; & eò magis, quoniam hepatis tunica iam corrupta est*. At Auicenna ex suppositis arguens, nihilque probans, nihil etiam contra Gal. habet. Si deterior sane esset hæc aqua, quàm aqua hydropicorum, malaque corruptione corrumpitur, simulque tunica iecoris esset corrupta, procul dubio hinc omnes perirent patientes. Sed hæc supposita, licet non aliena, admittenda tamen non sunt; quoniam licet, sicut in omnibus grauioribus morbis, aliqui sunt, & possunt esse cacoethes; ita etiam in casu Hipp. quandoque maligna aqua, & quæ prauam corruptionem, iuxtà cum tunicæ corruptione subire queat; non tamen omnes morbi graues sunt cacoethes; atque adeo non semper hæc aqua praua qualitate donata erit, nec tantam admittet, cum tunicæ corruptione, corruptionem, vt suo vapore possit interficere. Quarè eo casu, morbus, licet grauis, poterit superari medicamentis à Gal. propositis. Quod autem huiusmodi aqua non semper sit adeo praua, nec semper cum ea adsit mala adeò qualitas, nec tanta corruptio, possunt testari Animalia bruta iugulata, quæ cum huiusmodi affectu sæpe deprehenduntur, & boni habitus, & pinguia, & carnosa; quod nequaquam fieri posset, si in principe nutritionis membro contenta aqua, prauam qualitatem, & corruptum vaporem adepta esset; quod & probari potest ex qualitate materiæ peccantis, quæ cum sit aquosa, & eiusdem naturæ, ac ea quam continent pustulæ hydatides dictæ, non debet esse semper mala; vnde aliquando sola cruditate, & quantitate, non

cor-

corruptione peccabit. Quare non semper ex casu proposito peribunt ęgrotantes. Si autem aliud affirmasse visus est Hipp. ad hoc sufficiant, quæ Galenus Lib. 7. Aph. Com. 56. pro Hipp. de putredine omenti, vbi excideրit, scripsit.

Cap. VII. In præcipuis causis Tympanitis, enumerat *corruptionem digestionis primæ*; cuius duplicem assignat causam; alteram, *propter virtutem*; alteram, *propter materiam*. Quam sententiam exscripsit à Gal. Lib. 6. de Sympt. Caus. Cap. 1. sed longe diuersam. Nam Galenus adducens causas concoctionis ablatæ ventriculi, duas proposuit, alteram, ratione facultatis; alteram ratione cibi, vel multi, vel praui. Subiunxit autem. *Quippe symptoma, quod ex cibis oritur, facilè corrigitur; quod autem ex vltimo virtutis lapsu, in lienteriam, aut tympaniam hydropem finitur*. Si autem symptoma, quod oritur ex cibis, facilè corrigitur, vt ait Galenus, quoniam quantitatem superfluam imminuentes, & malam qualitatem remouentes, simul etiam cruditatem tollimus; igitur tympanites non ex sola alimenti materia fieri potest; sed eo tẽpore, & ea solum occasione, cum ex longo eius vsu, simul etiam labefactata fuerit virtus, & quidem labe etiam hepati impertita, ac proinde eius innato calore, vel imminuto, vel propè modum extincto. At pro Auicenna forsan dicendum fuerit, quòd materia proponitur, vt causa antecedens, nõ tamen sola; quoniam ex longo vsu praui cibi potest induci tympanites, vt comperi experientia, in sene edentulo, qui cum panem coctum non posset comedere, vsus plures menses pane semicocto, & crudiori, tandem tympaniticus factus fuit, & perijt. Quare vsus huius cibi fuit quidem causa tympanitis; sed tum solum, quando temporis diuturnitate hinc ventriculus primò; post verò hepar labefactatum fuit. *Observatio.*

Quandoque etiam, inquit Auicenna, *fit tympanitis à caliditate vehementi extranea ventriculi, & hepatis, agente in cibos, & succos humidos, atque eos, cum concoctio debeat fieri ab innata caliditate, non concoquente, & propterea eosdem in flatus resoluente*. At caliditas vehemens extranea potest quidem flatus nidorosos excitare, cibosque simul corrumpere; non tamen hi flatus sunt apti ad tympaniam efficiendam, nisi innata hepatis caliditas imminutionem, & extinctionem patiatur; qua præsente, vt supponit Auicenna, illis verbis. *Antequam dominetur super eos digestio, quæ prouenit à caliditate innata*, nulla hydropis species excitari potest.

Concludens causas tympanitis, eas reducit, vel ad *debilitatem primæ digestionis, & ad debilitatem caloris; vel ad vehementiam caloris extranei; vel ad cibos*. Primæ meminit Gal. Lib. 6. de Sympt. Caus. Cap. 1. 2. Lib. 2. Progn. Com. 2. Tertiam neglexit Galenus, tanquam externam; quam licet proposuit Auic. vt omnes, & quaslibet enumeraret; hæc tamen potius occasio, quam causa tympanitis est censenda.

Quo autem ad Tympanitem, morbis acutis succedentem, notandum est, ex Gal. Loc. cit. 2. Progn. Com. 2. spiritum flatuosum, à quo totus tumet venter, in intestinis contineri; qui locus est animaduertendus, cum in cæteris tympanitis speciebus flatus intra cauitatem abdominis contineatur; nec forsan etiam Gal. negaret, in hac tympanite, præter flatum in inte-

stinis

stinis contentum, adesse quinetiam & in cauo abdominis; vel per *intestina*, intellexit interanea, & partes conclusas intra abdomen.

Cap. VIII. Inter signa hydropis communia, enumerat sitim clamosam, dicens, *Et omnes illæ non euacuantur in siti clamosa*. At longe melius hanc sententiam expressit Aetius, à quo hæc exscripsit Auicenna, cum dixit. *Potum autem largiorem plurimi appetunt, maximè qui ex ascite laborant*. Non enim omnes hydropicos ingenti siti affligi docet experientia; cum multi in principio, & aliqui etiam in progressu parum sitiant, præter eos, qui ascite detinentur; hi enim magis bibendi desiderio cruciantur, quàm cæteri, ob humorem, qui in ipsis conclusus salsedinem quamdam contrahit, & ob febriculam, quæ ipsis vt plurimum superuenire solet.

Proponens signa hydropis, morbis acutis succedentis, ex lumbis, &c. parte inani, existimans hanc hydropis speciem esse ascitem, cum inquit, Hipp. de decoctionibus loquens ait, *neque mollit ventrem*, Auicenna ait, *neque egreditur cum eo aqua*. At vt supra notaui, Galenus indicauit hunc hydropem fieri à spiritu flatulento, & ideo iuxtà ipsum, tympaniti accensendus erit. Quod autem addit Auicenna de aqua, est præter Hippoc. & Galen. mentem.

Existimans insuper Auic. præter Galeni mentem, qui hæc docuit, & à quo hæc mutuatus, est tumorem illum, qui fit à serosa materia, vi colliquationis genita esse verum hydropem, cuius signa nunc recenset; sed alias docuimus hinc hydropem non generari.

Cap. IX. Inter signa ascitis pulsus conditiones (quas ad verbum exscripsit à Gal. Lib. 4. de Caus. Puls.) recensens, vbi habet Galenus. *Ex copia humoris aquosi tendi pulsum, eo quod hinc afficiantur magnæ arteriæ*. Auicenna dixit, *tendi pulsum, ob tensionem velaminum*. Ideo forsan legendum, *Arteriarum*, iuxtà Galenum; vel dicendum, Auicen. putasse, arteriam tendi, ob tensionem velaminum, scilicet membranarum, quæ intra abdomen continentur, quale est peritoneum, & cæteræ membranæ viscera interna obuelantes. Et forsan etiam intellexit Auicenna, per hæc, septum transuersum, quod sub nomine velaminis ab eo sæpius memoratum est, & quod maxime in ascite tẽditur; vnde difficultas respirationis succedit. Sed circa Galeni verba hoc notandum fuerit; nam cum dixerit, quod arteriæ, ob immodicam humoris aquosi copiã tendantur, grauentur, & refrigerentur, inquit, quod hic humor arterias tendit, ratione immodicæ copiæ; & iure quidem: nam vidimus vtres à multa copia valde tendi; grauat autem ob pondus; nam multa materia grauis est; sed cum subiungit, *Refrigerat, ob nimiam humiditatem*. Non ita rationi consentanea causa videtur, cum refrigeratio, ab intemperie frigida, non humida, quæ complicari cum calida potest, induci debeat; sed per *nimiam humiditatem*, non intellexit Gal. intemperiem humidam simplicem; sed nimiam humoris aquosi copiam, qui cum sit frigidior, quo copiosior fuerit, eo etiam magis refrigerabit; quoniam autem Auicenna, per *multam humiditatem*, forsan intellexit simplicem intemperiem humidam vigentem; ideo à veritate deflectens dixit, quod *quandoque in ascite, pulsus declinat in fine eius ad lenitatem, propter multitudinem humiditatis*; falsum quippe est, in

in Ascite,lenem pulsum esse,cum tendantur arteriæ à copia humoris aquosi, licet humidioris, & inde fiat, vt inquit Galenus, quod tensionis nomine, humor aquosus pulsum iure reddat, cum quadam tensione subdurum; cum autem in fine maior sit humoris aquosi copia, maior etiam succedet tunc temporis tensio, non lenitas, aut mollities, vt ait Auic. Quod addit, de tumore ventris ab vrina, ratione disruptionis vreterum, cauitatem ventris influente, facto, ad perfectam horum tumorum declarationem facit; non autem, quod talis affectio sit hydrops, vt in commento testatur.

Cap. X. Verba illa. *Et impinguantur membra in ipsa*. Sunt prolata barbarè; cum per *impinguationem*,intelligat tumorem mollem membrorum, non quod verè pinguescant.

Cap. XI. Quod *appetant tympanitici eructationem*, & quod ex ea, vel *exitu flatus inveniatur*, non est perpetuum; illud enim tantum verum est, vbi flatus vitio ventriculi generatur, ibidemque hæret; hoc autem confert tantum, vbi flatus in vijs communibus, & circa ventriculum, ac intestina oberrant; qui enim intra cauitatem abdominis continentur, nullo exitu conferunt; quia nullum exitum habent, discussionique rebelles sunt. Quare si hoc contingat, non admittitur de causa morbifica.

Cap. XII. Mirum, cur Auicenna,qui in omni curatione aliàs diligentissimus est, in hac valde sit diminutus; cum alteram curationis cachexiæ partem potissimam omiserit; nam cum duæ sint indicationes curatiuæ in cachexia; altera euacuandi materiam genitam; altera tollendi causam generationis eiusdem materiæ; primam tantum implet, altera relicta, sine qua nec prohiberi noua eiusdem materiæ generatio; nec morbus tolli potest.

Ad educendos humores ex cachexia genitos, primo euacuat cum *hiera picra* (quam etiam inferius laudat, ante venæ sectionem) sed quod hiera picra, præter lenitiuam alui facultatem,& expurgationem viarum communium, possit etiam humores ex cachexia in ambitu corporis exuperantes euacuare, est præter rationem; cum vis aloes vltra hepar non progrediatur. Monet insuper, sanguinis missionem in cachexia vitandam, & quidem iure merito; cum hinc magis refrigeretur hepar, quod maximè timendum est in cachexia; si tamen subiungit, *necessaria sit, propter sanguinis repletionem, fiat cum timore, & mensura, eam partiendo in tribus diebus, aut quatuor*. Quam sententiā ex Aetio mutuatus est, qui hoc ex Archigene docens,sic dicebat. *Aut venam incidere in cubito, si nihil sit quod id fieri impediat, paulatim, ac partitis vicibus, per triduum sanguinem detrahendo*. Sed quid de sectione venæ, in hoc casu agendum sit, ad mentem Galeni, in cura hydropis ascitis annotabo; quam cum in principio hydropis tantum conuenire Galenus doceat, & principium hydropis sit cachexia; ideo quid in cachexia, hoc casu conueniat, ibi patebit.

In cura cachexiæ, laudat *lac camelarum*. Sed cum lac potius refrigeret hepar, (quod in cachexia timendum est) quam calefaciat, cur probetur in cachexia camelinum, inferius habebitur. At quod probentur *granata dulcia, & cydonia*, in hoc casu est præter rationem; quoniam magis lædere, refrigerando, quam prodesse roborando possunt. Et licet dicat Auicenna, quod

quod hæc parua quantitate sumpta non nocent, tamen in morbis periculosis tutius est vitare noxia, quam ea, licet pauca quantitate admittere, cum semper ratione propriæ quantitatis ita agant, vt si multum, valde, si parum, minimum lædere possint.

Cap. XIII. Quemadmodum in cachexia Auic. non omnes indicationes curatiuas; ita, nec in Ascite, sicut nec in vlla alia hydropis specie eiusdē expressit. In ascite enim, cum tria sint potissima, quæ sui curationem indicant, videlicet, tumor præter naturam, vel totius corporis, vel abdominis; caloris naturalis imminutio, ac ferè extinctio; & causa imminutionis seu extinctionis caloris innati, ab his omnibus Medicus in curando hydrope speciales, & proprias eliciat curatiuas indicationes oportet, videlicet, vt ratione tumoris, sit ipsi scopus materiam tumorem facientem euacuare, ratione causæ immediatæ, calorem innatum fouere, & augere; ratione autem causæ mediatæ, intemperiem, & causam calorem innatum extinguentem tollere; in prima intentione plurimus est Auic. sicuti & cæteri Scriptores, quorum plerique existimant, hydropis curationem in hoc potissimum consistere. Pro secunda intentione, nulla, vel paucissima, nec ex professo docuit, sicuti & pauca pro tertia proposuit. At nisi Medicus sit diligens in implendis his tribus indicationibus, ordine, & modo conuenienti, aut nullum curabit hydropem; aut non ex arte, ita vt si qui sanentur, potius naturæ beneficio, quam ope Artis Medicæ id fiat.

Pro prima intentione, laudat Auicen. in Ascite ventris frequentem solutionem, hæc habens. *Et solutione ventris educere aquositatem cum facilitate, & frequenter*. At monuit Aetius, ex Asclepiade, frequenter non esse euacuandam, & iure quidem merito; quoniam cum medicamenta aquositates educentia sint validissima, iecorique infesta, eundem continuo, & frequenti vsu magis debilitant; vnde vidimus Medicos huiusmodi pharmacis frequentius vtentes, à principio quidem visos fuisse magnam vtilitatem, ex multa educta materia aquosa præstitisse; cum tamen postea ægrotantes inde magnum nocumentum suscipientes, in deterius lapsi, ad deploratum ægritudinis statum prolapsi sint; dicebat autem Asclepiades. *Cæterum, per interualla longiora vti conuenit pharmacis aquam ducentibus*; *nam incommodus est eorum vsus, vtpotè qui vires ipsas dissoluat*. Sed forsan per *frequentem ventris solutionem*, non intellexit Auicenna frequentiam, respectu dierum, sed temporis morbi, qui cum longus admodum sit, & pluribus egeat ad exhauriendam materiam euacuationibus; ideo dicitur egere frequentibus euacuationibus, idest pluribus, non quod frequentibus diebus tales sint administrandæ, cum earum vsus sit noxius; alias contra antiquorum dogma, & contra rationem, ac experientiam id doceret Auicenna.

Obseruatio.

Et sternutatio, inquit, *cum Medicinis, & insufflationibus, & alia conferunt ds ex illis, quæ deponunt aquositatem, & extrahunt eam ad vias euacuatiuas*. Sed cum materia aquosa intra cauitatem peritonei contineatur, nec consensum habeat cum vijs communibus, per vllum sensibilem meatum, nec vlla alia possit tolli ratione, quam pharmaco, aut discutientibus, aut sectione, quid aliud poterunt sternutationes, & insufflationes, & cætera, corpus concu-

tientia

tientia in hoc præstare, quàm materiam exagitare, sine vllo ægrotantis, tum vsu, tum commodo.

Dat normam Auic. de sectione venæ, in omni hydropis specie obseruandam, dicens, quod in quacunque hydrope nunquam secanda est vena, nisi in tribus casibus. Primus est, si hydrops causam habeat *sanguinis retentionē*, de qua sequenti capite agendum. Secundus, si hydrops fiat *ex apostemate*, quod præcipuè intelligendum est ad Hipp. mentem Lib. 2. Prognost. Iecoris ipsius, in cuius principio docet sanguinis missionem faciendam esse, cum inquit. *Et si fuerit illis apostema, perueniatur ad ipsum in principio rei.* Tertius est, vbi æger conqueratur *de latere sinistro multarum arteriarum*; idest de pulsatione multa, & magna in latere sinistro; per arterias enim, intelligit pulsationem, quæ in infarctu materiæ, seu inflammatione, ratione arteriarum fit; quam pulsationem in sinistro latere dicit non fieri per tensionem, idest, propter flatum, qui in ipso fit conclusus; cum talis flatus etiam parti dextræ communis esse debeat; sed propter sanguinem, videlicet, inflammatum; at ideo inquit, quod in simili casu, *à principio secanda est vena*; *postea æger cura hydropis curetur.* Quæ proposuit Auic. vt Galeno contradiceret, qui Lib. 2. Progn. 1. dicebat, Hippocratem eius hydropis, qui ex liene fit, non meminisse; quoniam de morbis acutis agebat; lien autem trahit hepar in consensum, ad hydropem, per scirrhosam dispositionem, quæ est morbus longus. Quare, cum ex liene inflammato videatur negare Galenus fieri hydropem, hoc voluit indicare Auicenna, per sinistrum latus, atque hinc affirmare contra Galenum, posse fieri. Sed difficilis est Auicen. casus, & vix contingere potest; cum tantum distet lien ab hepate, nec per magna vasa, nec multa illi consentiat, prout lactes, & mesenterium inter se consentire possunt. Quare hinc tanta non potest eidem hepati impertiri caliditas, aut inflammatio, vt inde calor eius innatus extingui queat.

Et scias, inquit Auic. *quod oleum de fisticis, & amygdalarum, iuuatiua sunt in omnibus speciebus hydropisis.* Quæ sententia notanda; quoniam verissima; cuius tamen rationem non expressit Auic. vel quia eam non nouerit; vel quia eam suppofuerit. Ratio autem est; quoniam hæc, & similia calorem naturalem hepatis fouere, & conseruare, ac augere possunt; quæ cum sit potissima intentio in hydrope, non mirum, si monuerit, in omnibus speciebus hydropis hæc prodesse; quæ vero, vel quia multum calefaciant, vel attenuent, vel aperiant, qualia docebat Auic. administranda esse, nequaquam prodesse possunt.

Medicamentum ex cantharidibus, sicuti damnatur ab Auic. pariter non probatur à Gal. qui sanè ipsas admixtas diureticis, ad lotium prouocandum sæpius admiscet; at in hydrope nequaquam, vt haberi potest ex Lib. 4. Reg. Acut. 122.

Quoad *stercus caprinum, & vrinam ouium, aut Asini*, sciendum est, quod cum sordida admodum sint hæc medicamenta, in tanta aliorum copia non sunt ab eleganti Medico admittenda, nisi (vt docebat: Galen. Lib. 11. de Simp. Med. Fac. Cap. de stercore caprino) in magna necessitate, aut in rusticis, & agrestibus hominibus.

Et ingreditur in summa illius, inquit Auicen. *vt sumatur in potu lac caprinum, & lac camelarum fœtarum*. At cum ex Dioscoride habeamus (quod sæpius testatus est Galenus ipse) omne lactis genus infensum esse lieni, & iecori, quomodo potuit ab Auic. laudari lac, seu caprinum, seu camelinum in ascite, in quo potissima læsio est in iecore ipso? Quare sciendum est, quod Medici Græci, camelini lactis notitiam non habuerunt; ideo nec Dioscor. nec Gal. nec Oribasius, nec Paulus, nec Aetius huius meminerunt; vnde ipsorum decretis in hoc non est inhȩrendum. Arabes autem, qui ratione regionis suæ, camelis vtuntur, facilius, potuerunt indagare, & experiri sui lactis naturam; quod cum cognouissent salsi saporis, vt asserit Auic. in proprio capite, ac proinde abstersione insigni dotatum (vnde inferius dicebat, de eo locutus, *est medicatiuum, propter illud, quod in ipso est de abstersione*)& proprietatem magnam habere in roborando hepate; vnde subiunxit. *Et est conueniens, propter illud, quod in ipso est de proprietate sua*. Idcirco illud ad cachexiam, & ad hydropem valde laudauerunt; quod cum non sit præter rationem, non est improbandum. Mirum quidem est illud Aristot. qui Lib. 6. de Hist. Animalium, Cap. 26. dixerit. *Cameli, tum lac, tum carnem suauissimam esse*; cum tamen salsedinis sit particeps; quod facit quidem ad lactis maiorem saporem, non tamen suauiorem; cum in lacte suauitas ex dulcedine pendeat. Sed forsan, nec Arist. camelini lactis perfectam habuit notitiam; prout, nec Medici Græci, quos in hac re facillime potuerunt, vt regionis camelis frequentis, incolæ, superare Arabes, quibus non immeritò magis propterea, quam Aristoteli Græco, & Europæo credendum est. Quo autem ad lac caprinum, sciendum est, quod non omne caprinum lac probatur ab Auicenna; sed tantum Arabicum; vnde dicebat inferius. *Lac autem camelarum, & caprarum, & propriè Arabicarum, & proprie cum impinguantur, in potu dentur, &c.* Atque hoc forsan non absque ratione; cum propter cœli constitutionem, & regionis conditionem, & alimenti vsum, possit hoc lac esse simile camelino. Quare non est quod hinc inexperti Medici audeant exhibere in similibus affectibus lac caprinum nostras; cum hoc alterius sit naturæ. Nec alij debent hoc Arabum inuentum improbare; quod licet in regionibus nostris sit inutile, in proprijs tamen regionibus iuuamento esse potest.

Et Aloe solum, inquit Auicenna *est malum valde hepati; quare oportet vt elongetur ab hepate*. Quam sententiam desumpsit in proprio capite de Aloe dicens. *Et aperit oppilationes hepatis, sed ipse lædit hepar*. Quapropter damnabat vsum Aloes in solutiuis ad asciten, nisi illud corrigatur. At hæc sententia, nec rationi, nec auctoritatibus antiquorum cõuenire videtur: nam cum Aloe sit calidum, & siccum medicamentum, quali egemus in hoc morbo, nulla ratione videtur alienum, ratione primarum qualitatum. Præterea, cum pharmaci facultate valida non polleat, sed moderata, & quidem huiusmodi, vt mistum pharmacis validioribus (vt docuit Dioscorid. Capite Proprio, quem secuti sunt posteriores) ea corrigat, nequaquam hepati huius causa esse infensum potest; quinimò valde ei conferat in pluribus morbis scilicet, & eius obstructionibus, ictericia (vt etiam ipsemet testa-

tur Auic. id mutuatus à Gal. & Aetio) & eius dolori (vt docet Oribasius Lib. Collect. 7.) indicio est Aloen iecori non esse molestam. Potest quidem Aloe, hepar, simplici laborans pura intemperie sicca, vel calida, vel frigida simul, vt docet Gal. Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, cum calida tamen, magis lædere, ob eius intensam siccitatē; si verò adsint humiditates noxiæ, quales in Ascite abundant, nequaquam hepar lædere valet, vt loco cit. haberi potest. Quod cum ratione primarum qualitatum agere nequeat, multo minus, nec ratione eius facultatis purgantis hoc facere poterit; cum Aloe hac vi purgante valida non sit prædita; vt loc. cit. Lib. de Comp. Med. secundum loca ex Galeno habemus; qui docet quinetiam, Aloen ea tantum, quæ circa stomachum, & alvum sunt, quæq; etiam contingit, purgare posse; quæ tamen si largiori dosi exhibeatur, vsq; ad locos circa hepar vis eius ascendet. Quare, cum ad locos circa hepar, non ad hepar ipsum vis aloes purgandi ascendit, nec huius ratione, & eò magis, cum hæc in eo sit debilis, poterit hepar lædere. Quapropter tuto veniat in vsum in Ascite, & maximè ad corrigendam purgantē vim aliorum medicamentorum, quæ aquam ducere apta sunt; quale est elaterium, & scoria ferri, & similia; cuius vsum etiam vtilem, & tutum esse longa experientia ego testari possum; cum in exhibitione dictorum pharmacorum, aloe ad ea corrigenda summa cum vtilitate semper vsus fuerim. Quo autem ad vim purgantem aloes, quam debilem loco citato esse docuit Galenus, eandemque non ad hepar ascendere, nec totius corporis purgatoriam esse, sciendum est, nunquam per se solam aptam esse ad vniuersum corpus purgandum, licet hoc videatur colligi ex Lib. de Theriaca ad Pisonem. *Cum,* inquit, *Aloe, squamaque æris, supercrescentes vlcerum carnes adstringunt, & fluxiones, quæ sub ipsis nascuntur, subinde exiccant; assumpta autem per os vniuersum corpus purgant.* Quoniam hic sermo est de Aloe, non sola, sed sumpta cum scoria ferri; quæ, sicuti simul apposita comprimunt carnium excrescentias; ita etiam simul sumpta vniuersim corpus, & humores aquosos educentia, expurgant; cum aloen simul cum scoria ferri administret, non ad purgationem, sed ad eius correctionē.

Observa-tio.

Et oportet, vt solutiua sequantur ieiunium; quare non comedat, solicitus postea die, ac nocte, si possibile est, inquit Auicen. Per quam sententiam vult docere, quòd non ante vsum huiusmodi solutiuorum, nec post, per diem, & noctem, aliquid comedant ægrotantes. At hoc præceptum nimis rigidum videtur; cum hi patientes sanguine benigniori, & copioso, cuius ope facile virtus fouetur, careant. Quare, saltem post euacuationem, æger non omnino debet à cibo abstinere, alias virium discrimen maximè adiret. Sed aduertendum, quod Auicenna loquitur de solutiuis, quæ cum lacte camelino exhibentur; in quorum vsu, cum habeamus, ratione temperiei hepatis, cōtemperationem, ratione salsedinis, & solutiuorum aquosarum materierum euacuationem; ratione autem substantiæ lactis, validam nutritionem, liquet huiusmodi lac non exhibendum esse à cibo, nec etiam cibum post eius exhibitionem assumendum esse; quoniam in eo, ob cruditatem præcedentem, non posset lac, munus suum rectè obire; cibus autem ab illo assumpto grauaret potius, & perfectam lactis alterationem, atque coctionem impedi-

ret, idcircò inferius, docens modum, & vsum exhibendi lac istud, dicebat. *Et est, vt bibatur lac camelarum fœtarum, secundum vacuitatem ventris, & abstinentiam diei, & noctis ante ipsum.* Et paulo post. *Et si possibilis est abstinentia eorum, scilicet diei, & noctis, fiat.* Quare iure fuit ab Auicenna dictum, & ante, & post vsum huius lactis, ieiunium conuenire.

In hydrope ex vehementi caliditate, prohibet lac camelarum fœtarum, quod facit ad confirmationem iam dictorum de hoc lacte; cum enim sit salsum, & detergens, signum est illud non aptum esse refrigerare, sed calefacere potius; atque ideo ab Auicenna, in hoc hydrope vitandum esse colligitur.

Bilis euacuatio nunquam, nisi quantitate superfluat, est curanda in Ascite; ratio est, inquit Auicenna, *quoniam bilis sua caliditate temperat frigiditatem aquositatis*; qua educta, non solum aquosa materia; sed & vniuersum corpus magis refrigeratur. Quod præceptum maxime obseruandum est à Medicis, quos hac cautione monere volui, ne sint in cura ascitis frequentes in vsu Rhabarbari; quales sunt medici vulgares.

Et omnis superfluitas euacuationis in quantitate, & in tempore, inquit Auicenna, *est mala, & est in calida rectior.* Idest, omnis superflua euacuatio, siue ratione quantitatis immodicæ; siue ratione temporis oportuni, idest quæ ratione quantitatis, nimium, & immodicè euacuet, & quæ ratione temporis, scilicet, quoniam sæpius, & frequentius, quàm sit euacuandum, fiat in tempore, & hora incommodis, mala est; in calida autem, idest cum materia calida peccat, est rectior, quasi dicat, quod in euacuatione materiæ calidæ, hæc euacuatio superflua est tolerabilior. Sed hoc est contra superius annotatum præceptum; nam superflua calidorum succorum euacuatio, maximè refrigerat corpus. Quare, per hanc vocem, rectior, non est intelligendum, quod illa euacuatio superflua in materia calida sit tolerabilior; sed dicitur rectior, idest magis compertum, quod in materia calida superflua euacuatio, siue ratione quantitatis, siue temporis minus, sit mala, quàm in materia frigida.

Post aquæ euacuationem, inquit, *super ventrem cauteria fiant, vt non recipiat aquam post illud.* At cauteria possunt quidem facere ad aquæ euacuationem; at verò quod possint prohibere ne aqua recipiatur in ventre, hoc est præter rationem; nam cauteria possunt ventrem, idest abdomen exsiccare, & ab eo aquam educere; sed nec generationem aquæ, nec eius in cauitatem abdominis penetrationem prohibere; quoniam abdomen ipsum, nec est causa generationis, nec causa penetrationis aquæ.

Quoniam lac poterat esse suspectum in hydrope, cum sit infensum hepati, malè habenti, respondens Auicenna tacitæ obiectioni, inquit, lac camelarum posse in hydrope conuenire, duplici ratione; primò quidem *sua abstersione*; secundò *quia ex sui proprietate iuuare potest*. Sed qualis sit hæc proprietas non explicat Auicenna; docens tamen experimento id contulisse. At proprietas hæc si sit sympathia aliqua ignota, cuius ratione lac istud conueniat hepati; attamen, cum hac sympathia hoc etiam adfuerit, quod cum valde hepar nutrire queat, (lac enim facile immutatur, & coqui-

tur)

tur) ac proinde eius calorem innatum fouere, & augere, cuius ratione, indicationi, quæ imminutioni, & extinctioni caloris innati resistere debet, abundè satisfacere potest, hinc maximè in hydrope conueniet. Quod in primis notandum duco; quoniam in curatione hydropis, hoc vnum præcipue aduertendum, scilicet, vt calorem innatum foueamus, & augeamus; alioquin cetera omnia in cassum tentabuntur. Quæ indicatio, quoniam à pluribus Medicis, vel ignoratur, vel contemnitur; ideo à plurimis etiam Medicis malè curantur, vel nunquam hydropici affectus.

Cum inquit Auicenna, *sicut ponitur Endiuia in curationibus hepatis, quod habet ægritudines frigidas.* Ratione vtitur quidem probabili, non tamẽ vera; nam endiuia, cum sit frigida, non debet assumi ad ægritudines hepatis frigidas; cum sit eius facultas refrigerans, licet admitti possit, quod valde non possit eas lædere; cum non multum etiam refrigerare sit apta. Quapropter Galenus Lib. 8. de Comp. Med. secundum Loca, locutus de medicamentis hepaticis, ex Asclepiade, & potissimum de cichorea, & endiuia, dicebat, *Neque vero frigidas intemperies magnopere lædunt.* Quibus verbis habemus expressam læsionem, licet non magnam.

In administratione diureticorum, duo obseruanda esse docet; alterum, vt diuretica subtiliter sint puluerizata, vt facilius penetrare ad partem gibbam hepatis queant; alterum, vt post administrationem eorundem, quæ verè diuretica, & valida sunt, exhibeatur *ius pingue, sicut ius gallinæ pinguis.* Primum facit ad materiæ euacuationem, & resolutionem, & simul ad alterandum hepar; secundum vero ad robur caloris innati; cum enim metuenda sit ex validis diureticis nimia resolutio, & exiccatio, non dixerim superfluarum humiditatum; quia hæc nunquam est superflua, pro qualitate materiæ peccantis, licet possit esse superflua in modo; sed propriæ substantiæ, & connaturalis humiditatis hepatis; vnde maior caloris innati sequitur resolutio; ideo hoc ius exhibet, quod substantificè humectare, & proinde calorem innatum augere, ac sua nitrositate abstergere, & abluere iecoris excrementitias humiditates queat; sicuti & lac camelinum, de quo iam dictum est, maximè conueniet post vsum diureticorum; quod notare volui, vt Iuniores moneam, semper habendam esse rationem caloris, ad eius corroborationem.

Inter emplastra, recenset illud *factum ex stercore caprino, cum vrina infantiũ.* Circa quod aduerto, vrinam assumi; quoniam est facultatis calefacientis, abstergentis, & exiccantis simul. Verum cum vrina infantium, inter omnes sit imbecillima; nam pro diuersitate temperamentorum, & ætatum, vt habetur Lib. 10. de Simp. Med. Fac. Cap. de sudore, diuersæ etiam facultatis erit; ideo huic rei vrinæ Iuuenum, & adultorum fuerant magis opportunæ, tanquam validiores. Quod aduertens inferius, & efformans emplastrum potentius ad eundem vsum, assumebat vrinam camelorum, tanquam validiorem.

Cum efformat emplastrum ex *alguadachi*, seu ex aludh: intelligit emplastrum ex cochleis; quod exscripsit ex Gal. in hunc vsum Lib. 10. de Simpl. Med. Cap. de Cochleis, quas voces cum interpres forsan ignoraret, nec

vidisset Gal. locum cit. genuinam vocis significationem non est assecutus.

Duo remediorum genera spernit Auic. quorum primum est, *percutere membra extrema, cum virgis subtilibus*. Alterum est, *suspendere super eas partes alcahatim, & quæ sequuntur eas vesicas inflatas*; quæ quidem nulla ductus ratione improbat. Verum sciendum est, Auicennam in hac re sæpius errasse. Primò quidem circa modum horum medicamentorum; secundò circa morbum, cui conueniunt; tertiò circa rationem. Quo ad modum, notandum est, quod fuit Herodoti inuentum, quem secutus est Archigenes, & Aetius, pulsare hydropicos cum vesicis inflatis; qui modus exscriptus ab Auicenna, aliter, ac antiqui docuerunt, exponitur; vbi enim hic de verberatione cum vesicis inflatis loquuntur. Auic. non de pulsatione, sed de suspensione vesicarum locutus est; qui tamen ad similitudinem pulsationis prædictæ, verba fecit de percussione cum virgis subtilibus. Quoad morbum autem, conuenerunt Herodotus, Archigenes, & Aetius; vt habetur Lib. 10. Cap. 29. in hoc, quod hoc remedium sit administrandum in Anasarca, seu leucophlegmatia; & quidem meritò, cum etiam membra extrema in hoc morbo tumida sint. At Auic. loquitur de Ascite, in quo non ita exteriores, & extremæ partes sunt affectæ, prout in Anasarca; atque adeo in eo nō ita conueniunt. Quo autem ad rationem, eam aut ignorauit, aut dissimulauit Auic. quam tamen clarissimè expressit Aetius Loc. cit. dicens, ex tali pulsatione, cum sine dolore, & sine repercussione fiat, carnem citra molestiam condensari. Quid autem hoc est, nisi resolutio partis subtilioris humorum, & calefactio partium solidarum; cum ex hac pulsatione partes incalescant, & quidem sine molestia, cum tales percussiones dolorem inducere nequaquam possint. Quapropter hoc remedij genus non erit improbandum; non tamen in Ascite, sicut opinatus est Auicenna traditum fuisse; sed in Anasarca administrandum. Ad cuius similitudinem, nec etiam illa percussio cum virgis subtilibus, dummodo sine dolore, & moderatè fiat, est damnanda: hæc enim idem pulsatio cum vesicis, quod apta est efficere; attamen, apud me vesicarum vsus tutior, & vtilior, quàm virgarum habetur, dummodo patiens non sit habitus admodum duri.

Agens de balneis Asciti conuenientibus, inter cet. hæc habet. *Verum, submersio in frigida, in fine rei vehementer est conueniens.* Quam sententiam mutuatus est ab Aetio Lib. 10. Cap. 27. dicente. *Porrò cum res feliciter successerit, & tumor fuerit imminutus, & vires aliquantulum restitutæ, præ omnibus lauatio ex frigida fiat.* Sed apud me huiusmodi remedium valde suspectum est; nam cum videam Gal. Lib. 5. Aph. Com. 21. dicentem, calorem innatum, vbi debilis fuerit, ex persusione aquæ frigidæ vinci; & Lib. 3. de Sanit. Tuenda docentem, *corpus aqua frigida lauandum, pristinam sanitatem ad vnguem conseruare debere.* Et Aetium Lib. 3. Cap. 168. monentem, *frigida balnea conuenire inculpatè sanis*, non possum mihi persuadere, huiusmodi balnea cōuenire his, qui mox ex hydrope restituuntur; cum in eis periculum immineat debilitatis caloris innati, nec inculpatè sani sint, nec sanitatem pristinam adhuc recuperarint. Sed forsan quis dicet, hæc dicta esse à Galeno, & Aetio de his, qui consuetudinem frigidi balnei inire, non ex morbo aliquo

restitui

restitui debent. At eadem pericula vbique impendent, ac proinde vtrorumque eadem habenda est ratio.

Descendens Auic. ad particularem curationem eius hydropis, qui ex intemperie calida, vel inflammatione fit, monet, in hoc non debere Medicũ vti medicamentis calefacientibus. Quod præceptum, sicuti consentit rationi, cum intemperies calida, non calefacientia, sed refrigerantia indicet; ita demonstrat eorum sententiam falsam, qui opinantur, in his casibus, in principio tantum posse conuenire refrigerantia; in progressu autem, & morbo iam facto, conuenire tantum calefacientia; quoniam, quandiù adest intemperies calida, à cuius violentia calor innatus, vel extinguatur, vel extinctus sit, siue in principio, siue in progressu morbi, semper datur indicatio refrigerandi; quæ alias à morbo nulla foret; sed à tempore potius, quod tamen nihil indicat; vt sæpius contra Thessalum demonstrauit Galenus. Quare præsente intemperie calida, semper refrigerandum. Sed dicent hi, in progressu morbi non amplius hepar est calidum, sed frigidum; cuius ratione aquam generat; si enim non esset frigidum, aquam generare non posset; cum proportionatos suæ temperiei ex Galeno Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 1. succos generare debeat. At demonstrauimus, quomodo temperies concurrat ad succorum generationem; & quomodo, stante intemperie calida, in iecore possit frigidos succos producere. Quare non est quod dicant, generat succos frigidos, igitur frigidum est. Sed in curatione semper hoc aduertendum, cum adest calida intemperies, & caloris natiui languor, ei quod superat virtute, & magis vrget, magis etiam esse obsistendum; vt hinc consulat Medicus, an magis medicamentis refrigerantibus, an magis calorem natiuum augentibus agere debeat; atque adeo dixit Auicenna. *Oportet ergo, vt tu coniungas inter duo regimina, cum facultate, & inde tantum in eis, quæ æquant, & resistunt vincenti.*

Historia, quam narrat ex Gal. de cura illius senis hydropici, vel est fabula, integrum exscripta à Rasi; vel nos non habemus librum, in quo hanc Galenus adducit.

Caricæ, Amygdalæ, & Zuccarum, quæ ex historia pro Gal. conceduntur, faciunt ad roborandum calorem natiuum hepatis, & ad eius validam nutritionem.

Timens Auic. viscidítatem tritici, ac ideò suspicat oppilationem hepatis, præponit panem ex hordeo pani ex tritico parato. At cum in hydrope optimam nutritionem semper curare debeamus, vt hinc vires in morbo tàm diuturno conseruemus, ac proinde calorem innatum augeamus, potius panis triticeus, quam hordeaceus est eligendus. Viscíditas autem, & oppilatio, quas metuit Auicenna, tolli possunt, optima panis præparatione, nempe si panis sit ex optima farina confectus, quæ recens sit molita, & à furfuribus non omninò (à quibus habet aliquam absterſionem) mundata, & qui vt decet, sit fermentatus, & optime pinsitus, parum salitus, & diligentissimè coctus; qui quidem panis, ob familiaritatem naturæ, & eius calorem moderatum, humano proportionatum, magis conueniet, quàm hordeaceus, illo frigidior, & friabilior, & minus ad fouendum calorem innatũ aptus.

Aliqui,

Aliqui, inquit Auicen. *sicut Rhasis, in pane ex tritico ponunt farinam ciceris*. At licet cicer vrinam prouocare, & iecur expurgare sit aptum; tamen adeo flatuosum est, vt valde suspectum sit, in hoc morbo, in quo flatuosa omnia vitanda sunt.

Quod superius notaui, de iure gallinæ, nunc etiam repetam, videlicet, quod facit ad roborandum calorem hepatis; & ideo hic inquit Auicen. *Et ius gallinæ est iuvativum in eis; ipsum enim aggregat ad prouocationem, & rectificationem hepatis*.

Inter olera, recenset Endiuiam; sed quantum polleat in hoc casu, declaratum est.

Ex fructibus recentibus, concedit, prout etiam Aetius *granata dulcia*. Quæ tamen frigida, licet non multum. Quare idem de his, quod de Endiuia, censendum est, & potissimum, cum sint admodum succosa.

Efformans Medicamentum diureticum, ei admiscet *elleborum nigrum*. At hoc magis purgans, quàm vrinam prouocans. Quare vel alvum ducet tantum; vel præter vrinæ prouocationem, etiam alvum soluet.

Cap. XIV. *Et in ea quidem*, inquit Auic. *quandoque accidit necessitas phlebotomiæ, si fuerit causa retentio sanguinis menstrui, aut hæmorrohidarum, & fuerint illi significationes repletionis; in phlebotomia enim tunc erit ablatio præfocationis extinguentis*. Quam sententiam exscripsit ex Gal. Lib. 4. Reg. Acut. Com. 111. Verum ineptè adeò, & imperfectè, vt hinc grauissimi errores possint à Medicis committi in hac curatione; in qua tamen, iuxtà Galeni sententiam, nullus, nisi à cæcutiente Medico error admitti potest. Sciendum autem est, Galenum ibi docuisse, ex omni hydropis genere, in solo Anasarca secandam esse venam, cum ex hæmorrhoidum, vel mensium suppressione, vel alia simili plethorica causa ortum duxerit. Ratio est, quoniam cum ex copia huiusmodi sanguinis immineat suffocatio caloris natiui, indicatur vt quamprimum hæc plenitudo tollatur, quod cum per sectionem venæ statim fieri possit; ideo dixit Galen. in hoc casu præsentissimum esse remedium venæ sectionem, videlicet vbi periculum extinctionis caloris innati immineat; in quibus duo ex Gal. notanda veniunt. Primum, quod hæc venæ sectio non conuenit in Anasarca iam facta; sed tantum in eius principio, quãdo caloris natiui extinctio imminet; quod principium cum sit cachexia, vt superius diximus; ideo in cachexia tantum conueniet hæc venæ sectio. Vnde iure meritò Aetius, prout & Oribasius, sectionis venæ tantum meminere in cura cachexiæ, non autem Anasarcæ; quod non animaduertens Paulus, & Alex. prout nec Auicenna, indistinctè hoc docuerunt, in Anasarca observandum esse; cum tamen haudquaquam conueniat; cum in facta Anasarca caloris natiui extinctio præsens, non imminens adsit; cum autem imminet, nondum factus sit morbus. Secundum notandum est, quod tantum in dicto casu secanda est vena, quando scil. plenitudo, ex qua pendet caloris natiui extinctio, est ex sanguine frigidiori; cuius ratione, exemplo ignis Gal. vtitur qui ferè extinguitur immissis lignis, tũ multis, tũ humidis, quod obseruandum maximè dixit. *Sic in frigidiore, ob copiam sanguine, vbi calor natiuus ferè extinguitur, præsentissimum est remedium sanguinis missio, quo tem-*

pore,

pore periculum hoc prehenderit. Talis autem solet esse sanguis, qui ex mensibus, vel hæmorrhoidibus retentis plenitudinẽ inducit; nam pravus, & melancholicus, qui est propria natura frigidior, per has excretiones euacuatur; quod si non ex hæmorrhoidum, vel mensium suppressione, sed ex alia causa fiat plenitudo, non quæcunque, sed solum sanguinis frigidioris, eadem erit obseruanda methodus; & ideo subiungebat Gal. illa verba, *vel ex quapiam, quæ ita plethorica sit causa*, idest, vel ex quacunque simili plenitudine, videlicet, frigidiori. Quibus sic stantibus, duo elicienda sunt. Primum, quod suppressis illis, vel similibus euacuationibus, cum incipit Anasarca, si sanguis sit calidior, non est secanda vena; quoniam hic sanguis calorem innatum potius fouet, quàm extinguat. Secundum, quod cum sanguis est frigidior, non tamen copiosior, nequaquam secanda est vena; quoniam vt periculum adsit extinctionis caloris innati, requiritur vt sanguis, & frigiditate, & copia peccet. Si autem hæc non adsint, nec etiam periculum extinctionis imminebit; quo casu, secanda est vena. Ex quibus perspicuum fit, quod in Anasarca conuenit venæ sectio à principio, idest, in cachexia, cui Anasarca succedat, & quidem ex plenitudine sanguinis frigidioris, vel ex hæmorrhoidum, seu mensium retentione, vel ex alia simili plethorica causa, à qua caloris natiui extinctio immineat; quam distinctionem non animaduertens Auicenna, simpliciter dixit, venæ sectionem conuenire in mensium, & hæmorrhoidum suppressione, & in omni alio casu, si adsint repletionis signa. At contra eam sententiam, quod vbi sanguis sit calidior, non sit secanda vena, quamuis suppressæ sint euacuationes prædictæ, quis diceret, ex hac suppressione, præter quam quod calidior est sanguis, etiam est copiosior; quoniam suppresso eo, qui excerni deberet, copia necessario succrescet; quare si non ratione caliditatis, saltem ratione copiæ est minuendus; cum etiam in Athletis, ex Hipp. & Gal. Lib. 1. Aph. 3. in quibus optimus abundat sanguis, sit minuendus; ne inde calor natiuus extinguatur, cuius extinctionis cum periculum adsit, & metus, in casu nostro; ita etiam in hoc sanguis minuendus veniet, quamuis calidior, dummodo sit copiosior. At sciendum est, Galenum Loc. cit. per *calorem natiuum*, intellexisse vitalem facultatem, & spiritum, cuius extinctionis periculum imminet ex ingenti illa plenitudine quoad vasa; & ideo dicebat, ad explicationem dictorum, ex tanta plenitudine in Athletis imminere periculum, ne aut aliquod vas disrumpatur; aut subita mors accidat; talis autem plenitudo, quo ad vasa, non datur ex suppressis mensibus, aut hæmorrhoidibus; quoniam in his, malus, in illis, probus abundat sanguis. Lib. autem Reg. Acut. per *calorem natiuum* intelligit calorem innatum hepatis, cuius ope sanguificat, & propria munia integrè obit; cuius extinctionis periculum non imminet ex probi sanguinis abundantia; cum calorem illum potius fouere, quàm extinguere valeat. Quare dissimiles sunt casus; nec hinc sequitur, calidiore existente sanguine, si incipiat Anasarca, ratione copiæ secandam esse venam, nisi illa duo ex Aph. citata immineant; quod tamen non ita facile fieri potest; cum in principio Anasarcæ, totus ambitus, & sanguis refrigerentur, nec probi sanguinis magna plenitudo adesse possit.

Per

Per ea verba. *Et phlebotomia quidem vehementius est proportionalis hyposarcæ, quàm Ascitæ*; innuit, venæ sectionem quandoque in Ascite conuenire, licet minus, quàm in hyposarca. At Galenus Loc. cit. Lib. 4. Reg. Acut. Com. 111. dicebat, hanc solum in Anasarca conuenire; hæcque subiungebat. *Tympaniam vero, & Asciten, nullus per sanguinis missionem sanare est ausus*. Quapropter caueant Medici, ne secent venam in Ascite, licet eam videatur admittere Auicenna.

In cura hyposarcæ, cum febre, duplex habetur textus, alter quidem; *quod non timetur solutio ventris, cum pharmaco, neque phlebotomia, donec remouetur*. Alter verò, *quod non timetur solutio ventris, neque phlebotomia, donec remoueatur*. Sed vterque Text. est alienus; & quidem quoad primum, sicuti febris non excludit sectionem venæ, nec pharmacum, ita, nec eandem, si sit iuncta cum hyposarca excludit; immo, cum in vtrisque seorsum hæc conueniant, pariter etiam si sint coniuncta, magis indicabunt, licet alia ratione; quoniam in febre pharmacum indicatur, perfecta coctione, quod non fit in hyposarca; quod pariter dici posset de venæ sectione; quoniam si sit febris intensa, copiosior, quàm pro ratione hyposarcæ requiritur sanguinis missio; quæ tamen, vt dictum est, etiam in hyposarca, in solo particulari casu conuenit. Quoad secundum, quod non timenda sit solutio ventris, neque phlebotomia, donec febris remoueatur, habet alteram partem falsam, si absolutè proferatur, videlicet, quod in hoc casu non sit timenda venæ sectio, donec perdurat febris; quoniam in hyposarca hæc non conuenit, nisi in principio, & cum sit ex redundante sanguine frigidiori, ob mensium, & hæmorrhoidarum retentionem; vel ex alia plethorica causa, cuius ratione caloris innati extinctio immineat.

Cap. XV. *Et phlebotomia*, inquit Auic. *non ingreditur in hoc, nisi rarò*. Per quæ innuit, in tympanite posse aliquam conuenire sectionem venæ. At isti loco eadem accommodentur, quæ dicta sunt de Ascite. Ex quibus liquet, sanguinis missionem in hoc non admittendam esse.

In cura tympanitis ex intemperie calida, administrat calida temperata; in ea autem, quæ ex intemperie frigida fit, exhibet ea, quæ intensa caliditate pollent. At in tympania ex intemperie calida, illa possunt quidem conuenire, ad discussionem flatuum; sed ad remouendam intemperiem frigidã, positiuam, nequaquam.

Cap. XVI. *Et quandoque*, inquit Auicenna, *tenduntur hypochondria, & myrach ventris, propter siccitatem sequentem malitiam complexionis, aut apostemata intrinseca*. At quomodo ista fiant non ita expressit Auicenna, nec omnes causas exposuit. Quare ad hunc locum referantur ea, quæ scripsi de hypochondriorum reuulsione, & tensione, ob apparentem in Gal. contradictionem.

Cur in febribus pestilentibus tendantur hypochondria, nec hoc loco, nec vbi de signis febris pestilentis, declarauit; quod tamen explicandum fuerat. Sciant autem Iuniores, tales fieri hypochondriorum tensiones in his febribus, ratione flatuum, genitorum ob languorem caloris innati, à praua qualitate, & maligna dictarum febrium natura.

FEN

Fen Decima Quinta Tract. Primus Cap. Primum.

Cap. I. VSum vesicæ fellis multiplicem proponit; quorum primus est *mundificatio hepatis à superfluitatibus spumosis, & biliosis*. Alter, est *eiusdem calefactio*; sicuti enim ab igne supposito calefit vas, ita à vesica fellis, cum contineat succum calidiorem, calefit hepar; quod est inuentum Auicennæ; sicuti primum Galeni. At hic secundus vsus, licet videatur probabilis, ex parte causæ; attamen cum nouerimus, hepar, insito, non extraneo calore opus suum obire, non ita videtur rationi consonum, illud inde calefieri debere. Et hæc de secundo vsu in dubium reuocari possunt. Quoad reliquos autem, in omnibus Galeno consentit.

Cap. II. Quod splenis vsus sit ad *resistentiam cordis, & hepatis, & fellis*, prout fuit commentum Auic. solius; ita etiam non admodum probabilis est; cum membra non ad resistentiam, sed ad proprium vsum efformata sint, membraque in operibus naturalibus mutuam sibi prȩstent operam; non autem sibi inuicem sint contraria.

Debilitata facultate expultrice splenis, plura incommoda sequuntur, inter quæ hoc recensetur, quod *in splene retinetur ille melancholicus succus, qui os ventriculi commouere debet*. Quam sententiam ex Paulo exscripsit. At notũ est, meatum illum non peruenire ad os ventriculi, nec melancholiæ vsum ad os ventriculi pertingere, vt iam declaratum est.

Et quando, inquit Auicenna, *mandat eam cum superfluitate, fortis fit fames. Et si fuerit acetosa, & non fuerit superflua, tunc facit vomitum, & facit nauseam*. Quorum verborum hic est sensus, quod melancholia ad os ventriculi transmissa, si sit copiosa, excitat intensam appetentiam; si autem sit acida, vomitum, & nauseam inducit. Cuius oppositum docuit Galenus, dicens, ex melancholico succo ad ventriculum decumbente, si plane acidus sit, intensas produci appetentias, vt apparet Lib. de Multit. 297. Cap. & Lib. de Loc. aff. Cap. 1. quo loco monet, has appetentias fieri, si suppresso vomitu, in ventriculo retineatur, & valde acidus existat hic humor. Quare non ratione multitudinis, sed potius ratione aciditatis appetentia excitatur. Si autem non planè acidus sit, sed copiosior, tunc vomitum, & nauseam inducit. Quapropter, suspicor Auicennæ Textum corruptum, & immutatum esse, legendumque oppositum, scil. *Et quando mandat eam acidam, fortis fit fames. Et si non fuerit acetosa, & fuerit superflua, tunc facit vomitum, & nauseam*. Et hic Textus consentit omnino Galeno, & rationi.

Cap. III. Inter causas multiplicationis biliosi humoris, recensens apostemata calida, subiungit. *Et frigida sunt digniora ad generandam choleram nigram*. At frigida apostemata possunt quidem generari ex cholera nigra, idest, ex melancholico succo; prout sunt scirrhi melancholici; at quod ea possint esse causa talis humoris, falsum est: quoniam refrigerando possunt vtique facultatem naturalem debilem reddere, ac proinde esse causa humoris pituitosi; sed quod hinc terrestris humor generetur, vero consentaneum non est, cum hic vel ratione ciborum, vel ratione exteriorum, vel ratione in-

tensi

tensi caloris solum fieri, & multiplicari inde possit.

Monet Auicenna, inter causas, propter quas non euacuatur bilis, & inde retenta icteritiam inducit, frigidam hepatis intemperiem, cuius ratione languescit, & ob frigiditatem, cuius est constipare, eiusdem vasa coarctantur, ac bilis excretione à sanguine intercepta, icteritia succedit. Qui casus aduertendus est; cum sæpè contingat, & negligatur à Medicis, qui vbi acciderit, nouerint quinetiam hoc sæpius euenire in principio hydropis, & cachexiæ.

De Icteritia cum colico dolore monet, hunc non esse causam Icteritiæ, sed vtriusque esse communem, scilicet oppilationem ex materia pituitosa in intestinis, offarciente meatum ad cephysin: cuius ratione, cum non euacuetur bilis, nec etiam expurgantur intestina à pituitoso humore, qui doloris causa fit. At sciendum est, casum hunc esse quidem possibilem, non tamen experimento compertum: icteritia quippe non solet præcedere colicam, sed colica potius icteritiam; vi autem doloris cum agitentur materiæ, & inde vomitus succedat, sæpissimè tum à bile, tum ab humore pituitoso, sequitur icteritia, obstructo meatu ad cephysin ab eadem materia agitata, dolorem inducente; quæ icteritia sæpius ex se, nullo administrato remedio, & quidem paucissimis diebus tollitur, descendente ea materia ad inferiora.

Agens de causis icteritiæ nigræ, & proponens eas quæ fiunt ex hepate, inquit, aliquando melancholiam multiplicari in corpore humano, propter vehementiam frigiditatis hepatis; cuius ratione sanguis conturbatur, & nigrescit. At ex Gal. nouimus Lib. Art. Med. Cap. proprio, frigidum iecur pituitam, non melancholiam generare. Cum autem subiungit Auicen. sanguinem ex vehementi frigiditate conturbari, & nigrescere, alludit ad Galeni sententiam, propositam Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 2. vbi agens de excretionibus sanguineis, & explicans quartum earum genus, videlicet, cum educitur sanguis atræ bili immistus, inquit, hunc, & nigriorem multò, quàm sit pro eius natura, & splendentem esse; posteà subdit hæc verba. *Quippe sanguis ipse per se, cum ex frigore fit niger, adeo nullum splendorem acquirit, vt etiam, quem ab initio habuit, amittat.* Ex quibus verbis superiorem sententiam desumpsit Auicenna, qui tamen in hoc deceptus est; cum Galenus, nō de frigiditate hepatis, sanguinem generante; sed de sanguine ex aluo fluente agat, qui si sit cum bile atra mistus, erit *splendens*, inquit Galenus; quoniam ex atra bile, quæ ex immodico fit calore, splendorem acquirit; si autem sit simplex sanguis, refrigeratur, cum extra venas fluxerit; vnde non solum splendorem non acquirit, sed etiam exhalantibus spiritibus, & parte ichorosa separata, colorem proprium viuidum amittit, & nigrior euadit. Hanc autem esse Gal. mentem inferiora verba demonstrant, cum inquit. *Non enim sicuti concretus sanguis, qui Grecè θρόμβος dicitur fit, eodem refrigerato; sic etiam nigra bilis generatur.* Ex quibus liquet, Galen. locutum esse de sanguine extrauenato simplici, comparatione eius, cui atra bilis est admista. Subiungit autem Auic. eodem sermone de hepatis frigiditate, ob quam melancholia succrescit. *Et quandoque est illud frigus cum siccitate, & quandoque est*

est propter apostemata frigida, dura. At ex Gal. nouimus Lib. Cit. Art. Med. frigidum, & humidum hepar generare sanguinem, ad pituitæ naturam accedentem. Scimus quin etiam, scirrhis hepatis, pituitæ, & hydropis productionem succedere. Quo autem ad intemperiem frigidam, & siccam, posset quidem præbere aliquam coniecturam exuperantis humoris melancholici, verum cum frigiditas faciat ad pituitæ copiam; siccitas autem ad sanguinis crassitiem, generabitur quidem sanguis siccior, pituitosior tamen; non autem melancholicus.

Eandem sententiam, de causa copiosioris succi melancholici, ex hepate, traducit ad habitum totius corporis, dicens, huius ratione *quandoque melancholiam abundare, propter vehementiam frigiditatis eius, propter quam congelat sanguinem, & denigrat ipsum*. Sed sanguis intra venas non congelatur, licet possit crassescere. Si autem hic fiat ex intemperie totius corporis frigidiori, cui dubium, quod hinc periculum immineat Anasarcæ, iuxta principia Gal. & eiusdem Auicennæ, durante hac intemperie, à qua haud dubitandum est, quin copiosi phlegmatis, non melancholici succi generatio contingat.

Prognosticum illud, quod Icterici, qui non curantur, nec resoluuntur, vt plurimum subita morte pereant, contradicit experientiæ, ac proinde alienum est, & nequaquam dignum nostra contradictione; prout & illud vltimum, falsò Hipp. adscriptum, parum rationi consentaneum est, vtpotè ex pluribus affectibus, quæ propriè ad ictericos non pertinent, compositū.

Cap. IV. Tradens signa icteritiæ ex intemperie calida totius corporis, inquit. *Et fit appetitus paruus, cum acceptione grossi, & dulcis*. Quæ verba quoniam sunt amphibologica, nisi intelligantur ad mentem Aetij, qui dixit, omnes ictericos dulces cibos auersari, falsa forent; experimento enim cōpertum est, hos à dulcibus abhorrere; acida autem, & austera potius expetere.

In explicatione pulsus ictericorum, longius à Galeno recedit, qui dixit Lib. 4. de Cauf. Pulf. hunc esse paruum, ob virtutis debilitatem, cuius ratione etiam affirmauit, nequaquam posse esse velocem; cum velocitas pulsus cum languida virtute esse nequeat. Quæ Auicennæ sententia, sicuti sensui contradicit, qui in ictericis (nisi præter icteritiam, alter adsit affectus vires prosternens) virtutem validam esse testatur, neque etiam consentit Galeno, qui Loc. cit. dixit. *Non tamen est languidus; neque enim imbecilla est facultas; neque vero etiam celer, quod absint febres; nam illæ si admistæ sint, propterea quod vrgeat vsus, celer etiam fiet*.

Icteritiam nigram ex splene inquit comitari eiusdem duritiem, tumorē, & dolorem. At præter hæc omnia, etiam sola imbecillitas splenis, ex sola intemperie, vt habetur in principio Lib. 6. de Loc. Aff. & vt etiam ab eo exscripsit Auic. solet esse causa præcipua icteritiæ nigræ; quapropter illa signa non sufficient.

In Icteritia nigra, monet aliquando superuenire sudorem nigrum. Qui casus licet ob similitudinem cum icteritia citrina, in qua excernitur sudor citrinus, videatur posse fieri; attamen cum humor melancholicus sit ad-

modum terrestris, & siccus, non videtur tanto ichore abundare, vt possit hic sudor excerni, qui potissimum sit coloris nigri.

At dices, experientia testatur, melancholicos plurimum sudare, plurésque quartanas, à succo melancholico putrescente, suas periodos copioso sudore terminare; cuius rei etiam exemplum habemus ex Hippocr. Lib. 2. Epid. sect. 3. Tex. 20. in vxore, Hippostrati nomine, in qua facta est crisis per sudorem, cum esset quartanaria. Si autem hoc, igitur nec fuerit negandum, melancholicum succum, licet proprio temperamento siccum, plurimo ichore abundare posse. Cum autem ichor proportione respondeat proprio humori, nec erit impossibile, quod hoc excreto per cutim, sudor niger egrediatur. Insuper sciendum est, in verè melancholicis plurimum seri, & ichoris congeri, non ob succi proprij naturam, quoniam hinc paucus, ratione sicci temperamenti esse debet; sed ratione debilitatis calidi naturalis, facultatis debilis, tum ratione cruditatum, & coctionis labefactatæ; & quorum ratione, & plurimus ichor, & copia crudioris, & aquosioris pituitæ colligitur. Ex quibus elicio, si in melancholicis copiosus fit sudor, non fieri ex proprio succi melancholici ichore; sed ex eo sero, quod ob coctiones imperfectas, & facultatis imbecillitatem, vna cum pituita aquosiori in eis colligitur; hic autem sudor, cum non sit proprius humoris melancholici ichor, nec eius naturam potest redolere. Quare, niger esse non poterit; licet proprius istius humoris, possit quidem per sudorem excerni, verum adeo paucus, vt excretus totam humiditatem succi absumat, humoremque sincerum, & rebellem relinquat, & affectum ipsum deteriorem reddat; quæ cum non succedant, vt experientia testatur, in icteritia nigra, neque censendum fuerit, in ea proprium succi melancholici serum per sudorem excludi; sed illud solum, quod aquosum humorem, & cruditatem ex inconcoctione, vna cum pituitoso succo suscepit. Si tamen illud contingat, rarissimum certè est, & forsan aliquam seruans proprij succi naturam, ad nigrum colorem declinare quidem; non verè tamen niger esse poterit; cuius ratione forsan dictum est ab Auicenna, quandoque in hoc affectu sudorem nigrum fieri, non autem semper; quoniam ita rarum hoc est, vt proprius huius humoris ichor per sudorem excernatur, vt frequentissimum est, eum, qui ex cruditate in his redundat, per sudorem excerni; vt experientia patet in quartanis, in quibus cum sit quandoque hic sudor copiosissimus, prout in illa muliere, de qua Lib. 2. Epid. clare hinc patet ichorem non esse serum melancholici humoris, cum hic propria natura pauco sero scateat, sed potius eum, qui ex continuis cruditatibus accumulatur.

Cap. VI. Inter modos curandi icteritiam, quoad causam, enumerat *sectionem venarum sub lingua*. Verum optimè, & iurè subiungit, *ex eo quod narrauerunt quidam*; insinuans, hanc sententiam non esse propriam, cum sit Archigenis; vt habetur Lib. 9. de Med. secundum Loca; sed sine ratione. Cum autem addit. *Et si non fuerit illud, tunc cum ventosatione supra locum hepatis, sub spatula dextra, aut sub eo spatio, quod est sub costis*. Proponit remedium prædicto simile, quod in antiquata hepatis affectione vsurpatur; quo casu hoc laudat Aetius, ad eductionem, & resolutionem quidem facere potest; non tamen ad

ad sanandam icteritiam valet.

Si fuerit inflammatio in felle, inquit, *confert quandoque, vt cibetur infirmus pane azymo*. Sed quis laudauerit in icteritia hoc panis genus; cum in hac sit aperiendum; panis autem azymus, ob sui crassitiem, & viscidítatem, aptus sit obstruere? Sal autem tritum, quod apponit, licet faciat ad abstersionē, & attenuationem; attamen aptum est inflammationem nimium irritare; quod vitandum in omnibus internis inflammationibus. Atque adeo in his omnibus semper à sale cauendum; tum quoniam nimis calefacit; tum etiam quoniam nimis irritat.

In Icteritia ex causa calida, iure docet *vitandas esse vigilias, iram, & plurimum motum*. At quod balneum vitandum sit, præter rationem docet; cum enim balneum, & humectare, & refrigerare, & discutere possit, omnino cōuenientissimum fuerit. Nisi forsan Auic. per *balneum* intelligat illud, de quo inferius, cum inquit. *Aqua vero frigida actu, & illa, in qua sunt virtutes medicinarum constipantium, prohibent resolutionem icteritiæ*.

Inter remedia, quæ ad discussionem materiæ, & ablationem coloris ictericorum faciunt, recenset aspectum rerum citrinarum, dicens, *hunc mouere naturam ad expellendam materiam citrinam, totam ad cutem*. Quæ opinio licet non sit Auicennæ propria, nihilominus eam admittit, dicens, se eam non negare. Cælius tamen Aurel. Lib. 3. Chronic. Pass. Cap. 5. hanc improbat dicens, non esse probabile, exteriora per colorem ad intra corpus agere, & potius illum aspectum rerum citrinarum esse damnosum, quàm vtilem; quoniam, cum maximum remedium in icteritia sit hilaritas, & laxatio animi; aspicere autem citrina, & aurea sit in memoriam reuocare proprium affectum, maximè alienus erit hic aspectus; cum ex commemoratione propriarum passionum, tristes, ac mæsti necessario fiant ægrotantes; quæ potissima causa est augendæ passionis. Quæ sententia videtur magis suscipienda, quàm illa Auic. quoniam hæc est satis probabili ratione demonstrata; cum Auic. nullo argumento suam sententiam simpliciter adduxerit. Verum pro Auic. facere posset Gal. sententia proposita, Lib. de Theriaca ad Pisonem, docentis, quantum polleat imaginatio, & aspectus, exemplo mulieris concipientis. Pro eodem facere etiam videtur experientia; nam medicinam communiter facientes, ad euocandos affectus sanguineos ad cutem, monēt, quasi color ad id multum polleat, ægrotantes debere pannis rubeis indui, & tegi, ac rubeas res intueri. Quod autem aspectus rerū citrinarum, vt inquit Cælius Aurel. suscitet propriæ passionis memoriam, ex qua tristes fiant, & propterea lædantur, responderet Auicenna, si talis aspectus fiat ab icterico, monente Medico, hoc subleuandum fore ipsum à morbo, hunc aspectum, non ad mæstitiam, sed ad spem potius excitare, quæ lætam homines vitam ducere suadet. Ego tamen in hac difficultate, ad Cælij potius sententiam feror; cum credam talem aspectum inutilem esse omnino; quia color non est qualitas actiua; nec imaginatio in omnibus rebus æquè pollet, & præcipuè vbi materia mouenda est segnis, qualis est bilis in ictericis. Indumenta autem rubea possunt quidem prodesse in excretionibus sanguineis ad cutem; non quia sanguinem ad illam alliciant; sed quoniam

propria virtute calorem innatum fouentia, & eumdem magis in vnum cogentia, vim expultricem ad proprium opus excitant. Aspectus autem talium rerum, cum valde disgreget spiritus, & visum, facit etiam ad quandam effusionem materiæ; verum hoc per accidens; quòd fieri pariter non potest in icteritia; cum hic materia sit quieta, illic autem moueatur.

Remedium illud *ex corticibus granatorum, & arsenico*, adeo est præter rationem, & alienum, cum adstringentia, & deleteria non conueniant, vt non mereatur censuram.

Quantitas illa cinnamomi, quam tolerant, inquit Auicen. *tres digiti*, est immodica, & tanta, vt nisi parum eius tribus illis digitis assumatur, maiorem noxam, quàm vtilitatem possit inferre.

Cap. VII. In Icteritia nigrà, ex debilitate virtutis attractricis splenis, monet applicandas esse *cucurbitulas supra ipsum splenem, sine incisione*. At Aetius in cura morbi arquati dicebat, splene affecto administrandas esse cucurbitulas cum scarificatione; *inanes enim*, inquit, *splenem nihil iuvant*. Et hoc forsan non sine ratione, cum splen adeo limoso, & terrestri alimento fruatur, vt si non scarificatio fiat, potius ex conculcata in eodem materia, lædatur, quàm iuvetur.

Fen XV. Tractatus Secundus Cap. I.

Cap. I. PEr ea verba. *Et scias, quod quando splen impinguatur, extenuatur corpus*. Alludit ad sententiam propositam Lib. de Locis in Homine, vbi habetur, turgente liene, corpus emaciari, horumque affectuum eandem esse causam. Quam eandem sententiam adducit Galenus Lib. 2. de Nat. Fac. Cap. 9. dicens. *His quibus viscus id magnum, & tumens augescit, corpus minui, & cacochymum reddi*; prout è contrario, *lien ijs, quibus corpus floret*, testante id Hipp. *imminuitur*. Quapropter, per *impinguationem* Auicennæ, non veram, quoniam lien nunquam hunc affectum patitur, sed tumorem, & incrementum intelligamus.

Per ea verba. *Et quandoque perueniunt ægritudines splenis ad stomachum, & fortaßis addunt in appetitu eius, & quandoque destruunt appetitum eius, & quandoque cogunt ipsum, cum propinqua est digestio, ad vomendum rem acetosam, ex qua ebullit terra*. Licet videatur Auicenna contraria de eodem, nec quæ constant asserere; tamen vera profert, mutuata à Galeno Lib. 6. de Loc. Aff. in principio, quo loco habentur dictorum symptomatum manifestæ causæ; nempe ipsius appetitus intensi, cum à liene transmittitur ad ventriculum melancholicus succus, valde acidus, qui si aliquam corruptionem patiatur, appetentiam labefactat, & deijcit; qui insuper si copia, vel praua qualitate ventriculum lædat, vomitum prouocabit. Quapropter lien oppositorum symptomatum causa quidem esse potest, sed per oppositas actiones.

Monet Auic. *vrinam sanguineam, & grossam*, in qua sit subsidentia subnigra, bonam esse in ægritudinibus splenis, hincque quandoque resolui febres, quarum fomes sit ex splene. Quapropter subiungit. *Resoluitur per ea splen*. Quæ sententia non est simpliciter admittenda, eo sensu potissimum, quod

quod lien per hanc vrinæ excretionem euacuetur, & inde resoluatur; quoniam lien non consentit cum vijs lotij, nec per illud expurgari potest; prout ex Anatome manifestissimè patet; atque ex Gal. plurimis in locis habemus, qui semper docuit, lienem per alvum, non per vrinæ meatus expurgari posse. Vnde Lib. 13. Meth. Cap. 17. dicebat, in liene vero alteram duntaxat esse superflui euacuationem, cum quæ per renes agitur, mista huic visceri vacuandi via pateat. Ideo Lib. 2. ad Glauc. Cap. 2. dicebat, intestina, & lienem per inferiores excretiones expurgari. Lib. autem 6. de Loc. Aff. Cap. 4. distinguens membra expurgantia per alvum, ab his, quæ expurgant per vrinam, inter ea recensuit lienem, dicens. *Per alvum vero pars iecinoris ima, intestina, ventriculus, lien.* Quapropter, non est censendum simpliciter lienem per *lotium resolui*, vt videtur Auicenna docuisse; ni tamen per affectus ex liene pendentes, intelligamus humores, qui in venis, vitio lienis congeruntur, posse per vrinam solui. Hinc possumus etiam dicere, resolui lienem; quoniam ex cacochymia illa souebatur eiusdem affectus, qui minuitur, illa remota; non autem quod per lotium materia in liene contenta educatur, & inde resoluatur.

Cap. II. Docens signa intemperierum splenis, inquit, virtutem eius attractiuam corrumpi ex intemperie calida; debilitari autem ex frigida. At ex Gal. Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 3. virtus attrahendi maximè debilitatur ex intemperie humida; frigiditas autē nulli actioni est ex vsu. Quod autem ex intemperie calida hæc corrumpatur, non videtur probabile; cum proprium caloris sit trahere; nisi per *corruptionem*, intelligat, quod lien ob hanc intemperiem male attrahat, nimis attrahendo; quod videtur posse fieri; cum ex nimia caliditate membra plus attrahant, quàm ipsis conueniat.

Cap. III. *Ægritudines splenis*, inquit Auicenna, *aliquando inducunt necessitatem mittendi sanguinem; quo casu, phlebotomatur basilica maior, & saphena, & quando est necessitas, secandi vtrasque venas guidegi.* Quæ sententia cum tres habeat partes, tria etiam animaduertenda exhibet; nam quoad basilicam maiorē, ad mentem Hipp. qui κατ' ἴξιν seruandam docet; & ex Gal. Lib. de Sanguinis Missione Cap. 16. secanda est basilica sinistra, non dextra, ad mentem Arabum, qui oppositam membro patienti venam secare docebant. Quoad saphenam verò, nihil commune hæc habet cum liene, nec eo affecto conuenit eam secare; cum ex Gal. Lib. Cit. Cap. 18. partibus supra renes patientibus, secandæ sint superiores venæ, non inferiores. Quare, si Auic. ad mentem loquitur Galeni, pro saphena, saluatellam, quam malè explicauit interpres, scripsit. Quoad *venas guidegi*, maiora insurgunt dubia, quàm ex prædictis; tum quoniam sunt periculosæ, & discriminis plenæ, si secentur; tùm quia non consentiunt cum splene; tum etiam quia non tantum sinistra, quæ est è directo splenis, sed etiam dextra, quæ non habet vllam rectitudinem cum splene, secanda præcipitur. Sed forsan hanc sententiam exscripsit, sed male, ab Archigene, qui, vt habet Gal. Lib. 9. de Comp. Med. secundum loca, monet, quadam antipathia lienem affectum leuare, sectam retrò sinistram aurem venam, si sanguine postmodum detracto, splen con-

fricetur; vt sententia sit Archigenis, secandam esse eam venam, non ad vsum phlebotomiæ; sed vt inde eliciatur sanguis, confricando spleni, existimans scil. per quandam antipathiam id iuvare posse.

Cap. IV. Exponens *figuras* lienis, dum dicit quatuor esse, alludit ad Hipp. sententiam Lib. 6. Epid. sect. 2. Tex. 42.

In ea sententia, qua habet, si spleniticus habeat dolorem in internis partibus, facilius sanari posse; quoniam cum eo affectu sensus adhuc viget, licet falsò citet Hippocratem; tamen accedit Galeno, qui docuit, scirrhos exquisitos, idest, sine sensu, insanabiles esse; cæteros autem curationem admittere.

Alludit ad sententiam Hipp. propositam Lib. 6. Epid. sect. 2. Tex. 43. per ea verba. *Et dixit, illi, qui catarrhum habet, non accidit splen.* Cuius sententiæ duas rationes assignauit Galenus in Com. Prima est, quod cum raro in corpore humano duo sint membra, à naturæ primordijs, imbecilla, hinc sequitur, quòd etiam rarò, qui patiuntur grauedinem, infestantur à lienis tumore. Secunda est, quod in quibus pituitosa humiditas, aut tenuis, & aquosa colligitur, rarò fiunt tumores à crassis, & melancholicis humoribus. Primam rationem neglexit Auicenna; secundam verò probauit, his verbis. *Et fortasse multitudo catarrhi est significatio humiditatis complexionis eius.* Differt autem hæc Auicennæ sententia ab Hipp. & Gal. quoniam Auicenna simpliciter dixit, *illi, qui catarrhum habet, non accidit splen*, vniuersali quasi præcepto. At nec Hipp. nec Gal. vniuersaliter; sed tantum sæpius hoc fieri docuerunt. Vnde Hippocrates, comparatiuè locutus, dicebat. *Minus capitis grauedine laborantibus.* Galenus autem ad primam rationem dicebat. *perrarum autem est; ad secundam autem, haud ita sæpè.* Quare hæc sententia non simpliciter, vt protulit Auicenna: sed vt plurimùm intelligenda venit.

Quæ scribit Auicen. de Vrinis in apostematibus splenis, corrigantur, ex ijs, quæ scripta sunt superius, super primum caput.

Cap. V. *Ex apostematibus splenis, & propriè quando sint in inferiori eius parte*, inquit Auic. *subtiliatur sanguis; & hoc, quoniam splen vehementer mundificat sanguinem à fæce sua.* At cum splen patitur apostema, nihil omnino admittit in se; si autem non suscipit, quomodo potest sanguinem mundificare? Præterea splen aptus est sanguinem mundificare, cum robur suum seruat; at eodem apostemata patiente, languidum fit, nec crassiorem sanguinis partem potest absumere; sed eam in corpus effundit. Quare nec tunc sanguis mundificare eum potest. Qui tamen sanguis verè in progressu apostematum splenis *subtiliatur*, sed non ob dictam rationem Auicennę, qui hanc sententiam exscripsit ab Hippocrate Lib. 6. Epid. sect. 2. Tex. 40. quo loco quærens Hipp. cur in ijs, quibus lien est decliuis, pedes, & manus, & genua calida, nasus autem, & aures frigidæ sint, respondet, num propter hoc, quod tenuis sit sanguis; num & naturâ talem isti habent? Quam sententiam cum viderit Auic. eam huc transtulit; non tamen eius rationem accuratè explicauit; non enim hi abundant tenui sanguine, quia lien scirrho affectum, melius expurget sanguinem validiusque attrahat eius partem crassiorem, vnde tenuior euadat; sed quia liene affecto temporis progressu in consen-

sum

sum trahitur hepar, vnde generatur sanguis tenuis, & aquosus; atque ideo dubius respondet Hipp. ad quæsitum, dicens; *num propter hoc, quod tenuis sit sanguis*; quoniam liene solum affecto, sine cōsensu hepatis, sanguis crassior cum non expurgetur à propria fæce, abundat, & accumulatur; cum tamen postea, si lieni consentiat hepar, vnde languidius fiat, & ad cachexiam declinet, tenuiorem generat sanguinem. Et quoniam non semper liene affecto, nec ex propria dispositione eiusdē sanguis aquosus generatur; ideo, & Hipp. subdit dubius, ea verba, *num & natura talem isti habent sanguinem*; nam à principio crassiorem, in progressu verò tenuiorem habent.

Et phlebotomia plurima apostemat splenem, inquit Auic. At per *plurimam* duo potest intelligere, scilicet, vel copiosam, vel sæpius repetitam phlebotomiam. Si intelligit copiosam, è diametro opponitur Galeno, qui Lib. de Curatione per sanguinis missionem, in lienosis secat venam ad libras; atque Lib. 3. Anat. Admin. monet, non nullos liene affecto saluatellam secare, sinentes sanguinem ex eo fluere, quousque vltro sistatur. Quam sententiam suscepit etiam ipse Auicen. in principio Cap. 7. Si autem per *plurimam*, intelligit sæpius repetitam, & maximè eodem anno, rationi magis consentanea est sententia; damnauit quippe Oribasius, ex Apollonio Lib. 7. Collectan. Med. Cap. 19. eodem anno sæpius venam incidere; cum hinc effuso multo sanguine, vitalem spiritum quoque effundi necessarium sit, quo copiosè exhausto, tota corporis compages refrigeratur; quod cum valde noxium sit, refrigeratioque potissimum ad lienem pertingere queat, ex qua debilitatur, non mirum, si apostema sequi possit. Sed sicuti hæc est causa remota valde, & communis cæteris membris; ita etiam parum opportunè huic loco inseritur.

Et splenitici quidem vehementiorem cibi appetentiam habent, quàm alij, inquit Auic. At hoc signum, nec vniuersale, nec semper est verum, vt ex supradictis in primo Cap. patet; nam ij tantum, quibus succus melancholicus valde acidus ad os ventriculi transmittitur, intensè appetunt; Si autem hic succus aliquam corruptionem passus fuerit, vel ad alvum, aut aliò transmissus sit, appetentiam non auget.

Cap. VI. In præcepto phlebotomiæ basilicæ, iuxtà mentem Gal. procedendum est ad sectionem basilicæ sinistræ, vt superius notatum est.

Cap. VII. Sectio *guidegi sinistri* administranda iuxta normam eorum, quæ superius obseruata sunt de sectione venarum in affectibus lienis Cap. 3.

Quod scripsit Gal. Lib. 9. Comp. Med. secundum loca, ex Archigene, de hepate vulpis, exscribit Auicenna, qui etiam ad pulmonem transit. Verum lectio illa diuersa, *per*, indicat, Auicennam non simpliciter intellexisse Galeni, seu Archigenis Textum.

Cum dicit Auicenna, quod si *illæ Medicinæ in potu dentur porcellis, aliquibus diebus, non reperitur in eis splen*; mutuatus est ex Gal. Loc. cit. recensente medicamenta Asclepiadis, qui proponens pastillum splenicum tumorem liquantem, in fine subiungebat. *Qui pharmacum hoc tradidit, dixit, porcellum, ad triduum hoc bibisse, & postea resectum sine liene inuentum esse*. Non tamen prout in hac fabula, consentit Auicenna cum antiquioribus; ita conuenit in

medi-

medicamento; quoniam diuersa sunt inter se; sed forsan in hoc figmento noluit Auicenna Græcis cedere.

Docens modum administrandi Trochiscos, monet in horum vsu *abstinendum ab aqua esse; vel saltem ægrotantes minus de ea potare*. Cuius rei rationem subdens, inquit, hoc agendum esse, *vt medicinæ virtus saluetur*, & præcipuè in hepatis caua parte; per quam facilius spleni impertiri potest. *Et non trahatur ad eius gibbositatem, propter adiutorium aquæ in his medicamentis*. Quoniam scil. assumpta aqua, penetrant ad gibbositatem hepatis medicamenta ea diluta, & attenuata, sine cuius vsu hæret medicamentum non attenuatum in parte sima hepatis, per quam facile potest penetrare ad lienem. At licet Auicennæ præceptum sit verum, & obseruandum; non tamen eius ratio est admittenda; quoniam aqua noxia est, non quia eius ope fiat ista deriuatio ab hepate in lienem; sed quia obtũdens hæc vim medicamenti, & quia infensa est hypochondrijs, lienemque præcipuè, ob eius frigiditatem, & humiditatem lædens, vtilitatem medicamenti, vnà cum visceris robore tollit.

Docet per ea verba. *Et quandoque oportet, cum dominatur humor melancholicus, & sanguis, vt phlebotometur alguidegi sinistra, in abundantia humoris melancholici secandam esse venam iugularem sinistram*. Sed de hoc superius locuti sumus, non admittentes huiusmodi sectionem; At forsan melius fuerit legere, *saluatellam sinistram*, quàm *alguidegi sinistrum*. Atque ita conueniet Auic. cum Galeno, & Antiquioribus Græcis, & periculum effusionis sanguinis vitabimus. Sed legentes Textum, prout est, mirari subit, quod Auic. qui sanguinis euacuationes ex tot partibus faciendas docuit, omiserit illam, quæ ex hæmorrhoidibus reseratis fit; cum ex hac tumores scirrhosi lienis aliquando soluantur; vt docet Gal. Lib. 6. Epid. sect. 6. Com. 8. dicens. *Quinetiam atram bilem hæmorrhois plerumque incipientem prohibuisse, & iam factam remouisse; nec non, & obduratum lienem sanauisse conspecta est*.

Inter cibaria spleniticorum, laudat *cibos pingues*. Qui an conueniant potest esse dubium; cum spleniticis conueniat cibus attenuans; pinguia autem potius incrassent, quàm attenuent; nisi forsan ad emolliendum huiusmodi cibos laudet. Sed tutius est in hoc casu simpliciter attenuantibus vti; quoniam inde magni lienis scirrhi, vt testatur Galenus Lib. de Attenuante diæta, in principio, colliquantur, quam assumere suspecta, qualia sunt pinguia, quæ nunquam laudantur in vsu ciborum. Quinimo dicebat Galenus Lib. 4. Reg. Acut. Com. 102. pinguedinem omni carne sui generis esse deteriorem. Quare, per *pingues cibos*, assumerem, & intelligerem carnem animalium pinguium, non autem ipsam pinguedinem.

Cap. VIII. Verba illa. *Phlegma eius est melancholicum*, duplicem possunt habere sensum; alterum, quod phlegma inducens apostemata in liene, conditionis est humoris melancholici, iuxtà eam opinionem, quod humor melancholicus etiam per adustionem gignatur ex pituita; qui sensus non respondet Gal. nec est admittendus. Alterum autem, quod phlegma huius apostematis causa, est melancholicum; quia sit commistum melancholico succo, quo nutritur lien; qui sensus probandus est; quoniam œdema purum

ex

ex sola pituita fieri in liene non est probabile; cum humor melancholicus continuò ad eum attrahatur. Vnde si tumeat ex pituita, hæc non erit simplex, nec purum erit œdema; sed erit miscella phlegmatis cum humore melancholico. Atque adeo iure dicebat Auicenna, *cum euacuatione phlegmatis, & melancholiæ*; & erit œdema tendens ad naturam scirrhi.

Cap. XI. Inter signa inflationis splenis, proponit *duritiem*; quæ tamen propriè sumpta non reperitur in inflatione, licet in ea sit tensio, quæ tactu cedit. Quo iure dictum est ab Aetio. *Inflationem splenis tumor loci consequitur, qui apposita manu, ad tactum cedit, & distensionem loci infert.* Cum autem ad tactum cedat, nequaquam ea est durities; cum dura ad tactum non cedant, per quam differentiam scirrhus differt ab inflatione; nec idem quis existimet esse durum, ac tensum; cum valde inter se distent, vt ex contrarijs eorum patet; nam duro opponitur molle; tenso autem laxum; hincque differunt medicamenta emollientia à laxantibus, sicuti & indurantia à tendentibus; quæ omnia distinctè docuit Gal. Lib. 5. de Simpl. Med. Facult. Cap. 5. & 11. Ex quibus concludo, in inflatione duritiem verè sumptam (quæ propriè in scirrho reperitur) nequaquam adesse; sed tantum tensionem, quæ tamen impropriè vocari potest durities; cum etiam admittatur à Gal. loc. cit. Cap. 5. quod renitens, & tensum propriè est, vocari quandoque durum; quam duritiem indicauit Auic. non esse propriè dictam, per illam vocem *comprimitur*, quasi idem dicat, quod Aetius, scilicet, quia *ad tactum cedit*. Atque hæc notare volui, in gratiam Iuniorum, ne in hac duritie decipiantur.

Quando addit, *eructationem*, inter signa inflationis, si *inflationem splenis* tantum intelligit, vt supponit in cura, difficile est hoc signum adesse, cum flatus sint in liene conclusi; si autem cum *splenis inflatione*, supponit etiam flatus in ventre generari, vtrum erit; quod hanc inflationem sequantur eructationes.

Cap. XII. Cum flatus lienem obsidentes, possint, vel in liene ipso generari, vel in ventre, à quo ad lienem postea transmittantur, ad mentem Aetij, erat distinguendum de vtrisque casibus, simulque de ijsdem separatim tractandum; diuersa enim in his requiritur curatio, sicuti flatus sunt diuersorum membrorum soboles.

Cap. XIII. Si per *solutionem continuitatis*, præter vulnera, intelligit etiam abscessus, & vlcera, omnes doloris causas explicauit.

Fen XVI. Tract. I. Cap. I.

Cap. I. TRadens differentiam intestinorum inferiorum à superioribus, inquit. *Hæc facta sunt grossa, spissa, & pinguia intrinsecus, ut possint fæci resistere, quæ non induratur, & non resoluitur, nisi propter multitudinem illic, & similiter non putrefit, nisi cum incipit putrefieri in eis.* Quæ sententia de fæcibus, quoad primam partem, vera quidem est, si ad mentem Gal. intelligatur, scilicet, quod fæces in his intestinis formam, & nomen verè suscipiant; quoniam cum in his materiæ, propter multa eorum inuolucra, diutius detineantur,

neantur, omnis vtilis succus axugitur; ac proinde fæces indurantur, veram formam suscipientes. Quoad secundum autem, quod fæces non putrefiant, nisi in his intestinis, potest duplicem habere sensum, scilicet, vel quòd naturaliter hoc fiat; vel præter naturam. Si naturaliter intelligit, putredinem non secundum propriam significationem sumpsit, innuens, pravum odorem, qualem habent res putridæ in crassis intestinis fæces suscipere; quoniam hunc non suscipiunt vi putredinis, quia alias semper ægrotaret homo; sed ratione subsidentiæ relictæ, exhausto halituoso, & vtili alimento. Si autem præter naturam intelligit, non erat reponendus hic vsus inter naturales; sed tantum in casibus præter naturam, sicuti inferius docet, cum agit de putredine materiæ in intestinis, monens, in his tantum generari lumbricos.

Conferens meatum ventriculi inferiorem cum superiori, docensque cur inferius angustior, superius latior sit factus, adductis Gal. rationibus, subdit ipse, infernum meatum à duabus virtutibus adiuvari; quarum vna est *expulsiua stomachi*; altera est *attractiua intestini*. De virture expultrice ventriculi, consentit Galeno; at de attractiua intestini longius ab eo recedit; cum docuerit Gal. intestina vi attrahente priuata esse; & ideo fibris longioribus carere; sed tantum habere transuersas, & circulares. Vnde Lib. 3. de Natur. Fac. Cap. 8. dicebat. *Itaque etiam singulis intestinis circulares in vtraque tunica fibræ sunt; contrahuntur enim duntaxat, nec quicquam trahunt*. Lib. autem 4. de Vsu Partium Cap. 8. reddens rationem, cur interna ventriculi tunica villis rectis, externa transuersis sit dotata, dicebat. *Si quidem ventriculus trahat, oportet ad se ipsum, per stomachum, cibum, & potum, tanquam manibus, rectis his villis; propellat vero transuersis; Intestinis vero* (attractoria enim non indigent facultate) *soli ad propellendum idonei facti sunt villi*. Quod idem de fibris asserebat Lib. 3. de Natur. Fac. Cap. 11. dicens. *Sola instrumentorum omnium, ex duabus tunicis, atque harum vtraque ex transuersis constante fibris, facta sunt intestina*. Sed in hoc deceptus est Auicenna, putans hanc esse Galeni sententiam; cum eam ex libro Galeno falsò adscripto, de Anatomia viuorum, exscripserit, in quo Auctor ille virtutem attractiuam, licet non fortem attribuit intestinis; vnde ait. *Attractiuam vero non oportet vt fortem habeat; quia stomachus super positus expellit à se, quod continet ipsum intestinũ, & inferius intestinum trahit ab ipso intestino, & massa ex sui grauitate se ipsam deprimit*. At hæc sententia non est admittenda, tum quoniam spuria; tum quoniam caret ratione; cum euidenter appareat, intestina fibris longioribus carere. Quod si dictum etiam sit à Gal. Lib. 6. Anat. Adm. Cap. 7. fibris transuersis intestinorum pauculas rectas esse suppositas, hoc non simpliciter affirmandum; sed ea tantum ratione, quam in sequenti annotatione, ad mentem Galeni Lib. 4. de Vsu partium Cap. 17. explicabimus.

Eam sententiam de villis recti intestini, in qua hæc habet. *Verum in intestino recto apparent iam villi multum longi; quoniam est ex intestinis maioris operationis, indigens ad attrahendum illud, quod est supra ipsum*. Iterum habuit ex Lib. de Anat. viuorum, in quo Auctor hæc habet. *Istud autem intestinum habet villos longitudinales, quibus mediantibus fortem habet attractionem*. At Gal. longè

aliter

aliter hæc docuit Lib. 4. de Vsu partium Cap. 17. quo loco monens, quod licet intestinis duæ datæ sint tunicæ; tamen ambæ ijsdem fibris transuersis præditæ sunt, subiungebat, quod in aliquibus animalibus, & ijs præcipuè, quæ tenues habent intestinorum tunicas; vel actiones vehementiores, quidam villi recti eorum intestinis intexti sunt, cum transuersis; non certè ad attractionem, sed ad colligationem transuersorum; quoniam, vt inquit ipse *periculum erat, ne transuersi villi à se mutuo diuellerentur, nisi extrinsecus rectis, veluti vinculo quodam fuissent deuincti; cuius ratione, etiam* subdit Gal. *factũ est, vt in recto intestino complures recti villi fuerint; quoniam multis, & duris alimenti sicci illic congesti, excrementis eius intestini, circuntendi validè oportuit*. Hæc Gal. Ex quibus patet, villos rectos admistos esse transuersis in intestino recto, nõ ad attractionem; sed ad robur, & colligationem transuersorum, ne in multo conatu ab inuicem diuellerentur.

Multa narrantur à Galeno; sed plura ab Auicenna, de magnitudine, situ, figura, & vsu cæci intestini; quæ tamen non ita patent in homine; cum hoc intestinum in nobis manifestè non discernatur; nisi dicamus, cæcum intestinum in homine esse appendicem illam, emanantem in parte, qua iungitur Ileon Colo; quod tamen cæcum intestinum manifestè apparet in alijs animalibus, in quibus eius euidentior est vsus, tum ob naturam alimenti; tũ ob modum connexionis, & progressus eorum. Vnde rapacibus, & voracibus animalibus, & ijs præcipuè, quæ durioribus, qualia sunt ossa, vescuntur, & ijs, quæ capite decliui, ex alto, quales sunt simiæ, glires, Vrsi, & similis naturæ, descendunt, maius, & capacius valde hoc cæcum intestinum reperitur; cuius ferè omnes vtilitates, quas Gal. & Auic. recensuerunt, locum habent, prout in brutis; non autem prout in homine; cum in hoc non verè intestinum cæcum, sed quid illi proportionatum reperiatur.

Inter *iuuamenta cæci intestini*, hoc proponit, quod *sit locus generationis vermium*. At cum vermes sint potius damno homini, quomodo potest esse iuvamento locus horum generationi destinatus? Quare censeo ego dicendum, hoc intestinum esse iuvamento generationi vermium; quoniam his præstat locum; non autem, quod ex iuvamentis cæci intestini, hoc vnum sit, quod sit locus pro generatione vermium.

Quoad vermes duo notat Auicenna. Primum *quod raro euacuatur corpus à vermibus*. Secundum, *quod in generatione vermium est iuuamentum, si numero pauci, quantitate autem parui existant*. Quoad primum, sciendum est, quod licet in multis abundent vermes; tamen multo plures vermibus carent, nec experimento respondet, quod raro corpus humanum expurgetur, & immune sit à vermibus; cum corpora sana sine horum generatione vitam degant; morbosa autem tantum, & quæ gulæ indulgentia, cibos facile corruptibiles in proprium assumant vsum, his abundent; quorum generatio, quòd sit infesta homini, satis ex allatis læsionibus patet; quæ cum non adsint in cæteris, iure etiam indicant in ijs non abundare vermes. Quoad secundum autem, quod scil. generatio vermium sit vtilis, si numero pauci, quantitate vero parui existant, potest verum esse, ratione materiæ ex qua generantur; quoniam ea absumitur, & efformatur in vermes, tãquam ens aliquod vitam habens.

habens. At quod ratione hominis, in cuius intestinis generantur, conueniat, & iuvet, dictum est præter rationem; cum hæc animalia, licet parua, & pauca, toto genere præter naturam sint, & valde disposita, & propensa ad detrimentum inferendum homini, tum ratione propriæ naturæ, cum ex putri materia sint genita, tum ratione propriæ formæ, ob quam, & per intestina vsque ad ventriculum euagari; & omnes prædictas partes exugere, vellicare, & stimulare queant.

Quod addit de Cæco intestino, videlicet, quod *existimandum magis sit hoc, quam cætera intestina, in hernia inguinis, descendere, cum hoc solum intestinum solutum sit, & non deligatum partibus internis ex mesaraicis*, exscripsit ex Galen. Lib. 6. Epid. sect. 4. Com. 3. Sed si minimum est in homine, & in dextera parte est locatum, quomodo possit fieri ab eo hernia in sinistro latere?

Cap. II. Tradens Auicenna in hoc Cap. causas generales fluxuum, & descendens ad eum, qui factus est à stomacho, primo agit de lienteria, & inquit, quod *in hoc fluxu, qui ex debilitate virtutis retentiuæ* (hoc idem omnibus in locis, pro altera huius fluxus causa testante Galeno) *prouenit, cibus non est totus indigestus, immo est digestus digestione aliqua*. At in lienteria, ex Gal. Lib. 4. Aph. 12. & Lib. 6. Aph. 1. & 3. de Sympt. Caus. & vbique, in lienteria, quæ comeduntur, celeriter talia deijciuntur, qualia deuorata fuere, ita vt character lienteriæ sit cita deiectio, nulla facta in cibis mutatione. Si autem hoc, quomodo cibus non est ex toto indigestus? Sed fortè Auic. intellexit digestionem cibi insensibilem, per quam lientericus diu viuere potest; cum tamen digestio sensibilis, & manifesta nulla appareat in eorum deiectione; & ideo quoad sensum, cibi tales deijciuntur, quales deuorati fuere; & iuxta hunc sensum tantum verba Galeni veritati sunt consentanea.

Assignans causas huius fluxus, animaduertit fieri plurimùm ex *intemperie frigida*; subiungit tamen, quod *fit etiam ex intemperie calida, humida, & sicca*. Quæ sententia si ad examen reuocetur, non ita omnino veritati est consentanea, aut Galeno. Quoad intemperiem frigidam, experimento comprobatur, hinc vt plurimum lienteriam fieri, quod idem Gal. pro comperto habuit Loc. cit. Lib. 6. Aph. Com. 1. quod & ratio persuadet; cum frigiditas omnes virtutes labefectet, & torpidas reddat; vt apparet in animalibus frigidis hyeme. Quoad humiditatem, idem dicendum videtur; quoniam humiditas, siue cum materia, siue sine materia, virtutem retentiuam potissimùm lædit; nam cum continere sit quidam motus, superflua autem humiditas laxet; hinc clarè patet, humiditatem facere ad retentiuæ imbecillitatem; quod docebat Galenus Lib. 3. de Sympt. Caus. Cap. 3. De caliditate autem, & siccitate aliter sentiendum est; cum non videatur hæc facultas ab his labefactari, nisi caliditas eò deueniat, vt extinguat, prout & siccitas.

Inter lienteriæ causas, enumerat Auicenna *humiditates lubricantes ventriculi internam superficiem*, cuius ratione cibus cito dilabitur, nec permanere permittitur quoad digeratur. Quam tamen sententiam improbauerat Gal. Lib. 6. Aph. Com. 1. arguens Antiquos opinantes, lienteriam inde dictam, quòd cum naturâ aspera sit facta superficies interna ventriculi, ad amplectendum,

ctendum, & retinendum cibum, si contingat hanc læuem, ex humoribus eam obducentibus fieri, non posse amplius in ventriculo cibum retineri, & inde fieri, & dici lienteriam.

Sed Galenus negat, ventriculum ob huiusmodi asperitatem cibos amplecti, affirmans hoc fieri potius ex propria ventriculi naturali facultate, qua labefactata, non amplius cibos retinere potest; quæ facultas labefactatur, vel per intemperiem ventriculi, & intestinorum propriam, siue sit cum materia, siue sine materia; vel ratione abrasionis internæ superficiei eiusdem, vnde succedit lienteria.

Per ea verba. *Et quoniam acetositas quandoque incidit, & incoriat, ac præparat stomachũ, vt corium à corticibus, & facit acquirere retentionem, tunc laudabit per illũ, in quantum est significatio, & in quantum est causa.* Vult reddere rationem, cur Hipp. Lib. 6. Aph. 1. laudauerit ructum acidum superuenientem longis intestinorum læuitatibus, & persistit in superiori improbata à Galeno sententia; inquit enim, quod vbi talis ructus acidus superueniat, tunc *incoriat*, idest exasperat, vel præparat stomachum ad retentionem, quasi dicat, quod acidus ructus adeo est bonum signum in lienteria; quia indicat, renouari asperitatem internam ventriculi, per quam ipse ad retinendum præparatur. At Gal. Loc. cit. dicebat. *In longa lienteria, in qua prius non fuerit, si superueniant acidi ructus, bonum hos indicare*; quia significat, tantum iam tempus cibũ in ventriculo retineri, vt rudimentum mutationis suscipiat, & inde naturam suorum operum reminisci.

Lienteriam ex vlcere exponens, & disiunctiuè explicans loca affecta, dicit. *Ex vlceribus in ipso stomacho, aut in eo, quod ipsi vicinatur.* At Gal. loco cit. coniunctim loquitur; & vbique locutus de hac lienteria, semper profitetur, abrasionem esse in ventriculo, vel in ipso, & in intestinis, ita vt nunquam excludat ventriculi abrasionem; & iure quidem, cum abrasio in intestinis, nisi communicetur ventriculo, non possit irritare ventriculum ad velocem cibi deiectionem.

Deueniens ad fluxus, ratione intestinorum, & enumerans excoriationis causas, ait. *Et illud abradens, aut est materia cholerica, aut sanguinea acuta, aut virulenta, aut saniosa, aut fæculenta.* Sed atram bilem, nisi eam sub fæculenta comprehendat, & pituitam salsam omisit; quarum tamen postea meminit.

Et hepaticus apostemosus est sanior, quàm hepaticus ex debilitate, & susceptibilior curationis. At quicunque hepatis tumor est difficilior simplici intemperie, à qua prouenit hepaticus simpliciter, licet hic esse possit illo diuturnior.

Per ea verba. *Et quæcunque excoriatio melancholica est eueniens secundum semitam inceptionis, est mortalis; quia significat cancrum putrefactum.* Alludit ad Aph. 24. Quartæ Particulæ, in quo habet Hipp. *Difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit, lethalis est.* Quare per *melancholiam*, in hoc casu, secundum Auic. intelligamus atram bilem, alias vera nequaquam foret eius sententia. Cum vero subiungit, quod etiam *solutio melancholica si accidat in fine febrium, est mortalis, & propriè si sit atra bilis*; non consentit Galeno, nec experientiæ, tempore pestilentiæ; de qua locutus Lib. 4. Aph. Com. 21. dicebat, quod

habens. At quod ratione hominis, in cuius inteſtinis generantur, conueniat, & iuvet, dictum eſt præter rationem; cum hæc animalia, licet parua, & pauca, toto genere præter naturam ſint, & valde diſpoſita, & propenſa ad detrimentum inferendum homini, tum ratione propriæ naturæ, cum ex putri materia ſint genita, tum ratione propriæ formæ, ob quam, & per inteſtina vſque ad ventriculum euagari; & omnes prædictas partes exugere, vellicare, & ſtimulare queant.

Quod addit de Cæco inteſtino, videlicet, quod *exiſtimandum magis ſit hoc, quam cætera inteſtina, in hernia inguinis, deſcendere, cum hoc ſolum inteſtinum ſolutum ſit, & non deligatum partibus internis ex meſaraicis*, exſcripſit ex Galen. Lib. 6. Epid. ſect. 4. Com. 3. Sed ſi minimum eſt in homine, & in dextera parte eſt locatum, quomodo poſſit fieri ab eo hernia in ſiniſtro latere?

Cap. II. Tradens Auicenna in hoc Cap. cauſas generales fluxuum, & deſcendens ad eum, qui factus eſt à ſtomacho, primo agit de lienteria, & inquit, quod *in hoc fluxu, qui ex debilitate virtutis retentiuæ* (hoc idem omnibus in locis, pro altera huius fluxus cauſa teſtante Galeno) *prouenit, cibus non eſt totus indigeſtus, immo eſt digeſtus digeſtione aliqua*. At in lienteria, ex Gal. Lib. 4. Aph. 12. & Lib. 6. Aph. 1. & 3. de Sympt. Cauſ. & vbique, in lienteria, quæ comeduntur, celeriter talia deijciuntur, qualia deuorata fuere, ita vt character lienteriæ ſit cita deiectio, nulla facta in cibis mutatione. Si autem hoc, quomodo cibus non eſt ex toto indigeſtus? Sed fortè Auic. intellexit digeſtionem cibi inſenſibilem, per quam lientericus diu viuere poteſt: cum tamen digeſtio ſenſibilis, & manifeſta nulla appareat in eorum deiectione; & ideo quoad ſenſum, cibi tales deijciuntur, quales deuorati fuere: & iuxta hunc ſenſum tantum verba Galeni veritati ſunt conſentanea.

Aſſignans cauſas huius fluxus, animaduertit fieri plurimùm ex *intemperie frigida*: ſubiungit tamen, quod *fit etiam ex intemperie calida, humida, & ſicca*. Quæ ſententia ſi ad examen reuocetur, non ita omnino veritati eſt conſentanea, aut Galeno. Quoad intemperiem frigidam, experimento comprobatur, hinc vt plurimum lienteriam fieri, quod idem Gal. pro comperto habuit Loc. cit. Lib. 6. Aph. Com. 1. quod & ratio perſuadet; cum frigiditas omnes virtutes labefactet, & torpidas reddat; vt apparet in animalibus frigidis hyeme. Quoad humiditatem, idem dicendum videtur; quoniam humiditas, ſiue cum materia, ſiue ſine materia, virtutem retentiuam potiſſimùm lædit; nam cum continere ſit quidam motus, ſuperflua autem humiditas laxet; hinc clarè patet, humiditatem facere ad retentiuæ imbecillitatem; quod docebat Galenus Lib. 3. de Sympt. Cauſ. Cap. 3. De caliditate autem, & ſiccitate aliter ſentiendum eſt; cum non videatur hæc facultas ab his labefactari, niſi caliditas eò deueniat, vt extinguat, prout & ſiccitas.

Inter lienteriæ cauſas, enumerat Auicenna *humiditates lubricantes ventriculi internam ſuperficiem*, cuius ratione cibus cito dilabitur, nec permanere permittitur quoad digeratur. Quam tamen ſententiam improbauerat Gal. Lib. 6. Aph. Com. 1. arguens Antiquos opinantes, lienteriam inde dictam, quòd cum naturâ aſpera ſit facta ſuperficies interna ventriculi, ad amplectendum,

ctendum, & retinendum cibum, si contingat hanc læuem, ex humoribus eam obducentibus fieri, non posse amplius in ventriculo cibum retineri, & inde fieri, & dici lienteriam.

Sed Galenus negat, ventriculum ob huiusmodi asperitatem cibos amplecti, affirmans hoc fieri potius ex propria ventriculi naturali facultate, qua labefactata, non amplius cibos retinere potest; quæ facultas labefactatur, vel per intemperiem ventriculi, & intestinorum propriam, siue sit cum materia, siue sine materia; vel ratione abrasionis internæ superficiei eiusdem, vnde succedit lienteria.

Per ea verba. *Et quoniam acetositas quandoque incidit, & incoriat, ac præparat stomachũ, vt corium à corticibus, & facit acquirere retentionem, tunc laudabit per illũ, in quantum est significatio, & in quantum est causa.* Vult reddere rationem, cur Hipp. Lib. 6. Aph. 1. laudauerit ructum acidum superuenientem longis intestinorum læuitatibus, & persistit in superiori improbata à Galeno sententia; inquit enim, quod vbi talis ructus acidus superueniat, tunc *incoriat*, idest exasperat, vel præparat stomachum ad retentionem, quasi dicat, quod acidus ructus adeo est bonum signum in lienteria; quia indicat, renouari asperitatem internam ventriculi, per quam ipse ad retinendum præparatur. At Gal. Loc. cit. dicebat. *In longa lienteria, in qua prius non fuerit, si superueniant acidi ructus, bonum hos indicare*; quia significat, tantum iam tempus cibũ in ventriculo retineri, vt rudimentum mutationis suscipiat, & inde naturam suorum operum reminisci.

Lienteriam ex vlcere exponens, & disiunctiuè explicans loca affecta, dicit. *Ex vlceribus in ipso stomacho, aut in eo, quod ipsi vicinatur.* At Gal. loco cit. coniunctim loquitur; & vbique locutus de hac lienteria, semper profitetur, abrasionem esse in ventriculo, vel in ipso, & in intestinis, ita vt nunquam excludat ventriculi abrasionem; & iure quidem, cum abrasio in intestinis, nisi communicetur ventriculo, non possit irritare ventriculum ad velocem cibi deiectionem.

Deueniens ad fluxus, ratione intestinorum, & enumerans excoriationis causas, ait. *Et illud abradens, aut est materia cholerica, aut sanguinea acuta, aut virulenta, aut saniosa, aut fæculenta.* Sed atram bilem, nisi eam sub fæculenta comprehendat, & pituitam salsam omisit; quarum tamen postea meminit.

Et hepaticus apostemosus est sanior, quàm hepaticus ex debilitate, & susceptibilior curationis. At quicunque hepatis tumor est difficilior simplici intemperie, à qua prouenit hepaticus simpliciter, licet hic esse possit illo diuturnior.

Per ea verba. *Et quæcunque excoriatio melancholica est eueniens secundum seueritam inceptionis, est mortalis; quia significat cancrum putrefactum.* Alludit ad Aph. 24. Quartæ Particulæ, in quo habet Hipp. *Difficultas intestinorum si ab atra bile inceperit, lethalis est.* Quare per *melancholiam*, in hoc casu, secundum Auic. intelligamus atram bilem, alias vera nequaquam foret eius sententia. Cum vero subiungit, quod etiam *solutio melancholica si accidat in fine febrium, est mortalis, & propriè si sit atra bilis*; non consentit Galeno, nec experientiæ, tempore pestilentiæ; de qua locutus Lib. 4. Aph. Com. 21. dicebat, quod

nigræ deiectiones in illa pestilentia plurimæ ab eo perspectæ sunt, tùm in ijs, qui exitio proximi erant; tum in ijs, qui saluandi erant; sed hac distinctione, quod à principio erant malæ; morbis autem consistentibus erant proficuę, tunc natura superfluitates expurgāte; quę quidem expurgatio vtilis erat; quoniam concocta, & euicta erat materia. Ex quibus, patet atræ bilis euacuationem in fine febrium posse vtiliter succedere.

Recensens Auicenna opinionem eorum, qui dicebant, quod *in aliquibus, ex apostemate perforata sunt intestina crassa, & myrach, & venter, & ex ijs egrediebantur faces, & superuixerunt*, inquit Auicenna. Atq; hoc quidem quamuis sit in summo possibilium, est tamen de possibilibus longinquis. Ego siquidē vidi hunc casum, & adhucnū viuit mulier, cui ex tali perforatione stercus quandoque exit, & præter hoc, etiam lumbrici, insignis magnitudinis, sæpius; estque foramen in dextera hypochondriorum parte, non longè à regione hepatis; & facta est fistula, sed adeo flexuosa, & cuniculosa, vt nullo instrumento anfractus illius sint permeabiles, per quos tamē, & stercus, & lumbrici sæpius erumpunt. Similem huic habemus historiam Lib. 7. Epid. sub finem, in Dinij puerulo in Abderis, cui ex vulnere Vmbilici relicta fistula, per eum, & lumbrici, & excrementa biliosa euacuabantur.

Obseruatio.

Referens opinionem eorum, qui dicunt, ex perforatione ventris è directo ieiuni intestini, non sedari famem; quia non retinetur quid in ventriculo, atq; emaciari corpus, nec eam damnat, nec laudat. Cum tamen casus videatur rarò admittendus; cum è ventriculo non labefactato non descendat cibus ante coctionem, nec intestina vi attrahente, ob quam ieiunū cibum ante tempus attrahat, & inde fames augeatur, donata sint. Quare licet hinc corpus arefiat, & macrescat; non tamen hinc continuò fame vrgeri potest homo.

Locutus de fluxu sanguinis ex intestinis, citat Aph. Hipp. Lib. 3. Aph. in quibus ex aeris constitutionibus futuros morbos præsagit. At ibi loquitur Hipp. non de fluxibus sanguinis, sed de intestinorum difficultate, & dysenteria propriè sic dicta.

Deueniens ad fluxus subortos ratione recti intestini, & tenesmi causas numerans, inter cæteras recenset, *aut mollificationem lacerti*, idest sphincteris resolutionem, *cuius ratione egreditur cum eo anus, aut tensionem eiusdem musculi, ex qua fit spasmus*, idest convulsio. Sed neutra harum causarum videtur posse tenesmum inducere: nam paralysis huius musculi potest quidem inferre inuoluntariam, & assiduam alui deiectionem; prout meminit Gal. Lib. 1. de Loc. Aff. sub finem, de puero illo; sed non assiduam egerendi voluntatem, vna cum tensione, qui est verus tenesmi character; neque spasmus hoc idem facere est aptus; cum enim hic musculus fibras transuersas, quæ aliquibus longioribus, & rectis ad eius robur, vt superius ex Gal. declaratum est, intertextæ sunt; si convulsio huic accidat, non præcipitabitur sedes, sed validius constipabitur, constrictis fibris, ob convulsionem, atque inde nec in hoc casu aderit assidua, & indefessa egerendi, qualis in tenesmo requiritur, voluntas; immo constricta sede, & arctato musculo (nam per convulsionem fibræ contrahuntur) nulla egerendi libido, aut facultas aderit.

Lon-

Longitudinem sessionis super rem duram recenset inter causas tenesmi. Sed qua ratione hoc potest fieri? Si res dura est frigida, ratione frigiditatis hoc fieri posse censendum quidem est; sed iam ipse Auicenna proposuit frigiditatem membro aduenientem, tanquam causam ab hac diuersam. Quare superest vt ratione duritiei hoc agat. Sed si hoc, vel per compressionem, vel per cõtusionem sessio super durum tenesmum irritabit; at neutrum fieri potest; cum per sessionem musculi sphincteres, nec possint aut comprimi, aut contundi. Quare superest, vt superflua sit hæc causa, vel apposita sit, ad frigus illud, tanquam causam, illam explicantem.

Existimauit etiam Auic. hæmorrhoides, fistulas in ano, & raghades posse tenesmum inferre. Sed vel per illud *alzahir*, intellexit Auic. omnes sedis læsiones, & hoc sensu possunt inter causas recenseri; vel intellexit tenesmũ, & iuxta hunc sensum alucinatus est; quoniam hæmorrhoides tumidæ possunt quidem quandam præbere imaginationem irritationis alui; sed quod possint continuam, & inexhaustam egerendi voluntatem, cum tensione inducere, falsum est omnino; immo vt experientia testatur, oppositum sæpius accidit, dum inducunt alui adstrictionem. Fistulæ autem in ano, quamuis penetrantes, nec aptæ sunt inducere tenesmum, licet aliquando Ichor, & sanies illa emanans irritet patientem ad alui excretionem; quæ tamen cum non sit assidua, & perennis dici haudquaquam tenesmus potest. Rhagades vero non tantum non habentur causa tenesmi; verum etiam oppositum sæpissimè efficiunt; cum enim refugiat natura, & patiens dolorem illum, qui ex fæcum excretione in rhagadibus irritari consueuit, solent ægri continere fæces, & abstinere ab alui excretione quantum fieri potest.

Quod fiat tenesmus à *lapide*, nonnulli testati sunt; quod tamẽ inquit Auic. *Galenus negauit*. At hoc haudquaquam negauit Galenus; sed hoc solum dixit, nonnullos scripsisse, à forti excernendi conatu, præcedente dolore vehementi aliquos lapides callosos deiecisse, non absimiles ijs, qui in vesica nascuntur. Quibus positis, subiungit. *Id neque ego vidi, nec alium vidisse audiui*. Quæ sententia adducta est Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 2. ex qua patet Gal. non negasse, licet ipse hoc non viderit; quod tamen experientia nostro æuo comprobauit.

Explicans conditiones fluxus colliquatiui, primo, inquit, quod in eo *fit fortis fames*; postea subdit, *quod cadit appetitus*; Quæ duo inuicem sunt contraria. Præterea, quomodo potest fames esse ingens in hoc fluxu; cum hic solum fiat, vel in febribus ardentibus, aut pestilentibus; vel in inflammationibus internis, & valde acutis. Quare credo ego, hunc errorem adeò supinum non fuisse Auicennæ, sed interpretis.

Quoniam Auicenna legerat Lib. 3. Aph. 14. *A tabe habito alui profluuium superueniens lethale*. & Lib. 6. Aph. 16. *A morbo laterali, vel pulmonia habito alui profluuium adueniens, malum*. Ideo collegit regulam illam generalem, dicens. *Et omnis fluxus ventris, qui fit post ægritudinem vehementem, accidens subito, est significatio mortis*; *quoniam significat corruptionem subitam*. At nimis exaggerat hanc sententiam Auicenna; quoniam hoc licet verum comperiatur in tabe; quoniam fit ob languorem virtutis; & aliqua parte etiam in pleuritide,

& pulmonia vehementi, tracto in consensum hepate, ob vehementiam præcedentis passionis; attamen vbi hic contingat, virtute adhuc valida, nec consentientibus visceribus, sed ex solo naturæ opere, potest esse salutaris, & potissimum si signa crisis præcesserint, coctionem aliquam indicantia; sicut experientia quotidiana comprobatur, qua sæpè videmus, ex grauissimis morbis eos qui ferè omni spe sunt destituti, per solam alui fluxionem superuenientem leuari.

Cap. III. Dixit quidem Hipp. Lib. 4. Aph. 12. *Quorum alui intestinorum leuitate laborant hiberno tempore purgari supra, malum.* Et quidem iure, vt habet Gal. in Com. quoniam si sit lienteria ab humore acri, & erodente tunicam internam ventriculi, licet per superiora purgari debeat; non tamen hoc hiberno tempore faciendum; cum superius Aph. 4. sancitum sit, *hieme per inferiora, æstate, per superiora magis purgandum esse.* Et 6. Aph. sit traditum. *Graciles, & facile vomentes per superiora purgandos esse, cauentes hiemem. Si autem sit lienteria ex humore pituitoso, quando hic adhæserit intestinis, nequaquam per superiora purgandum esse; quoniam eorum, quæ in intestinis continentur, nihil potest per vomitum euacuari; sed ea tantum, quæ in ventriculo continentur.* Ex quibus Gal. verbis liquet, æstate non prohiberi per superiora purgationem in lienteria, ab acri humore abradente ventriculi internam superficiem; sicuti nec negaretur, vbi in lienteria, ab humore pituitoso, pituita ipsa in ventriculo cōtineretur. Auicenna tamen nimis amplificans hanc sententiam, ait. *Et Hipp. quidem iam dixit, illis qui intestinorum lubricitatem habent, vomitus est malus, & hoc iudicium occultam habet causam.* Sed sicuti Auic. causam ignorauit; ita etiam non cognouit sententiæ Hippocratis intellectum, aut scopum.

Distinguens fluxum prouenientem ratione intestinorum, vel gracilium, vel crassorum, inter cætera signa, ponit *fœtorem*, dicens. *Et ex fœtore, quoniam illud, quod descendit ex gracilibus est magis fœtidum.* At Gal. graueolentiam non loci, sed affectionis indicium habuit. Vnde Lib. 2. Progn. Com. 22. dicebat. *Graueolentia vero putredinis indicium est.* Et inferius Tex 42. loquente Hipp. de vomitione fœtida, dicebat. *Constat enim, vt cuius affectioni permisceatur putredo, ea ipsa deterior euadat.* Quare cum fœtor, & graueolentia sint putredinis indicia, si adsit putredo in fluxibus, siue affectis superioribus, siue inferioribus intestinis, semper excrementa fœtida erunt; qua absente, non ita graueolentia erunt.

Distinguens adhuc, an affectio sit in gracilibus, vel crassis intestinis, fluente sanguine, inquit. *Et ex sanguine, qui egreditur quandoque, quoniam est in gracilibus lauatiuus, & non permistus cum ipso stercore.* At Gal. Lib. 6. Aph. Cap. 2. oppositum sensit, his verbis. *Vbi enim cruorem quoque excerni videris, intueri oportet, vtrum hic reliquis excrementis ita sit admistus, vt vniuersus misceatur vniuersis, an pars eius aliqua reliquis supernatet; etenim si admistus est, in superioribus; si supernatet, in humilioribus intestinis vlcus esse oportet.* Sed hanc Galeni sententiam superius suscepit Auicen. dicens. *Et ex permistione, quoniam vehemens permistio cum eo, quod egreditur, significat, quod vlcus est in superioribus, & separatus ab eo, significat, quod ipsum est in inferioribus.* Quare mirum est, quomodo immemor dictorum, nunc afferat, fluente sanguine ex graci-

libus

libus intestinis, sit impermistus cum excrementis. At forsan corruptus est Textus, qui affirmatiuè, non negatiuè, prout nunc, est legendus.

Quandoque deijciuntur aquosa quædam tantum, retentis crassioribus excrementis; quod videntes imperiti Medici, & putantes fluxum alui existere, deueniunt ad adstringentia, & inde aluum omnino supprimunt, ægrotantes in summum vitæ discrimen adducentes. Qui casus cum sit maxima dignus animaduersione, notatur ab Auicenna, per ea verba. *Et multoties egreditur succus separatus à fæce, cum ingrossatur, & alleuiatur, propter causam, quæ exiccat ipsam, & existimatur quod sit fluxus; quare retinetur, & in ipso est mors.* Hanc autem sententiam exscripsit ex Oribasio Lib. 8. Coll. Cap. 36. docente: *Quibus clysteres non inijciuntur, cum tamen opus sit.* Monet enim ibi Oribasius, ex Hipp. hunc affectum παρρόν appellante, quandoque fluxum quendam tenuem succedere, qui non commistus excrementis crassis, præbet fluxionis alui speciem; quo casu tamen, cum indigeant ægri clysteribus, nequaquam immittantur. Quod duobus signis indicari posse aduertit, dicens. *Primum est, vt cum prius secessio non esset cohibita, nunc nullo modo fæces excernantur; deinde verò, tangenti colum, impletum esse manus significabit.* Hæc notasse volui; quia est casus pulcherrimus, non animaduersus ab imperitis Medicis, & qui in praxi quandoque occurrat.

Inter colliquatiui fluxus signa *enumerat comitantiam febris minutæ.* At si per *liquefactiuum*, intelligit colliquefacientem, debuit addere febres pestilentes, & ardentes, & inflammationes viscerum sæuiores; his enim omnibus succedunt sæpissimè syntexes, & colliquationes; febres autem minutæ ad hoc sunt ineptæ; quoniam colliquantes corpus ipsum insensibiliter colliquant, vt docet Gal. de Hecticis marasmodibus, sub finem Libri 10. Meth.

Cap. IV. Tradens vniuersalia præcepta, obseruanda in omni fluxuum curatione, ait, quod *omnis fluxus in quantum fluxus, curatur cum stypticis, cum incrassantibus, & cum glutinantibus.* At styptica magis vniuersalem normam in fluxibus continent, quàm incrassantia, & glutinantia; hæc enim in omni fluxus specie nequaquam conueniunt; sicuti in lienteria, & alijs similibus affectibus.

Docens, quando calefacientibus, quando verò refrigerantibus vti medicamentis debeamus, inter cætera monet, vbi retentiua virtus sit debilis conuenire refrigerantia, dicens. *Et tunc plurimum sunt necessaria infrigidantia, cum retentiua est debilis.* At in lienteria, in qua omnino retentiua facultas labefactata est, nequaquam conueniunt refrigerantia; cum ab intemperie frigidiori ventriculi pendeat.

Inter medicinas singulares frigidas, enumerat *coriandrum*, contra Galeni mentem.

Quoad vsum narcoticorum, optima, & pulcherrima tradit præcepta, in curatione fluxuum obseruanda; in eorum tamen compositione quantitatem excedit. Quare caueant Iuniores talia narcotica; nam nimiam opij quantitatem recipiunt.

Laudat panem cum aceto factum, dicens. *Et sicut panis, cuius farina cum aceto conficitur, & fit panis bonus.* Quam panis confectionem transtulit ab

Antiquis. Meminit enim Gal. Lib. 8. Meth. Cap. 5. huius panis, cuius vsus erat in dysenteria, & in diarrhœa antiqua.

Post electionem carnium, duo dat præcepta; alterũ, vt potius sint *assatæ*, *quàm elixæ*; alterum vt *condiantur cum rebus adstringentibus*. Sed quomodo enumerat inter ista condimenta, *passas plurimorum interiorum*; idest, uvas passas plurimum carnosas, & plurimæ pulpæ; cum istæ potius ad lubricandam, quàm ad adstringendam alvum faciant? Nisi forsan has addat reliquis adstringẽtibus, ad quandam saporis suauitatem; cum cætera admodum insuauia sint; vtcunque tamen hæ exhibeantur, semper faciunt ad lubricandam alvum, nisi sint ex adstringentibus.

In delectu ciborum conuenientium in fluxibus, enumerat *castaneas*, hoc præcipue admonens de ipsis, quod *non nocent fluxibus*. Sed quomodo possunt esse innoxiæ, cum sint admodum flatuosæ. Fluxibus autem flatuosa admodum inimica sint, atque sint concoctu difficiles. Sed hoc forsan male exscripsit ab Alex. Trall. qui Lib. 8. Cap. 4. in hepatico fluxu ex intemperie frigida, castaneas mediocriter assas, si non admodum crebrò sumantur, laudabat, dicens, *has ita paratas nihil frigidi habere*, & præterea *fluxionum acrimoniam obtundere posse*, vtpote quæ mediocrẽ crassitiem, erosionis expertem possideant. At aliud est laudare eas generatim in fluxibus; aliud exhibere in hepaticis, ad obtundendam acrimoniam.

Fen XVI. Tractatus II. Cap. I.

Cap. I. Laudauerat Galenus uvas passas, in examine confectionis Cyphoidis; tum quoniam nobis familiares sunt; tum quoniam, adstringente vi, qua eget hepar ipsum, donatæ sunt; tum etiam, quoniam vim habent concoquentem crudos humores, & coercendi maligna, nec facilè putrescunt. At Auicenna dixit, ipsas laudari ad sanandum *fluxum lotiuum*, idest hepaticum; quod licet videatur idem esse acquæ dicta à Galeno, tamen valde differunt; quoniam Gal. laudat eas, quia ingrediuntur medicamentum hepaticum; non autem quod sistant fluxum hepaticum.

Quoad victum hepaticorum, Auicen. abhorret à pane ex tritico, dicens, *hepar non recipere ipsum*. At si panis sit ex bono tritico, & satis fermentatus, pro vsu, & bene pinsitus, & optime coctus, non est timendum quin suscipiatur ab hepate, ob eius familiaritatem, & conuenientiam cum eo.

Cap. II. Vbi lienteria proueniat ratione pituitæ, monet *laborandum esse in eius euacuationes & si ad hoc non valeant Medicinæ propinquæ fortitudini*, idest, non imbecilles, *sed nec etiam valida, & virtus sit fortis, fortasse*, inquit, *indiges eis quæ sunt sicuti elleborus*. Quæ sententia consideranda est; quoniam Auicenna absolutè non laudat ad hoc, elleborum; sed dubitans hunc proponit dicens, *fortasse & hoc iure meritò*. Quoniam elleborus albus trahit à longinquo, & ventriculum maximè labefactat, quæ duo nequaquam tentanda sunt in lienteria. Quapropter, si tentandus est vomitus, leuioribus, & his, quæ ventriculum exonerare, non labefactare apta sunt, erit prouocandus. Tentandus autem erit vomitus, vbi materia in ventriculo contineatur, quæ si dila-

dil abatur ad intestina, non amplius vomitu erit educenda, vt monet Galenus Lib. 4. Aph. Com. 12. Quam sententiam cum considerauerit Auicenna; ideo tandem damnat vomitum in hoc casu.

Aquam monet vitandam esse in lienteria; *quam tamen si ægrotantes bibant*, inquit, Auic. *eam calidam non esse bibendam*. Sed si frigida nocent in lienteria non vlcerosa, cum pendeat ex intemperie frigida, & ideo negatur aqua, quia refrigerat, cur negauit eam bibendam esse calidam; cum actualis caliditas possit vtcunque remittere potentialem frigiditatem? Num quia metuit relaxationem?

Cap. III. Inter causas retentiuæ debilis, præter intemperiem frigidam, ad mentem Gal. censentis, ex hac fieri lienteriam, numerat etiam intemperiem calidam. At caliditas licet possit labefactare ventriculum, quoad coctionẽ; non tamen id potest, quoad virtutem retentiuam, vt superius notauimus, nisi sit in summo, vt ferè extinguat membrum.

Cap. V. *Et si necessaria fuerit phlebotomia, phlebotoma, & conforta hepar, & conforta os ventriculi*, inquit Auic. Sed quæ vena sit secanda non docet, an dextra, scil. an sinistra. In hoc dubio tamen videtur ipsam potius eligere dextram, cùm subiungat, confortandum esse hepar. At hæc sententia ita determinanda est. Si melancholia efficiens fluxum, sit fæcalis, basilica sinistra, & saluatella, ad mentem Galeni secandæ sunt, quoniam hæ venæ respiciunt lienem, sedem huius humoris; si autem sit melancholia, quæ adustionem sapiat, secanda est basilica dextra; quoniam hæc respicit iecur, ex cuius exsuperanti calefactione hæc materia generatur; & in hoc casu confortandũ erit hepar, idest, temperandum, vt inde ineptum reddatur ad generationem huiusce materiei.

In fluxu stomachico, ex melancholia fluente ad stomachum, monet *applicandas esse cucurbitulas supra lienem, ad coercendam, & retinendam hanc materiã*. Sed ad hanc rem aliud præcipuum antiquorum est remedium, videlicet appositio spongiarum, infusarum in aceto acerrimo calente, ad stomachum; cuius meminit Gal. Lib. 9. de Med. secundum Loca, ex sententia Archigenis; & quo ipsemet Gal. vsus est, & recensuit Lib. de Remedijs facile Parabilibus. Hoc autem remedium ab Auic. prætermissum, nequaquam est negligendum.

Sed in hoc fluxu, aliud maximè obseruandum præceptum omisit Auic. quod si omittatur, intestina excoriari, & exulcerari facile poterunt; cuius remedium est munire intestina, ne in defluxu horum humorum corrodantur ab eis, quod per clysteres opportunos agendum erit.

Cap. VI. Quemadmodum in superiori fluxione, non docuit munienda esse intestina, ne in decursu ab ea materia corrodantur; ita etiam in hoc, licet, timeat, *ne cursus huius faciat accidere excoriationem*; attamen nusquam meminit, quomodo debeamus tueri intestina, ne in hoc fluxu excorientur. Quod tamen præsidium nunquam à Medico, qui rectè medicinam faciat, est omittendum; alias cum ægrotantis detrimento prætermitteretur.

In tenesmo, fluente sanguine, nec ita facile supprimentibus medicamentis cedente, monet, *ligari ambas manus vsque ad axillas, & velociter strin-*

gi,

gi, & similiter fricari ambas extremitates. Quæ omnia faciunt ad reuellendum sanguinem à loco affecto. Sed sicuti horum in tenesmo; ita etiam in sanguinis fluxionibus meminisse debuit; cum hæ periculosiores existant, similiaque remedia magis, quàm tenesmus requirant.

Cap. VII. Mirum est quomodo generalius locutus Auic. dicat, *cumque administras clysteria, in quibus ponuntur medicinæ cauterizatiuæ, est perniciosum*. Cum tamen huiusmodi clysteria in vlceribus putridis serpentibus, & prauis, & sint necessaria, & ab antiquis longo vsu comprobata, & ab eodem Auic. inferius proposita, & laudata sint. Nisi forsan hic loquatur solum de simplici vlcere; vel dicat esse perniciosum, si vsus horum clysteriorum nequaquam sit necessarius.

Si fuerit necessaria euacuatio, propter malitiam humoris, inquit Auic. *fac eam cum timore, & cautela*. Quid autem sit cauendum non docet; cum eius fuissent partes monere, non in principio, sed in processu, minorata materia, exhibendum pharmacum esse; cum à principio si adhibeantur, sit præcipitare materiam, non euacuare, natura per se educente. Secundò, non tantum purgandum esse, propter prauitatem humoris; sed etiam propter quantitatem. Tertiò non assumenda esse in hunc vsum medicamenta validiora, & infesta; quale est scammonium, licet probetur ab Alex. Monuit autem tantum assumenda esse ea, quæ vlceri conferre possunt; qualia sunt adstringentia; quod exemplo Myrobalanorum demonstrauit; reliqua autem neglexit, & prætermisit.

Victus rationem explicans, monet, dysentericos vti debere *sale gemmeo, quod sit torrefactum*. Sed cum salita faciant ad prouocationem alui, ac proinde Aetius ex antiquioribus moneat, pultes cum paucissimo sale condiendas esse, quomodo potest conuenire sal gemmæ, quod validius est marino? Præterea, cum torrefactum maiorem partium tenuitatem acquirat, vnde & altius penetrare sit aptum, quomodo non poterit vlcera magis proritare, & mordere? Quare potius debuit dysentericos ab vsu salis deterrere, cum præcipua vlcerum causa in his sint acres, & mordaces succi, quam proponere vsum salis acrioris, & potentioris marino, quod in vsu est.

In potu exhibet *aquam frigidam*. Sed cum dysenterici torminibus, & flatibus sint obnoxij, tutius est abstinere ab aqua frigida; quinimo & calida, vel tepida saltem conueniet magis; quoniam actuali illo calore apta est demulcere, non exasperare. Præterea, cum frigida actu sint inimica partibus neruosis, & spermaticis, quomodo aqua frigida potest in dysenteria conuenire, in qua intestina, partes neruosæ, & spermaticæ male affectæ sunt?

Quoad medicamentum illud quod recenset per hæc verba. *Et ex eis, quæ conferunt est, vt sumantur cineres ostracorum fluuialium, siue aludha partes quatuor, & gallarum partes duas, & piperis partem vnam, terantur, & cribellentur, & puluerizentur, ex eo pondus ℥ I. super cibum*. Sciendum est hoc esse medicamentum Gal. propositum Lib. 10. de simpl. Med. Cap. de cochleis, & ab eo laudatum fuisse in dysenteria, vbi nondum vlcera computruerint. Quare pro ostreis fluuialibus, siue pro aludha, intelligenda sunt cochleæ.

Docet qua forma, & ex qua materia sint conficienda suppositoria in dy-

ſenteria. At niſi vlcera ſint in inteſtino recto, hæc nihil prodeſſe poterunt. Si autem vlcera ſint in eo, non amplius dyſenteria, ſed teneſmus erit; de quo inferius Cap. 16.

Cap. VIII. In fluxu ex multitudine cibi, poſt eius deſcenſum, iubet, vt *ſumat aliquid ex rebus ſtypticis*. Sed vt quid vti adſtringentibus (quorum etiam meminit inferius) in iſtis fluxibus; cum excreta materia ſufficiat ſolum minuere cibum, ſicuti & in alijs, abſtinentia eius, quod læſionem intulit. Quare in his fluxibus omnia remedia, præter mutationem cibi, qui augeat, ſuperflua exiſtunt, niſi aliquam noxam intulerint, poſt fluxum remouendam.

Cap. IX. Cautela illa, vt *ægri non dormiant ſuper collum*, eſt ſuperſtitioſa; quia ſitus non prohibet materiæ deſcenſum; qui licet in affectibus thoracis aliquid efficere videatur, cum non ita eo ſitu ad pectus materia dilabatur; attamen in hoc fluxu nihil præſtare poteſt; cum materia deſcendens ad ventriculum, quocunque ſitu deſcendat; vnde non eſt mirum ſi Græci huiuſce rei ne verbum quidem fecerint.

Cap. X. Oppilationes cauſæ huius fluxus, aut ſunt in ambitu totius corporis, aut in hepate, aut in venis meſaraicis. Quæ ſunt in toto ambitu, ſunt cauſa, vt non fiat reſolutio, ſine qua nec fit attractio; quæ attractio impeditur etiam à materia obſtruente, nec permittente alimentum ad membra trahi. Quæ autem ſunt in hepate, & in venis meſaraicis, ſunt impedimento ne chylus ad hepar, quo loco confici debet, peruadat; quo impedito, ea materia ad inteſtina dilabitur, vnde fit iſte fluxus; qui plurimum *habet periodos*; quoniam potius hic ratione quantitatis materiæ in ventre collectæ, quàm ratione ſtimulantis fit; quod dicebat Auicenna in principio Cap. his verbis. *Fluxus oppilationis plurimum fit cum periodis, ſiue ſit à corpore toto, aut fiat ab oppilatione in hepate, aut inter hepar, & inteſtina.* Cum autem hæc ita diſtinxerit Auicen. ex parte cauſæ non ita hæc diſtinguit; ſed malè confundit ex parte curationis. Nam quoad pharmacum, inquit. *Et quandoque neceſſarium eſt in aperiendo oppilationes, ſolutiuum fortiter attrahens materias groſſas generantes oppilationem*. At hoc præceptum ſolum conuenit in obſtructionibus, quæ ſunt in ambitu totius; quoniam materiæ ſunt in remotiori parte. At in obſtructionibus, vel hepatis, vel meſaraicarum venarum, fortia ſolutiua nequaquam competunt; quoniam validè attrahentia, attraherent materiam à toto, quæ irruens ad partes affectas, eſſet cauſa maiorum obſtructionum; & ideo in his ſufficiant medicamenta leuiora, quale eſt Rhabarbarum, & Agaricus.

Quo autem ad vomitum, non habet locum in curatione iſta, niſi quatenus per vomitum educuntur materiæ in ventriculo genitæ; quæ tranſmiſſæ ad partes dictas poſſent obſtructiones nouas facere, & antiquas fouere; alias fruſtrà tollerentur materiæ obſtruentes per vomitum. Quò autem ad *frictiones* faciendas, & adminiſtrandas *picationes*, ſciendum has tantum conuenire ſi obſtructiones ſint in ambitu totius; hæ enim facient tum ad reſolutionem corporis, & ad attenuationem humorum ibi deliteſcentium, tum etiam ad attrahendum alimentum; quæ duo nequaquam ſunt ex vſu in oppilationibus hepatis, aut meſaraicarum. Et ideo iure dictum eſt, Auicennam

nam in curatione non ita distinctè procedere, sicuti in diuisione causarum.

Cap. XI. Aggressus Auicen. curationem fluxus colliquatiui, supponit hunc, & in *hecticis*, & in *phtisicis* præcipuè fieri; & ideo subiungit, *quod tales fluxus non curantur, nisi per curationem morborum à quibus dependent*. At hæc sententia contraria est Galeno, & rationi. Nam quoad febrem hecticam, cum in hac, & in marasmo non confestim, sed sensim liquefiant corporis nostri partes, conceditur quidem liquefactio; sed non manifesta, nec quæ per fluxum corporis excerni possit: nam quæ sensim liquefiunt, per exhalationem consumuntur; quæ autem per euaporationem consumuntur, nequaquam ad intestina peruenire, & efficere fluxum possunt; quod docebat Gal. Lib. 10. Meth. sub finem, vbi proponens differentiam inter colliquationem febrium malignarum, & febrium hecticarum, quæ marasmodes, dicebat. *Sanè sunt, & quas marasmodes febres vocant, omnes ex earum genere, quæ colliquant; sed in eo differunt, quod quæ portio carnis in his colliquatur, ea semper vaporis specie digeritur; in illis defluit in ventrem*. Quoad phtisim autem, cum in ea non sit ingens calor, nec potest esse colliquatio; fluxus autem ei superueniens, quem dicebat Hipp. Lib. 4. Aph. 12. *mortem prænunciare*. & 14. *esse lethalem*. & Lib. 2. Aph. 16. *mortem significare*, non ex colliquatione prouenit; sed fit, vt inquit Gal. loc. cit. Lib. 5. Aph. Com. 12. *ex virium imbecillitate*. & Lib. 7. Aph. Com. 16. *ex potentiæ debilitate*. Si autem hic fluxus ex languore virium fit; ergo non ex colliquatione.

Quoniam Auic. in fluxu colliquatiuo vtitur medicamentis restrictiuis, dubitandum esset, an in hoc fluxu conueniant adstringentia. Sed quoniam de hoc alias scripsi, nunc sufficiat notasse difficultatem.

Cap. XII. *Cutis raritas, ventris densitas* dicebat Hipp. Lib. 6. Epid. sect. 3. Tex. 1. Quæ sententia ex Gal. sic intelligenda, quod aliqui propterea densum, hoc est adstrictum habent ventrem; quoniam per cutem euacuantur multa; prout contrà subiungit Gal. *alij per superficiem ægrè difflabiles multam vrinam faciunt, ventremque exonerant*, quasi contradicat Gal. hæc sententia, *cutis densitas, ventris raritas*. At cum ista cutis densitas (per cutis densitatem, non sola intellecta adstrictione, sed quocunque modo vaporationem impediente) possit, vel ab humorum copia, vel à succis crassioribus, vel ab exterioribus adstringentibus, sicuti à balneo aluminoso fieri; ita etiam non vnicam formam curandi, qualis ab Auicenna proponitur, requirit; sed modo sanguinis missionem, aut purgationem, modo succórum attenuationem, & purgationem, modo cutis laxationem, & raritatem desiderat; non omnia autem simul, vt visus est proposuisse Auicenna.

Cap. XIII. Auicenna apparentibus choleræ præludijs, & signis, monet, *prouocandum esse vomitum*. Quam sententiam omnes practici sequuntur. Sed in hoc difficultatem obijcit locus Galen. Lib. 4. Reg. Acut. Com. 110. Nam cum Hipp. in Tex. de cholera humida dixisset, *Ventre fluente, & affligentibus torminibus, vomitu, & suffocatione his quiescendum esse, & mulsam bibere, & vomere*. Gal. in Com. dicebat, esse legendum potius negatiuè, quàm affirmatiuè, & quod illa verba, *mulsam bibere, & vomere*, legenda sint, *mulsam bibere, & non vomere*. Ratio est, inquit Gal. *quoniam mulsa deducit materiam*

ad

ad intestina, & hoc citra oris ventriculi, tum læsionem, tum periculum; quæ læsio, & periculum per vomitum contrahi possunt; nam materia corrupta per vomitum erumpens, ventriculi os affligit, ac proinde illud lancinans, plurima potest inducere mala; & ideò censet Gal. exhibita mulsa, abstinendum esse à vomitu, tum propter mulsę vtilitatem, cum ea possit materiam peccantem ad intestina deducere; tum propter læsionem, & periculum, quod inducere posset, partem ventriculi superiorem permeans. Quare non videtur absolutè dicendum, in omni cholera prouocandum esse vomitum; quod videtur testatus Alexander Trall. Lib. 7. Cap. 17. quo loco locutus de Cholera à bile, de qua sermonem pariter habuit Hippocrates, & Galen. non prouocat vomitum, sicut in alijs casibus fecerat. Quapropter censendum est, non in omni cholera prouocandum vomitum, & præcipuè in biliosa, vbi ad mentem Galeni bilis sit acris; quoniam hæc in transcursu, lancinando os ventriculi, & morsus, & dolores, & conuulsiones, & plura alia perniciosa incómoda inferre potest. Vnde in hoc casu, potius contemperantibus agendum est, quam prouocantibus vomitum; vel si bilis iam fluxa est ad ventriculi os, & ipsum affligat, contemperantibus his, quæ vomitum faciliorem reddere possint, erit agendum; vt hydrelæo; sicuti in simili casu vtitur Galenus Lib. 1. ad Glauc. Cap. de cura Feb. cum accident: vbi in his qui ex vitiosis humoribus os ventriculi mordentibus laborant, post aquæ calidæ, aut hydrelæi potum, vomitum prouocat, quo casu à mulsa abstinet; quoniam, & hæc morsum augere posset, si per vomitum materia acrior esset educenda. Hæc tamen si exhibenda veniat, ea exhibita, vomitus non est prouocandus; quæ tamen conuenire potest, vbi bilis nec sit acris, nec sincera, & elui ab ore ventriculi contumax.

Cum vomitus prouocandus est, tria, inquit, obseruanda sunt. Primum, quod *vomitus non habeat vim mollificandi stomachum*. Secundum, quod *non sit debile*. Tertium, quod *in eo non sit glutinatio, aut viscıditas*. Ratione primi, & secundi præcepti, damnat *oleum, & hydrelæon*, & sic tacitè reprehendit Galenum. Ratione tertij, damnat *mulsam*; & sic impugnat Alexand. & Paulum, qui ad vomitum prouocandum hanc exhibent in cholera; ipse autem exhibet *aquam calidam, vel cum nitro, vel cum sale naphtico, vel cum cymino*; quod fuit medicamentum Dioclis; & quidem, quoniam ex his non habetur mollificatio stomachi, nec sunt medicamenta inualida, nec glutinationem vllam, aut viscíditatem habent. At quod ad oleum, & hydrelæon, sciendum est, non exhiberi à Galeno, nec ista esse danda, nisi vrgente acriori materia; quo casu, maius est iuvamentum ex contemperatione, quàm nocumentum ex relaxatione oris ventriculi, in qua vomitiua Auicennæ, licet validiora, forent multò deteriora; quoniam morsum augerent; nec ea sunt inualida, cum bilis acris fluit ad os ventriculi; quoniam ex se facile est mobilis; quod si ratione patientis adsit vomendi difficultas, laxando ventriculum, sunt satis apta ad prouocandum, & promouendum vomitum. Quo autem ad mulsam, mirum est, dicere Auicen. in ea esse glutinationem, & viscíditatem; cum ipsa ratione suæ abstersionis, viscidis, & glutinosis succis expurgandis sit idonea. Quare, forsan in tam graui errore, dubitandum est de corruptio-

ne

ne Text. potissimum verò cum ipsemet Auicenna Prima Quarti, Cap. de Accid. in Feb. vbi loquitur de syncope ex effusione bilis ad os ventriculi, exhibuerit mulsam, & syr. acetosum. Quare censeo ego, quod in cholera, non vno tantum dictorũ vomitiuorũ vti debeamus; sed quolibet, pro ratione materiæ peccantis. Vnde si sint cibi corrupti, ad libitum quodcunque exhibendum erit. Si admista sit pituita, & materiæ sint viscidæ, mulsa erit valde opportuna; si bilis, & præcipuè acrior, conueniens erit hydrelæon, vel semina melonis, vt exhibet Alexander. Si autem difficilior sit vomitus, & materiæ contumaces, dummodo non sint acriores, medicamenta Auic. erunt valde vtilia.

Agens de cholera, cum superfluant, & malæ sint euacuationes, habet hęc verba. *Et fortasse accidunt, sicut sitis, & febris, & significant quod solutio ventris permutatur ad sanitatem.* At hic Textus potius opposito modo legendus est, vt dicat, *& significat, quod solutio ventris permutat a sanitate*, idest significat, quod talis euacuatio cum non sit amplius cibi, & rerum corruptarum, quæ poterant esse ex vsu, sed succorum laudatorum, & propriorum omnino, permutat à sanitate, idest, ad malum terminatur, à sanitate ad malam dispositionem patientem permutans.

Cholericos transmittit Auicenna *ad balneum, & fundit super capita eorum aquam tepidam.* At Hipp. Lib. 3. Reg. Acut. Tex. 59. dicebat. *Quibus in morbis plus iusto aluum humidiorem habent, non sunt lauandi.* Et paulò post subdebat. *Neque quibus vires languent, nec cibum fastidientes, nec nauseabundi, nec biliosa ructantes.* Si autem hi excluduntur à balneo, quomodo potest balneum cholericis conuenire; cum his plus iustò alvus fluat, atq; in his vires plurimum labefactentur, & cibum fastidiant; nec tantum nauseabundi, sed etiam ad vomitum sint procliues, & biliosa eructent, & euomant?

At pro curatione integra choleræ, vnum commemoratione dignum, prætermissum videtur ab Auic. quod an incuria, an quia id neglexerit factum sit, non liquet. Nam cum dubitari possit, an in cholericis conueniant medicamenta electiuè purgantia, nihilque de hoc ab eo dictum sit, iure videtur censendum ab ipso hoc remedij genus, vel non consideratum; vel tanquam damnosum omissum fuisse; quod tamen Antiquis in vsu fuisse constat. Nam Lib. 5. Epid. Historia 10. habemus, Athenis virum Cholera correptum per potionem ellebori curatum, & sanatum fuisse. Quam curationem aduertens Cæl. Aurel. Lib. 3. Acut. Pass. Cap. 21. eam improbauit, hac ratione videlicet; quoniam inquit *Ellebori potio, quæ homines non dissolutos dissoluit, in Cholericis, qui ex morbo iam exoluti sunt, maiorem exolutionem inducens, ægrotantes ad interitum, perducit.* Quæ ratio sicuti est probabilis, pariter non est spernenda. Sed quid in hoc sentiendum? Ego eius sum sententiæ, vt si tormina, anxietas, irritatio, vel ad vomitum, vel ad excretiones per alvum, cæteraquè symptomata choleram sequentia magis vrgeant, quàm euacuationes ipsæ; quæ & euacuantur non respondeant in quantitate, atque ratione symptomatum, cum irritatio sit multa, pauca autem sit quantitas eorum, quæ educuntur, pharmacum purgans, quod pro ratione, & materiæ peccantis, & motus eius conueniat, constantibus viribus sit propinandum.

Ratio

Ratio est; quoniam symptomatum vis, vel antequam materia, vel educatur, vel corrigi queat, vires prosternet: hic enim morbus est acutissimus, & qui raro quartam pertranseat. Dixi autem, pharmacum, pro ratione materiæ exhibendum esse; quoniam prout hic, vel ille humor peccat, tale etiã illud debet esse; quoniam peccante pituita, non quod bilem; nec peccante bile, quod pituitam educat est præbendum. Dixi etiam, pro ratione motus; quoniam si accidentia superiorum partium sæuiant, sit pharmacum, quod per inferas purget partes; si autem symptomata infernarum partium magis vrgeant, præferatur id, quod sursum ducit. Dixi insuper, constantibus viribus dandum esse pharmacum; quoniam cum pharmacia sit alterum indicantium à magnitudine morbi, vt habetur Lib. 4. Meth. Cap. 9. ac proinde magnum sit remedium, Virium robur, in eius administratione requirit, alias planè ex euacuatione exolutæ corruerent. Alteram his addo conditionem, in his pharmacis exhibendis obseruandam, scilicet, vt sint, vel adstringentis facultatis; vel adstringentia saltem ijs admisceantur, vt completa purgatione, adstrictionis vestigium post se relinquant. Hæc omnia in Atheniensi illo videntur considerata fuisse; quoniam enim erant permista excrementa; ideo exhibuit elleborum, ad hæc educenda aptissimum; quoniam verò symptomata magis partes inferiores, quàm superiores molestabant; dixit enim. *Deiectio multò maior erat, quàm vomitus*; ideo exigit medicamentum, quod potius per superiora, quàm per inferiora purgaret. Ad quam conditionem Galenus Lib. 4. Reg. Acut. 110. pariter respiciens, cum dixisset, Hipp. *Si venter liquidus fuerit, bilisque excernatur, vexentque tormina, & vomitus, & suffocatio, quiescere his est optimum, nõ mulsam bibere, & vomere* dicit; quoniam ea symptomata, vomitus videlicet, & suffocatio magis affligunt, desistendum esse à prouocatione vomitus, & potius pharmaco valido semel cacochymiam tollendam esse; quia etiam symptomata in eodem Atheniensi vrgebant, viresque ab eorum sæuitia periclitabantur; ideo antequam omnino succumberent, pharmacum exhibitum fuit, admistum lentium succo (quem etiam superbibendum mandauit) quoniam cum elleborus ex se non sit facultatis adstringentis, & indicatio suaderet, medicamentum adstringens exhibendum esse, admiscuit ei hunc succum; quem etiam ad eandem intentionem, post assumptum pharmacum superbibit; quoniam succus lentium biscoctarum adstringentis est facultatis. Quapropter cum in isto ægrotante omnia hæc obseruanda sint, patet, summa cum ratione eum curatum, & sanatum fuisse. Nec est quod Cæl. Aur. obijciat exolutionem cholericorum; quoniam cum sunt exoluti, viresque languidæ, nemo nisi fatuus pharmacum exhiberet, quod non fuisse in eo ægrotante patet, qui, & morbo, & vehementiæ purgationis ex pharmaco superuixit. Sed num probo ego hisce temporibus elleborum exhibendum in cholericis esse? Nequaquam; quoniam ætatis nostræ homines non sunt hisce medicamentis, nec huic euacuationi assueti, prout erant Antiquiores, in quibus, quemadmodum nostris temporibus rarissimus; ita illorum seculo frequentissimus ellebori fuit vsus, quibus etiã euacuationes per vomitum, à quibus abhorrent nostri homines, familiarissimæ fuerunt, ob robustam illius ætatis ho-

minum naturam, maximis, & validissimis perferendis medicamentis, quorum plurima habemus exempla, quæ nostris exhibita noxas grauissimas inducentia, intolerabilia forent. Qua de re hac tantum ratione hoc medicamenti genus damno, quod in præsenti ægrotante fuit etiam adeo periculosum, vt hinc discrimē vitę, prout ex refrigeratione totius corporis patuit, subiens, vix reuocari in pristinum statum potuerit. Præfero autem medicamenta benigniora, quæ noxas inferre non sunt apta, & quorum suppetit copia, nostris hisce temporibus. Quæ si præmissis iam enarratis conditionibus propinentur, ægrotantes, & summopere iuvabunt, & ab imminenti periculo vindicabunt.

Cap. XIV. A' pharmaco electiuo immoderatius agente duo superuenire solent. Alterum est superpurgatio; alterum fluxus; De primo hic non agit, sed de secundo, cuius cum plures esse causæ queant, scilicet vel pharmaci vehementia; vel nimia quantitas; vel mala qualitas, quorum ratione, vel venæ, vel intestina, vel hepar, vel totum corpus patiatur, non vnica fuit proponenda curatio, sed diuersa, pro diuersitate causarum. Exemplum autem fluxus ex pharmaco, & eiusdem curatio habetur ex Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 7. cuius etiam meminit Lib. 1. de Loc. Aff.

Cap. XV. Quoniam naturæ in motibus criticis sæpè solet id contigere, quod his, qui in decliui decurrunt, videlicet, vt quandoque gradum sistere nequeant; ideo cum hic casus euenit, à Medico est curandus, qui tunc occasionem curationis indicabit, cum vires amplius eam euacuationem non tolerant. Tunc autem considerandum est, cuius ratione factus sit hic fluxus, videlicet an à toto, an à determinato aliquo membro. Si à toto, eidem; si à membro determinato, illi curatio debetur, & pro ratione status illius, quod transmittit, agendum erit. Quod præceptum neglexit Auicenna, existimans, quibusdam solum leuioribus hoc se perficere posse. Sed sæpè hoc difficile est peragere, & præter illa leuiora, circa partes transmittentes, ad laborandum est à Medico, alias in cassum illa administrabit.

Cap. XVI. Qua ratione vtatur Aüicen. in tenesmo à causa frigida, *oleo omphacino cum vino,* difficile est iudicare; cum hoc potius ad inflammationum principia, vt sæpè in ijs vtitur Aetius, Paulus, & alij, quàm ad calefaciendum conueniat.

Curans *tenesmum ex sessione supra rem duram*, mollificationem intendit, quasi ex hac sessione impressa sit durities intestino recto. At quod à re dura imprimatur durities, cum hæc qualitas non sit ex genere actiuarum, videtur parum rationi consentaneum; prout nec illud, quod sessio super rem duram possit tenesmum inducere alia ratione, quàm ob frigiditatem, vt superius dictum est.

Vbi tenesmos sit ex inflammatione, monet, secandam à principio venam esse, ad mentem equidem omnium aliorum. Sed quæ vena sit secanda, non explicat, licet absolutè loquendo, superior in brachio intelligenda sit. At ex Gal. affectis partibus infra renes, secandæ sunt inferiores, non superiores venæ. Quæ tamen sententia ita limitanda est, vt stante plenitudine, potius superiores; postea inferiores venæ sint secandæ; eadem autem absente,

secan-

secandæ sunt tantum inferiores; quæ si cum plenitudine secarentur, præcipitaretur materia ad locum affectum, & inde maioris morbi occasio daretur.

Cap. XVII. Sicut tenesmi plures, & diuersæ sunt causæ, ita etiam in formandis suppositorijs plures debent esse indicationes, respicientes causas tenesmi; cuius ratione generalis norma in his dari non potest. Quare inanis est eius sententia, scil. quod *ex collyrijs, quæ ad tenesmon supponuntur, melius est, id, quod est magis stypticum*; nam in aliquibus tenesmis meliora sunt calefacientia; in quibusdam verò refrigerantia, in alijs contemperantia, in nonnullis abstergentia, in alijs sarcotica, & in quibus exiccantia, in alijs emollientia, necnon quandoque crustas inducentia, alias adstringentia cōueniunt; quare non est quòd quis generatim asserat, in tenesmo hæc, vel illa meliora esse.

Quod dictum est de suppositorijs, idem dicendum de emplastris, suffumigijs, balneis, cæterisque localibus medicamentis; hæc enim opportuna, ratione causæ eligenda sunt; vel saltem ratione symptomatum cum vrgent, & sæuiunt.

Fen XVI. Tractatus Tertius Cap. I.

Cap. I. SVb nomine *punctionis*, quod fuit inuentum Auic. comprehendit omnes dolores leuiores ventris inferioris, idest, qui non sunt adeò vehementes, ac colici; per solam quippe vehementiam hi distinguuntur à punctione; cuius causas recensens, intereas enumerat *ascarides*. At quod ascarides punctionem hanc infligant, nec rationi, nec experientiæ consentit; cum enim hi sint in imo recti intestini, dolores ventris nequaquam inducere sunt apti. Præterea experientia testatur, ab his molestissimum quidem pruritum in eo intestino, & circa partes illas imas induci, nunquam tamen dolorem.

Cum inquit, punctionem vehementem esse similem colico dolori, eandemque ambobus deberi curationem, nisi intelligit dolores vehementes, in ventre inferiori, curari curatione ea, quæ debetur dolori colico, præterquam in casu cum fit à bile, cuius curationis differentiam à cæteris docuit Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 7.

Cap. II. Proponens signa doloris suborti à pituita crassa, & viscida, duo adducit. Primo, quod *dolor sit fixus in vno loco*; *secundum, quod excernatur per sedem talis humor*. At aduertendum est, quoad primum, quod dolor semper est quidem fixus, & permanens in vno loco; non tamen semper circunscribitur vno, & eodem loco, quoniam potest alijs partibus communicari, vel ob vehementiam, vel ob flatus ab eadem materia eleuatos. Quoad secundum, notandum, quod excretio huius materiæ facta indicare potest internam causam, neque tamen verum est, quod in huiusmodi dolore semper excernatur hic humor, qui possit esse indicium interni affectus.

Cap. III. Regula illa generalis, quod in omni ventris dolore, qui à materia pendeat, sit prouocandus vomitus, non est seruanda, quoniam materia in-

intestinis contenta non est per vomitum educenda, vt docebat Gal. Lib. 4. Aph. Com. 12. dicens. *Alter vero pituitosus, quando adhæserit intestinis, nunquam est per superiora purgandus: Sola enim euomi natura apta sunt, quæ in ventriculo continentur*. Eorum autem, quæ continentur in intestinis, nihil potest per vomitum euacuari.

Vbi dolor fit à flatu, *infundit adipem gallinæ, oleum rosatum, & ceram*. At hic clyster magis conuenit in materia acri, & mordaci, ad contemperandum, quàm in dolore à flatu, ad discutiendum, in quo potius erit noxius, ratione olei rosacei, quam vtilis.

In dolore à *phlegmate salso*, dicit curationem administrandam esse *propinquam curationi traditæ in dolore à flatu*, quæ inter se, non in alio differunt, nisi quod vbi dolor fit à phlegmate, maior debet esse intentio euacuandi, quàm discutiendi. At non solum non sunt propinquæ hæ curationes, sed longè admodum differunt; quoniam curatio conueniens in dolore à flatu, nequaquam huic conuenit; quoniam in flatu calidiora, & valde discutientia optima sunt, quæ in dolore à phlegmate sunt noxia; cum à valido calore fundatur materia, ac proinde sint causa maioris flatuum copiæ, qua aucta, dolor simul augetur, vt notauit Gal. Lib. 12. Meth. Cap. Vlt.

In punctione à bile inducta, proponit *aquam granatorum, cum p.q. scammonij*; postea quasi huius vsum damnans, subiungit, *aut absque scammonea, immo sola*. At longe melius fuerat Auicennæ, scammonij non meminisse; cum enim infestum sit intestinis, eis affectis, ab eo abstinendum est; cuius noxæ habemus luculentum exemplum ex Galeno Lib. 12. Meth. Cap. 7 Quare dimittentes scammoneam in hac causa, imitemur Galenum, qui in similibus affectibus non transcendit hieram.

Cap. IV. Circa causas rugitus, ratione membrorum, notanda sunt illa verba. *Et non fit nisi propter frigiditatem, aut propter casum virtutis, sicuti in fine phthisis*. Quæ verba licet videantur duplicem adducere causam, videlicet, aut intemperiem frigidam; aut virtutis debilitatem; attamen hæ duæ causæ in hoc conueniunt, quòd utraque est ob frigiditatem; nisi quod prior dicit intemperiem frigidam positiuam; secunda eandem, sed priuatiuam; quid enim est casus virtutis in phthisi, quàm caloris innati marcor, qui est frigiditas priuatiua? Quantum autem hæc duo ab inuicem differant, alias notauimus.

Inter *causas exitus flatuum inuoluntarij*, enumerat *paralysim ieiuni intestini*. Sed cum excretio inuoluntaria fieri nequeat, dum sphincteri ipsi suum constat robur, licet ieiunum sit resolutum, difficile est imaginari, quomodo hoc solo resoluto possit flatus inuoluntariè emitti, & quomodo hoc ad excretionem flatuum faciat.

Cap. V. Præter indicationes propositas ab Auic. requiritur & intentio euacuandi materias, siue sint succi, quorum non meminit; siue cibi, à quibus eleuentur flatus, vt in simili casu facit Gal. Lib. 8. Meth. Cap. 5. in curadiariæ ex cruditate. Ex quo loco notandum aliud contra Auicennam, videlicet, quod flatus non tantum ab intemperie frigida, & cibis flatulentis; sed etiam ab intemperie calida, facta corruptione nidorosa, generantur; prout etiam fiunt in cholera sicca (de qua alias scripsi) acres spiritus molestantes

stantes

ſtantes, & rugitum quandoque facientes; cum tamen nec ratione frigiditatis ventriculi; nec ratione ciborum frigidorum hi ſpiritus, & vapores generentur.

Cap. VI. Explicans cauſas, propter quas ex intemperie calida fiat dolor colicus. Primò inquit hoc fieri, *quoniam caliditas exiccando, per exiccationem ſoluit continuum, & inde facit dolorem*. Secundo ait, quod *caliditas facit dolorem, per directionem, & vehementem expulſionem nutrimenti ad iecur*. Sed in aſſignanda doloris cauſa, Auicenna omittit cauſam principalem, & immediatam, videlicet, attenuationem, per quam fit ſolutio continui, & inde dolor ex intemperie calida. Reddit autem cauſam per accidens, quæ fit mediante exiccatione, & proponit alteram ſatis obſcuram, ſcilicet, quod per calidam inteſtinorum intemperiem fiat violenta *directio, & expulſio alimenti ad hepar*. Hoc autem quomodo fiat, & quomodo poſſit dolorem inducere, non tantum eſt obſcurum, vt dixi; ſed etiam rationi non conſentaneum; cum validi ſit attrahere, non expellere, ex omnium communi ſententia.

Explicans quot modis intemperies frigida dolorem colicum inducat, inter cæteros hunc recenſet, videlicet, quod producit hunc dolorem, *exiccando fæces*, quarum fæcum exiccationis duplicem modum exponit. Primum quidem, quod *ambiens frigidum faciat hoc, propterea quod reſtringit lacertos ventris, & inde peruenit calefactio eius ad concauitatem, & exiccat fæces*. Secundum, quod *frigus ambientis adſtringit lacertum ani, & expellit fæces, & quod cum eis eſt ad ſuperiora, propter quod etiam exiccantur fæces*. At hæc cauſa, videlicet exiccatio fæcum, eſt nimis remota, quoad intemperiem frigidam; cum hæc ſufficiat per ſe ſoluendo continuum, abſque fæcum exiccatione, dolorem inferre. Quod ſi fæces exiccet, & inde fiat dolor, non amplius frigus habet rationem cauſæ immediatæ doloris; ſed tantum cauſæ præcedentis. Quo autem ad ſecundum modum, quem exſcripſit à Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 27. ſciendum eſt, Galenum attribuere exiccationem fæcum, non frigori, & expulſioni ad ſuperiora; ſed moræ, quam fæces, ob illam expulſionem ad ſuperiora trahunt in inteſtinis, adſcripſiſſe; quandiu enim morantur, tandiu magis exiccantur. *Quod ſi ventris particulas frigeſcere contingat*, inquit Gal. *ex eo, & coctionem violari, & per eam deiectiones eliquari magis, quàm ſicceſcere neceſſum eſt.*

Inter cauſas oppilationis inteſtinorum, enumerat *phlegma vitioſum, implentem ſpatium ipſorum, & eadem oppilantem*. At hanc cauſam viſus eſt Gal. non admiſiſſe Lib. 6. Aph. Com. 44. dicens. *Quod autem humores craſſi, & tenaces in cauſa ſint, videlicet obſtructionis inteſtinorum, non admodum mihi videtur probabile*. In fine tamen Com. ſi vna cum frigiditate multa abundent in inteſtinis ijdem humores, concedit poſſe fieri talem obſtructionem, & quidem iure; cum enim frigidi ſit conſtipare, ſi præter copiam materiæ, adſit etiam inſignis frigiditas, nulli dubium, quin hinc inteſtinorum capacitas intercludi poſſit. Quare hoc ſenſu intelligatur Auic. alias à Gal. diſcreparet, & difficile foret affirmare, tantam humorum copiam in inteſtinis abundare, vt hinc ea obſtrui poſſint.

Enumerans cauſas, propter quas ſiccantur fæces in ventre recenſet *multitudinem*

titudinem bilis acutæ, effusæ ad ventrem, & paucitatem materiæ stercorosæ, aut eiusdem siccitatem; hinc enim imaginatur ille, illam materiam exiccari ab igneo illius bilis calore. At si bilis est acuta, debet esse acris; si acris, debet mordere; quare stimulabit ad excretionem, antequam eam possit exiccare. Quã difficultatem cum viderit Auic. subiungit. *Et hoc est secundum minus, sed secundum plurimum ipsa soluit naturam.* Sed sicuti raritatẽ casus proponit Auic. ita potuit & eius non meminisse; cum sit potius imaginarius, quàm experientiæ, aut rationi consentaneus.

Exponens causas doloris colici per consensum inducti, monet, hunc fieri *ex apostemate, vel iecoris, vel vesicæ, vel renum, vel splenis, cui apostemati per hanc viam communicat intestinum; quoniam ab eo comprimitur, & inde constipatur, & oppilatur; cuius oppilationis ratione, postea cum non possit fieri excretio, subsequitur dolor, retento flatu, & excrementis.* At in maximis tumoribus iecoris, & vbi lien sit tumidus adeò, vt tumore suo occupet ferè totum ventrem inferiorem, non videmus dolores colicos, aut ventris, nec quidem leuiores succedere; quod præterquam experientia non comprobatur, nec etiam rationi consentit: nam hi tumores possunt quidem aliquam facere compressionem; sed integram interceptionem nequaquam; cum venter sit admodum capax, & distensionem patiatur, potius ad exteriorem, quam ad interiorem partem; cuius ratione nec videmus vtero gerentibus id contingere, licet tumor prægnantium vsque ad præcordia extendatur; & quidem, quoniam partes abdominis exteriores, musculi scilicet, peritoneum, & cutis distenduntur ad exteriora, & cedunt tumori interno. Quod cum fiat in tumoribus hepatis, & lienis, neque ex his intestina intercludi possunt. Renes autem licet hoc beneficio non fruantur; attamen, nec hi apti sunt comprimere, & inde constipare, ac oppilare intestina, tum quoniam magnitudinem insignem, ac proinde aptam, vt inde multum excrescere, sicut lien possint, non habent; tum quoniam intestina in horum tumoribus cedunt, & ad partem anteriorem declinant. Quo autem ad vesicam, perspicuam habemus Galeni sententiam Lib. 6. Aph. 44. longa experientia confirmatam, scilicet, quod tumorem vesicæ non sequatur talis interceptio, prout nec tumorem vteri, vt in vtero gerentibus apparet. Quare dubia est hæc Auic. sententia, quod colicus dolor possit fieri per consensum, ex hepatis, vel lienis, vel vesicæ, vel renum tumore comprimente, & inde coarctante, & oppilante intestinum.

Quoad historiam illius doloris colici pestilentis, & vagantis, quam ex Paulo recitat, notandum est, quoad curationem Auic. dixisse *quidam Medici curabant eos cura mirabili.* Quod Paulus explicãs, paulo aliter hanc proposuit dicens. *Sic igitur laborantes Medicus quidam in Italia curauit victus quadam ratione infideli, refrigerante, & maximè temeraria.* Sed quare curatio hæc penes Auicennam est mirabilis; cur etiam secundum Paulum est infidelis, & temeraria, si dolor iste ex acribus, & erodẽtibus succis, vt Paulus indicauit, pendebat; Sanè hæc curatio est iuxta rationem, & valde probanda cum peccantibus succis calidioribus, mordacibus, & erodentibus, requirantur medicamenta refrigerantia, & contemperantia, qualẽ administrabat Medicus

ille

ille in Italia. Quare non est quod dicatur ab Auicenna mirabilis, nec à Paulo infidelis, aut temeraria; qui prout in cognitione causæ fuit perspicax, in curatione eiusdem fuisset accuratus, hæc verba de illo Medico non protulisset.

Ea verba sub finem Cap. prolata. *Et quando prolongatur retentio fæcis, inflatur venter, & interficit*. Sunt indeterminata; non enim explicant tempus huius prolongationis. Quare dubia est sententia; nam vidimus patientes, in quibus retentæ fuerunt fæces 20, & 25 dies, & amplius, qui tamen curati superstites fuerunt. Quare hæc sententia, quoad tempus, fuit limitanda.

Cap. VII. Quoad signa colici doloris, enumerata ab Auic. hoc vnum sciendum, quod non omnia sunt propria, nec inseparabilia; sicut exempli causa, primum assignatum, videlicet, quod *minoratur, vel intercipitur egestio*; nam hoc non est perpetuum: in quibusdam enim colicis venter fluit, & tamen dolor inualescit, vt experientia quandoque comprobatur, quod contingit, vbi doloris colici causa sint flatus, non in anfractibus, sed intra tunicas intestinorum inclusi. Quod autem inferius subiungit, videlicet, quod *colici sentiant in cruribus, & in dorso dolorem*, est præter rationem, nisi hoc fiat per cōsensum, communicato flatu his partibus.

Signum illud, quod *in colica egrediantur squibalæ, sicut stercora ouium, vel sicut stercora caprarum, magnæ, & paruæ, & res natans in aqua*; non videntur pariter comprobari. Verum quidem est, quod in colica, si quid ab aluo deijcitur, vt inquit Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 2. flatuosum quodāmodo est, & sæpenumero aquæ supernatare consueuit, similem habens bubuli stercori consistentiam; at quod squibalæ, ad formam stercoris, vel ouilli, vel caprini excernantur, non ita veritati consentire videtur; cum talia excrementa ex adustione, & superfluo calore, non ex frigiditate, & flatu, quæ colicis his propria sunt, generationem habeant. Quare hæc merito à Galeno prætermissa, ab Auicen. autem præter rem, inter signa colicæ enumerata fuere.

Cap. X. Distinguens dolorem colicum à renali, ex parte dispositionis doloris, inquit. *Quantitate ab inuicem differunt; quoniam ille qui est lapidis, est paruus, quasi sit acus, & colicus est magnus*. Quo loco aduertendum est, magnum dolorem non vocari ab Auicen. vehementem; sed qui magnum occupat locum, prout paruum, non qui leuior sit, sed qui paruum locum affligat; sed hoc non semper compertum est; quoniam quandoque renalis occupat à renibus vsque ad vesicam, integrum vreterem, & colicus aliquando circunscribitur paruo spatio, ita vt videatur renalis, & fixus; vt Galen. contigit, ex quo deceptus in se ipso, iudicauit dolorem colicum renalem esse.

Per ea verba. *Et secundum quosdam, non incipit colica sinistra, sed illud non est verum*. Alludit ad Galeni sententiam, propositam Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 2. vbi hæc habet. *Sunt qui omnino negent, in sinistris partibus colicam dispositionem euenire posse*. Quam sententiam, sicuti nec probauit, nec damnauit Galenus; ita Auic. magis determinatè eam negauit, & iure quidem: nam cum Colon, postquam pertransiuit hepar, & dexteras partes, præter vehatur secus lienem, & accumbat reni sinistro, non iniuria negatur ab Auicenna ea sententia, asserens, dolorem colicum non fieri in sinistra parte, quod tamen posse

fieri

fieri apparet ex anatome, præter experientiam, quæ hoc comprobat.

Differentiam doloris colici à nephritico, ratione temporis, tradens, inquit. *Tempore vero; quoniam renalis fit fortis in hora vacuitatis, & colicus alleuiatur in ea, & fit fortis, cum sumitur aliquid.* Quæ sententia licet vera sit, quoad colicum; falsa tamen est de nephritico, vt clarè habetur ex Hipp. & Galen. Lib. 6. Epid. sect. 1. Com. 6. Nam dolores nephritici, non in hora vacuitatis, sed in hora repletionis exasperantur. Quapropter dicebat Hipp. *In renem dolor grauis, cum cibo impleti sunt*. Gal. autem in Com. dicebat. *Dolores autem eo potissimum tempore excitari dicit, quo replentur cibo*. Et quoniam cibus duo apud Hipp. significat, scilicet, vel cibos assumptos; vel recrementum cibi, declarat Gal. Hipp. sententiam veram esse vtroque sensu. Quare ablegãda erit Auic. sententia; cum ex diametro Hippocrati, & Gal. aduersetur.

Ex parte vicinantium propriorum differentiam colici à nephritico docens ait. *Quoniam tremor multiplicatur in renibus ambobus, & non pertinet colico*. Quæ sententia satis dubia est; quoniam, cum renes non sint membra motui voluntario dicata, nec etiam possunt tremorem pati. Sed forsan Text. est corruptus, & per *tremorem*, ad mentem Hipp. Loc. cit. debemus legere *stuporem*; dicebat enim ille, *stupor femoris è regione positi*. Quæ differentia, ad mentem Auicennæ *est ex parte propriorum vicinantium*; quoniam hæc est proprietas nephritici doloris, quæ non conuenit colico. Et ideo ego lubentius legerim, *quoniam stupor multiplicatur à renibus ambobus*.

Cap. XI. *Sitim, & inflammationem, ac rubedinem lotij* dicit *omnia communia esse omni speciei colicæ*. At vt superius notaui de reliquis signis Cap. 8. nec ista duo de siti, & lotio vera sunt in omni specie colicæ; nam experientia testatur, in aliquibus colicis lotium apparere crudum, & album.

Cap. XII. Inter signa colicæ ventosæ, proponit *retentionem fæcum*. At fæces retentæ non possunt dolorem colicum ventosum ex se inferre; quia exsiccata non emittunt flatus, licet possint esse concausæ, videlicet intercipiendo, si geniti sint flatus. Quare non proponenda fuit hæc causa signum ventosæ colicæ.

Colicam ventosam hinc cognosci posse docet, quod *secundum plurimum compressione iuvatur*. At compressio, magis coarctatis ægris, dolens est; vt hinc sæpius huiusmodi patientes vix tolerent medicamenta apposita; quoniam mole sua videtur magis eos afficere. Sed forsan cõpressio potest iuvare; quoniam intestina à flatu distenta, si comprimantur in proprio loco, cedunt, & inde minus solutionem continui patiuntur.

Cap. XIII. Proponens signa *colicæ fæcalis ex retentione choleræ effusæ ad intestinum*, vult proponere signum eius, quæ fit, quia non effundatur bilis ad intestina, sed retineatur potius, obstructo folliculo bilis. Quare, per illa verba, *ex retentione choleræ effusæ ad intestina*, intelligamus ex retentione choleræ, quę effundi deberet ad intestina; non autem effusæ; quia tunc essent opposita signa.

Cap. XIV. Signa *colicæ apostemosæ* tradens, habet hæc verba. *Et est signum forte, & lædi cum fluxu, & quandoque est iste dolor cum lenitate naturæ*. Quæ senten-

tia

tia Auic. est satis admiranda; cum huic experientia omnino refragetur. Si enim in vllo casu, in hoc certe retinentur fæces, non tantum quia inflammatio intercludat viam; sed etiam, quia cum non possit inflammatio fæcum acrimoniam, nec pondus sustinere, est causa, vt ad superiora expellantur; vt in simili casu docebat Galenus Lib. 3. de Natural. Fac. Cap. 13. Quare mirum est, quomodo asserat Auic. *in apoteslemate intestinorum esse lenitatem naturæ, & alui fluxionem*.

Cap. XV. Sicuti per *torsionem* idem intelligit quod Græci, per *conuulsum*, cuius causæ referuntur à Galeno sub finem Libri de morborum causis; ita per *rupturam*, intelligit idem, quod Græci appellant *ruptum*, de quo ibidem Galenus. Hoc notaui, ne quis per *rupturam* intelligat, ad mentem Arabum; cum in scrotum descendunt intestina, & inde fit dolor.

Cap. XVI. In colica à frigiditate, dicit quandoque contingere, *vt sperma cum ea sit frigidum*. At si Auicenna intelligit, quod sit frigidum actuali frigiditate, prout cum frigiditate actuali pituita quandoque excernitur, omninò falsum est; quoniam sperma, ob copiam spirituum, non admittit actualem frigiditatem. Si autem intelligit de potentiali, videlicet, quod sperma sit temperamento frigidum, hoc sicuti non facit ad indicandam colicam ex frigore; ita etiam, nec locus fuit huius conditionis hic meminisse.

Sicuti proponit Auicenna signa eius doloris, qui fit ex debilitate sensus; ita etiam debuit proponere signa eius, qui fit ex debilitate intestinorum; de quo agit Aetius Cap. 30. Lib. 9. quoniam & hæc debilitas sæpius est causa huius doloris, & difficulter percipitur, nec facile curatur. Quare hunc casum animaduertant iuniores, licet ab Auicen. neglectus fuerit.

Fen Decima Sexta Tract. Quartus Cap. Prim.

Cap. I. PVlcherrimum proponit documentum, obseruandum in curatione doloris colici, scil. quod *vitanda sunt solutiua electiuè ducentia*; quoniam præter quam quod euacuant ex stomacho, & intestinis, etiam ex toto corpore attrahunt materiam ad locum affectum, videlicet ad ipsa intestina. Ideo dicebat. *Cumque bibitur medicina, desuper euacuat, non ab vno quoque duorum, scilicet, stomacho, & intestinis tantum; immo ex alijs locis, à quibus euacuatio omnino non est necessaria; & illud facit acquirere debilitatem proculdubio*. Hoc tamen præceptum non videtur ipse Auicenna obseruare Cap. 5. cum docet, in colica solutiua validiora administranda. Præterea hoc idem videtur neglexisse, cum inferius hæc habet. *Et cholericæ quidem colicæ paroxysmo succurritur, cum pillulis aureis*. At pillulæ aureæ sunt admodum validæ; quare attrahunt à toto corpore, & plurimum scammonij recipiunt, quod intestinis valde noxium est; quæ duo mala vitanda sunt. Verum Auic. in hac re parum sibi constans, immediatè subiungit nocumenta, quæ ex talium medicamentorum exhibitione contingunt. Quare ea omnino damnare videtur, licet ab eo proponantur.

In fine capitis, vrgente siti, monet potum cum *iuleb permisceri, vt sit magis iuuatiuum*, dicens, hoc contingere propterea, *quod corpus diligit rem dulcem*,

&

& facit ipsam penetrare. At superius Tract. 3. Cap. 7. de signis colicæ dicebat, *& abhorret habens eam, unctuosa, & dulcia*. Si autem colici abhorrent à dulcibus, quomodo diligunt ea. Sed forsan Auicenna intelligit de appetentia membrorum naturali, non de ea, quæ ratione oris ventriculi fit, alias sibimet contrarius foret.

Cap. II. Difficile est deprehendere, quid sibi velit Auicenna per ea verba: *In ea autem, quæ est secundum semitam effusionis, & generationis, conueniens est, vt in potu detur ei, cum paroxysmus est doloris, & in nocte vehementiæ eius, aliquid, sicut Pillulæ de aloe, & pillulæ de hiera, & pillulæ compositæ de pulpa coloquinthidis, & scammonea, & serapino, & aloe*. Nam si loquitur de dolore ventris ex effusione materiei à totius ambitu, deiectiones sunt liquidiores, & copiosè fluit alvus. Vnde Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 7. loquens de eo, qui in dolore colico, accepto scammonij succo, purgatus fuerat, dicebat. *Rutaceum sibi oleum per sedem infundens, non solum vehementissime est vexatus; sed etiam liquidam deiectionem copiossisimam excreuit*. Quod facile probauit aliquid à toto corpore ad loca ventris deferri. Si autem hoc in effusione materiæ à toto contingit, quomodo medicamenta illa vehementiora, in paroxysmo conuenire possunt? Quinimò si vnquam exhibenda essent, potius ante paroxysmum, quàm in ipso paroxysmo conuenirent; quoniam tunc, fluente materia, possent esse causa maioris fluxionis; sed & ista medicamenta vehementiora sunt in qualibet temperie suspecta, qualia sunt, quæ recipiunt colocyntidem, & scammonium; cum hæc intestinis valde inimica sint. Quare mitiora in hoc casu, & si illis detur locus, potius ante paroxysmum, quàm in paroxysmo exhibeantur; cum in paroxysmo anodyna magis, quàm euacuantia sint opportuna.

Cap. III. In cura colicæ ventosæ, tentans integram flatus discussionem, tandem progreditur ad *Philonium*. Verum alijs non conferentibus, hoc exhibetur, non quidem ad discussionem materiæ; sed ad solutionem doloris, quo exhibito, postea repetenda sunt discutientia, & calida, ad discussionem superstitis materiæ flatuosæ, & ad corrigendam narcotici noxam, si aliqua reliqua sit.

Cap. IV. Contra propria principia, & Galeni mentem, qui vehementiora in hoc casu damnauit medicamenta, Auicenna in parandis clysteribus, ascendit *ad turbith, colocyntidem, cnicum, artanitam, centaurium*, & ad omnia acriora; quæ tamen non conueniunt, duplici ratione. Primo quidem, quia attrahunt à toto ad locum affectum; secundo quia admodum intestinis molesta sunt, iam ex dolore malè affectis, & dilaniatis: nam intestina non sunt adamantina, ita vt possint, & dolori, & acrioribus medicamentis reluctari; nec ad ea superfluitates sunt attrahendæ, sed potius sunt emundanda, & ab his abstergenda. Quare hi clysteres in paroxysmo doloris non sunt admittendi. Si autem locus his detur, tunc fuerit, cum remisso dolore, & præparata materia, erunt expurganda intestina excrementis à quibus affligebantur.

Quoad clysterem *ex syrupis acetosis incisiuis*, sciendum est, quod hi nunquam veniunt in vsum, nisi coniectura sit, intestina esse obducta, & oblinita maxima copia pituitæ; nam acetum, & ex aceto composita, partibus mem-

bra-

branosis, & neruosis sunt inimica. Quare si pituita non adsit, ad tutelam intestinorum potius exacerbarent, quàm lenirent, & potius læderent, quàm iuvarent.

Cap. V. Hic est locus supra notatus, in quo deuenit Auicen. contra propria principia, ad validissima soluentia in dolore colico, ita vt assumat, & *scammonium, & colocyntidem* etiam; quæ tamen intestinis aduersantur. Hæc autem nequaquam conueniunt, sæuiente dolore; tum quoniam maiorem superfluitatum copiam ad intestina deducunt; tum quoniam intestina ipsa molestant, & affligunt, iam à dolore dilaniata; cuius ratione, nunquam his vsus est Galen. in colica.

Cap. VI. Quemadmodum clysteres acriores, & medicamenta soluentia vehementiora damnantur in colico dolore; non ita tamẽ reprobantur suppositoria acria, & composita ex vehementioribus medicamentis; quia hæc nõ ascendunt supra intestinum rectum, & ideo locum affectum infestare nequeunt, nec excrementa à toto ad intestina deducere possunt; quod metuẽdum ex supradictis. Quare huiusmodi suppositoria in vsum venire debent.

Cap. VII. In formando clystere ad colicam ventosam, omnia opportuna assumit, præter centaurium; quod adeo validum, & acre, ac potens est, vt infusum etiam vsque ad sanguinem ducat quandoque, excoriando intestina ipsa. Quare nequaquam hoc assumatur, tum ratione noxæ prædictæ; tum etiam quia in colica ventosa debemus discutere, non euacuare, nec intestina exasperare.

Cap. VIII. Sicuti suppositoria acria, vt & clysteres, ac medicamenta vehementiora non improbantur in colica; ita etiam in ventosa simplici non sunt damnanda, quæ recipiunt colocyntidem, & alia, quæ eiusdem conditionis; tum quoniam hæc discutere flatus, & ad excretionem eosdem disponere possunt; tum quia intestinis à dolore afflictis nullam noxam inferre queunt.

Cap. IX. Laudauit Auicenna in proprio capite, & in isto loco *stercus columbinum*, ad colicam; attamen cum hoc sit ex genere rubificantium, penes me valde suspectum est; cum rubificantia non veniant in vsum, nisi in partibus externis; atq; adeo Galenus hoc stercus, quod habuit in vsu frequenti, nunquam ad partes internas administrauit; forsan quia esset causa, rubificando, & ferè adurendo intestina ipsa, accidentium deteriorum colica ipsa. Quare laudo vt dimittatur horum vsus Arabibus, nec à nostris administretur, licet Arabes forsan opponere possint, vim stercoris, admistione succi, & olei obtundi.

Cap. X. Mirum certè, cum Auicenna à Græcis omnia ferè exscribat, quod in capite isto, quo ex professo agit de balneis, colico dolori conferentibus, ne vllum quidem fecerit verbum de balneo olei dulcis, quod in casu isto valde à Græcis celebratur, experientia teste, vt sæpius vidi, valde vtile.

Cap. XI. Instrumentum ab Auicenna descriptum satis ineptum est, comparatione eius, quo nunc vtimur. Quare non est quod de eo aliquid dicatur. De forma autem eius cui clyster imponi debet, & quot modis clyster spem frustretur, siue quia non admittatur, siue quia non excernatur, & quomodo imponi debeat clarius habetur ex Orib. Lib. 8. Collect. Med. Cap. 37. & 38.

38. quam ex Auicenna. Quare loca illa Orib. adeunda, & accuratè considerandasunt.

Cap. XII. In hac colica, non tantum localia medicamenta, sed etiam vniuersalia, quibus omissis illa noxia esse possunt, conueniunt. Quare ad perfectam curationem horum tumorum vtraque ab Auicenna fuerant explicanda.

Cap. XIII. Sciendum est, vsum huius olei administrari ab Auicenna, non ad curationem doloris; sed ad eius præseruationem; & ideo dat præceptum, in diebus, & in mensura, quod in paroxysmo doloris non est obseruandum, prout nec cætera, quæ sequuntur, in exhibitione huius olei, possunt, aut debent obseruari; sed ad præseruationem, & tempus dierum, & quantitas olei, & qualitas ciborum assumendorum, & medicamenta administranda possunt in intermissione doloris obseruari. Hoc autem oleum est opportunum in tali casu; quoniam est calidum, & tenuium partium, & habet aliquam abstersionem; cuius tamen loco non est assumendum oleum amygdalarum amararum, vt multi communiter medicinam facientes monent; quoniam, licet non sit malum, non tamen æquiparandum est ricinino; cum ricininum sit calidius, & subtiliorum partium, & magis abstersiuum.

Cap. XIV. Ad exemplum Galeni, à quo Lib. 12. Meth. Cap. 7. exscripsit Auic. inquit, allium minus, quàm cepam sitim excitare; non tamen eam, vel probat, vel damnat in doloris colici curatione, quæ tamē an conueniat, potest esse dubium; nam ex vna parte conuenire videtur, cum sit calidior, & temperamento ad quartum caliditatis gradum, ex Gal. ascendat; hæc autē valde discutientia sunt, & ideo flatus dissipare possunt. Præterea, cum, & à Gal. & ab Auic. comparatione allij, minus probetur, videtur censendum, eam non simpliciter improbari. Ex altera autem parte (quæ sententia amplectenda) cepam non conuenire in hoc casu censendum est; quoniam licet videatur ex vsu, ratione intensæ caliditatis, quam possidet; tamen ratione aqueæ humiditatis, quam habet, est flatulenta; vt habet Gal. Lib. 7. de Simpl. Med. Cap. de Cromio, idest cepa; illa enim quæ flatus resolvunt, debent esse sicca, non humida, & potissimum humiditate aquea, qualis maxima parte est humiditas ceparum, cuius humiditatis ratione, cum sit superflua, & excrementitia, solent cepæ largius sumptæ inducere lethargum; & ideò etiam non crescunt, nec augentur, nisi luna decrescente: nam ea crescente humiditas largior calorem earum insitum obtundit, quæ postea eadem decrescente, quoniam humiditas tunc temporis obtunditur, & remittitur in omnibus viuentibus, nec amplius reluctante humiditate, augmentum in eis producit; vnde etiam à solo extractæ, quoniam vberrimum alimentum ex propria humiditate habent, possunt germinare cepæ, & crescere; quæ humiditas in cepis cum sit tanta, & aquea, vt sint flatuosæ; ideo vt calidæ, in dolore colico nequaquam conuenire possunt.

Cap. XV. In vsu emplastrorū, procedendū est iuxtà Gal. præceptū, qui præsente materia pituitosa, abhorret à calidioribus; quoniam ista magis fundunt materiam, vnde maior copia flatuum generatur. Aliud etiam notandum est, videlicet, quod varia conueniunt emplastra, pro diuersitate colici doloris;

loris. Quare non ita confusè hæc erant describenda ab Auicen. nec adeò sine vllo delectu.

Cap. XVI. Quod notatum est de vsu emplastrorum, aduertendum est de vaporationibus faciendis; quoniam præsente materia, & præcipuè copiosiori, vaporationes paratæ ex calidioribus rebus, prout quæ recipiunt castoreum, & euphorbium, sinapi, & similia, forent causa maioris doloris; quo casu tantum anodyna, & potissimum vrgente dolore, conueniunt.

Cap. XVII. Potuit sufficere Auicennæ, ad explicandum, scammonium noxium esse intestinis, exemplum propositum à Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 8. de illo, qui ob dolorem ventris, scammonio assumpto purgatus, & inde læsus fuit. Attamen hoc non animaduertens, sæpius in cura doloris colici, ad scammonij vsum descendit; sicuti in præsenti capite; cum hac tamen cautione, vt paucum id assumatur, metu forsan eius noxæ; præstat tamen ab eo abstinere, & non excedere hieram; cuius præcipuè vsum frequentem habuit Gal. in dolore intestinorum, ab acribus, & mordentibus succis.

Cap. XVIII. Hoc caput non pertinet ad curationem doloris; sed ad præseruationem eius, qui fit ex retentione bilis supra cephysim; si enim huiusmodi vrgeat dolor, non competit curatio, sed anodynis procedendum est, vt quæ causam proximam tollere possunt; remisso autem, & sedato dolore, poterit postea Medicus remotioni causæ, idest bilis retentioni incumbere.

Cap. XIX. In cura doloris colici ex inflammatione, si adsit *multum bilis acutæ*, exhibet *scammoneum cum aloe*. At pluries nouimus, scammonium esse noxium, cum intestina sunt affecta. Præterea, nunquam euacuandum est per locum affectum, vt hic fieret; quoniam per intestina affecta fieret euacuatio. Insuper inflammatis partibus internis, nunquam à principio purgandum est; vt docuit Hipp. & Galenus Lib. 4. Reg. Acut. Tex. & Com. 22. Quare omnino in hoc casu abstinendum est à pharmaco. Quod si intestina occlusa sint, vt fit in Ileo ex inflammatione, & copia bilis sui euacuationem indicet, refrigerantia, & lenientia medicamenta assumenda sunt, non scammonium, aut aloe, quæ sunt calida, & sicca.

Cap. XX. Hæc curatio est ratione causæ, non verò ratione doloris; & ideò purgantia conuenire possunt. Quo autem ad clysteres, habent eandem intentionem; non verò quid habent, quò dolorem, & symptoma, cum causam tantum spectent, lenire possint.

Cap. XXI. Post clysteres lubricantes, si non conferant, deuenit ad vsum clysterum acriorum. In qua re hoc notandum, quod si per lubricantia sint emollitæ fæces, tunc acriores ad euacuationem maxime conferre possunt; at si adhuc duræ permaneant, parum iuuare poterunt acriores infusi.

Quod si nec lubricantia, nec clysteres acriores iuvent, tunc, inquit Auicenna, *non est excusatio pillularum fortium*; quarum meminit in colica ex pituita. Per quæ verba, innuit Auicenna, hunc curandi modum non esse iuxta normam, nec rectum; quoniam prius indicatur emollitio, quàm euacuatio; & quoniam pillulæ, & medicamenta valida non dantur ad educendas fæces, sed humores potius, qui sunt in ambitu totius corporis; sed coactum, & rationе vrgentis, necessarium: nam cum leuia non conferunt, vrgente pericu-

Ee lo,

lo, etiam temerario ausu quandoque ad grauiora, non ita simpliciter indicata deueniendum est.

Cap. XXII. Hæc curatio respicit causam, non dolorem ipsum; nisi dolor hinc factus pendeat à flatu, & à materia frigida. Si enim ex debilitate virtutis expulsiuæ fieret dolor, propter retentionem fæcum, medicamenta ab Auicenna hic proposita nequaquam conuenirent.

Cap. XXIII. Debilitas sensus facit potius ad priuationē sensationis, quàm ad producendum dolorem, nisi ex hac eadem imbecillitate, debilius redditum intestinum, facilius suscipiat excrementa demandata. Quare hæc causa videtur supetflua, quoad causam doloris, licet forma curandi conueniens sit.

Cap. XXIV. Curatur hoc loco ille dolor, qui propter σπασμὸν, idest conuulsum. (quem affectum nominat Auicenna *torsionem*) fit. Verum non ita perfectè hæc curatio explicatur; cum enim hic affectus sit passio insignis, & periculosa, hinc etiam indicantur magna remedia. Vnde iure Aetius, ex Archigene, in curatione volvuli Lib. 9. Cap. 28. in tali casu secat venam, & adhibet scarificationes profundas; quæ remedia omisit hic Auicenna, sicuti & mitigantia, & dolorem lenientia; quorum vsus probatur, ne ex conuulso intestino succedat inflammatio, & inde maius periculum, quàm ex convulsione ipsa.

Cap. XXV. Vermes colicam tantum inducunt, obstruendo intestina, vt superius propositum est ab Auic. cæteri enim dolores à vermibus, inter punctiones, non inter colicos dolores ab eo referuntur. Quod autem dicitur de loco dolente, quasi hoc indicet diuersitatem auxiliorum, non ita rationi respondet, vt alias notaui.

Cap. XXVI. Quod superius notaui in Cap. de dolore colico ex torsione, est etiam obseruandum quoad dolorem pendentem ex ruptura.

Cap. XXVII. Inter cibos conuenientes colicis, laudat *medullam panis dissolutam in iure, vel in vino*. Quoad illam, quæ dissoluitur in iure, sanè ea probanda; quo autem ad illam quæ dissoluitur in vino, censeo non ita probandam esse; quoniam hæc difficilis est coctionis, ac proinde etiam flatuosa, & quæ duo sunt vitanda in dolore colico.

Mirum, quomodo Auicen. probet in dolore colico *melones*, licet dulces, & maturos; cum Gal. Lib. 2. de Alim. Cap. prop. dicat, quod *vniuersa peponum natura frigidior est, cum humiditate copiosa*. Frigida autem, quæ innatam habent humiditatem copiosam, sunt admodum flatuosa, & intestinis inimica.

Cap. XXVIII. Cum superiori capite dixerit, melones pluribus ex colicis, aut conferre, aut saltem noxios non esse, hic iterum laudat *melones*, non quidem in paroxysmo; sed in intermissione doloris, & ideo inquit, *Et melon dulcis, ante cibum, in dispositione sanitatis, est non nociuus plurimis colicorum*. Quæ concessio licet sit minus noxia, quàm superior, mea tamen sententia non est tuta, ob propriam melonis temperiem.

Cucurbita etiam numeratut inter noxia (quod superius etiam notauerat) hoc exscribens ab Alex. Trall. Lib. 10. Cap. 1. in cura doloris colici ex

humore

humore acri, & biliofo. Attamen Aetius Lib. 9. Cap. 30. docens victus rationem in colicis feruandam, concedit cucurbitam, in calido cinere afsatã; quod notafse volui, non vt eam probem, fed vt fententiarum diuerfitas in hac re appareat. Quæ hac ratione defendi poteft, quod cucurbita propria natura poteft efse mala, fi cruda, vel malè parata comedatur; fi autem in calido cinere afsata, quoniam hinc frigiditas eius remittitur, & aquofitas cõfumitur, poteft efse innoxia.

Aquam frigidam epotam numerat inter ea, quæ colicis nocent; & iure quidem; cum hæc lædere inteftina, fua frigiditate actuali, & copiam flatuũ excitare poffit. At, an vnquam in colicis fit concedendus potus aquæ fimpliciter, non explicat. Pro quo fciendum eft, quod potus aquæ, ad leniendam fitim ab Aetio, colicis, in duobus cafibus conceditur. Primus eft, fi æger rebus acribus, ex quibus ingens fitis excitatur, vfus fuerit; Secundus, fi noctu à fomno fiti infeftetur; tunc enim laudat aquam paulatim abforptam. Quæ Aetij præcepta non funt contemnenda; quoniam fi aqua fit optima, nec fit gelida, & paulatim forbeatur, apta eft magis lenire fitim, quàm vinum, qua delinita melius quiefcit æger, & inde concoctio cibi perfectior fequitur. Nec hic aquæ potus, præcedente illo victus genere, & fiti infeftante, poteft efse noxius; tum quoniam non poteft refrigerare partes folidas, cum cibi fitim accendentes ventriculum tueantur; tum etiam quia multum facit ad contemperanda contriftantia, & fitim inducentia. Quare non eft in hoc damnandus Aetius; fed præter Aetij præcepta dicam ego quod aliquando obferuaui, quoad potum aquæ in doloribus, vel ventriculi, vel inteftinorum, pendentibus ab humore pituitofo: cum enim hic fuccus admodum vifcidus, craffus, ac valde impactus fubftantiæ ventriculi, ac inteftinorum effet, obferuaui, in quibufdam potius exacerbari dolorem ex potu vini, quàm aquæ; & quidem non ab ratione; nam vinum fua caliditate, & ficcitate poteft flegma magis incraffare, & vifcidum reddere, potiffimum quidem, fi ad qualitatem adftringentem declinet, ac in fubftantiam ventriculi impingere; quod non poteft facere aqua, quæ potius diluens hanc pituitam, & eam humectans, eandem coctioni, ac proinde expulfioni magis aptam reddit; & ideo in huiufmodi cafibus, fæpius ego vfus fum potu aquæ, quam potu vini, eum potum in ægrotantium falutem ceffiffe vidi. Hoc vnum tamen obferuaui, vt aqua effet omni malæ conditionis expers; cui infuper admifcebam faccharum, vel mel, pro ratione materiæ; quam caldam, vel faltem tepidam, & in p. q. exhibebam; atque præcipuè, vel à cibo, vel vrgente fiti. Quæ non funt contraria Auicennæ dictis; quoniam ipfe loquitur de aqua fimplici, & frigida; ego autem ea non vtor, nec fimplici, nec frigida.

Obferuatio.

Cap. XXIX. Cum alias abundè de Ileo tractauerim, poffem fuperfedere annotationibus in præfens caput; attamen cum nonnulla aflerat Auicenna difcriminis plena, ea filentio prætereunda non cenfeo. Inter quæ, quoad caufas Ilei, hanc proponit, videlicet, *vehementiam, & robur virtutis retentricis inteftinorum, cuius ratione comprehendit illud, quod eft in eis, & retinet illud.* Quæ caufa licet probabilis videatur, quoad imaginationem; quoniam imaginari

ginari possumus, intestinorum virtutem retentricem esse adeo aliquando robustam, vt nihil ex se emittant; attamen, cum intestina non sint donata hac virtute robusta; sed solum expultrice, qua læsa, retinentur excrementa, nequaquam asserendum est hoc prouenire ex robore virtutis retentricis; & ideo iure hæc causa prætermissa fuit à Galeno, & cæteris Græcis.

Imaginatur Auicenna Ileum posse fieri, *cum ventriculus valde calidus existit, intestina autem frigida; hinc enim*, inquit, *ventriculus obtorquet intestinum, & oppilat ventositatem, & phlegma.* Quæ causa est imaginaria potius, quàm quæ mox explicata; quoniam non est possibile, vt quemadmodum ab igne intestina, & charta membranacea contorquentur; ita contorqueantur intestina ab igneo calore ventriculi; nam dicitur quidem igneus hic calor, comparatione innati, qui est benignus; non tamen vnquam ad eum gradum progreditur, vt igneam vim consequatur, ita vt proxima viscera possit adurere, atque adeò intestina contorquere; hoc enim nonnisi à summo calore, & qui ad gradum quartum accedat, fieri potest; qui quartus gradus caloris non potest in animali reperiri, stante eius vita.

Quod animaduerterat de colico dolore, ex Paulo, videlicet, quod aliquando fuerit Epidemius, & pestilens, hic applicat Ileo, censens illum dolorem fuisse iliacum, iuxtà Alex. opinionem, scribentis, vbi dolor colicus intenditur, fieri Iliacum. Attamen cum in epidemia non recensuerit Paulus ea symptomata, & accidentia, quæ necessariò consequuntur Ileum, non est asserendum illum morbum fuisse Iliacum, licet fuerit colicus perniciosus, & lethalis. Nam colicus dolor, nisi inducat integram intestinorum occlusionem, non potest euadere Iliacus.

Citans Hipp. Aph. propositum Lib. 6. Aph. 44. vbi hæc habet. *Quibus ex stillicidio vrinæ Ileos superuenit, in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente, satis vrina fluxerit*, & subiungens, inquit. Sed Gal. *causam in hoc ignorauit*. Galenus enim exponens illum Aph. de Ileo declarat, hoc fieri non posse; atque adeo censuit hunc Aph. spurium esse, non autem legitimum Hipp. Quam Gal. sententiam Auic. dissimulans, asserit, ipsum causam, & veritatem huius Aph. ignorasse; cum tamen ipse quid in hac re sit sentiendum declarauerit. Ego autem, existimans Hipp. hunc Aph. verum, & legitimum esse, dico, pro huius Aph. expositione, hoc loco Hippocratem abusiuè, & metaphoricè vsurpasse nomen Ileos; nam per ileum, hoc loco, intellexit integram vrinæ supra vreteras retentionem, factam à materia pituitosa, & frigida, obstruente renum vias, traducto nomine à vero Ileo in intestinis facto, in quo sicuti retinentur omnino fæces in intestinis, & inde supprimuntur; ita in hac obstructione vreterum fit lotij suppressio integra, nunc per metaphoram ab Hipp. Ileos dicta. Quod autem hæc sententia sit vera, omnia dicta aphorismi attestantur; nam quoad præcedentia, proponit, præcedere *vrinæ stillicidium*, quod indicat materiam ad viam vrinæ declinare, quæ faciens stillicidium, potest esse pituita salsa. Quoad subsequētia autem, quod *in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente, satis vrina fluxerit*, quòd indicat obstructionem ex pituita, solui posse ex febre concoquente, & attenuante pituitam ipsam; qua attenuata, & meatibus reseratis,

vrina

vrina satis copiosa fluit, & inde soluitur morbus. Copiosè autem fluit; quoniam ex retentione multa fuit aggregata. Quæ obstructio si non tollatur, in septem diebus pereunt; hoc enim tempore perire consueuere, qui ex obstructione supra renes lotij suppressionem patiuntur; quod si superstites fuerint, licet postea meiant, soluta obstructione, omnino pereunt. Quare censeo, Hipp. Aph. legitimum esse, atque hic, per Ileum, non verum, qui nil aliud est, quàm superfluitatum cibi, quæ per inferiorem aluum excernuntur, retentio; sed metaphoricè ab hoc traducto nomine, intellexisse, per Ileum, perfectam lotij, quod per renes, & vesicam expurgari solet, retentionem; & ideo iure dixisse, si quibusdam præcedente vrinæ stillicidio fiat, integra vrinæ suppressio, quòd hi in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente, & humorem pituitosum concoquente, & attenuante, vrina copiosè fluxerit. Hoc idem videlicet, per Ileum, vrinæ perfectam suppressionem; non autem fæcum, intellexisse Aph. cit. Hipp. mihi persuadet similis sententia, adducta Lib. de Coac. Prænot. enarrata inter Prædictiones ex vesicæ, & vrinæ affectibus; quo loco hæc habentur. *In vrinæ stillicidio volvulus accedens, septima die pereunt, nisi febre accedente vrina aceruatim prodeat.*

Cap. XXX. Inter signa Ileos hoc proponit, quod *dolor sit supra vmbilicum*. Quod signum licet verum sit aliquando; vnde dicebat Hipp. Lib. 3. Epid. Sect. 2. Tex. 7. *Præcordia dolebant.* Attamen hoc non est perpetuum; cum aliquando dolor, & circa vmbilicum, & infra affligat, vt experientia testatur, & ratio comprobare potest; nam, vt alias declaraui, Ileos tam fieri potest in tenuibus, quàm in crassis intestinis.

Retentio exitus fæcis est inseparabilis ab hac ægritudine. At hoc non esse verum, alias ex Hippocrate, loco citato, dilucidè satis demonstraui.

Inquit ille, *in Ileo vomitum, & subuersionem stomachi maiorem esse, quam sit in dolore colico.* Cuius rationem assignans ait, hoc inde fieri, quoniam *Ileos fit in intestino magis propinquo stomacho, quàm fiat colicus.* At hæc ratio nihil dicit; quoniam licet ad inferenda maiora symptomata faciat maior loci affecti vicinitas; tamen cum Ileos fieri, vt nunc dictum est, in omnibus intestinis queat, non concludit, si Ileos sit in intestinis crassioribus, quod grauiores in eo fiant vomitus, & subuersio. Hoc autem inde tantum prouenit; quoniam in Ileo deterior est affectio, quàm in colica, ac proinde in eo deteriora sunt accidentia. Quare propinquitas loci affecti locum tantum habebit, cum Ileos est in intestinis superioribus; causa autem communis erit deterior affectio Iliacorum, quàm colicorum.

Cap. XXXI. Quæ pertinent ad curam Ilei, alias à me explicata fuere; quare his non insistam; sed hoc solum adnotabo, quod dicit Auicenna, videlicet, quod *ventosus Ileus curatur cum conferentibus ad ventositatē.* Sed non videtur fieri posse, quod ex flatu solo fiat Ileos, licet ab eo colicus dolor grauior, & tantæ vehementiæ, vt ab eo pereant, experientia teste, ægrotantes, succedere possit. Quare per *Ileum*, hoc loco, credo Auicennam intellexisse summum ventris dolorem, non verum Ileum. Quod mihi suadet; cum hic agat de Ileo ex torsione, & ruptura, à quibus non fit Ileos, licet eis succedere queat.

Cap. XXXII. Licet musculi abdominis faciant ad expulsionem fæcum, iam in recto intestino collectorum; non tamen iuvanr earum descensum ex superioribus intestinis ad inferiora; hoc enim est munus intestinorum tantum, non verò ipsorum musculorum. Quare hæc causa non potest esse vniuersalis; sed tantum concurrit, vbi iam fæces ad intestinum rectum descenderint.

Cap. XXXIII. Qua si intestina habeāt vim expellendi substantiam cibi ad hepar, commemorat hanc inter causas *paucitatis stercoris, si expellatur vehementer ad hepar pars cibi subtilior.* At ab intestinis solum attrahitur ab hepate, & venis mesaraicis; non autem quid expellitur, vt ex verbis Galeni in Libris de Vsu Partium, vbi docet intestinorum ad venas, & hepar consortium, & munus, apparet.

Fen XVI. Tract. V. Caput Primum.

Cap. I. INter signa indicantia, vermes non generari ex sanguine, proponit *formam, & colorem vermium.* At forma hoc plane non indicat; cum ex sanguine multiplex rerum inde vel genitarum, vel nutritarum appareat forma; nec etiam color huic generationi suffragatur; quoniam experientia testatur, sæpius excerni vermes, qui sunt satis rubicundi; vnde si color huius quid indicaret, possemus probare vermes ex sanguine genitos fuisse. Quare sufficiat, ad demonstrandum, vermes non generari ex sanguine, quod sanguis si intra venas putrescat, prius inducit febrem, quæ postea sua intemperie calida, & sicca potest potius vermium generationem prohibere, quàm eorundem generationem admittere. Si autem transmittatur ad intestina, & cauitatem ventris, statim in grumos concrescens, plura infert lethalia symptomata; ex quibus vel succumbet patiens, vel si fuerit superstes, eosdem excernit, qui cum diu in ventre retineri nequeant, tantam admittere putrefactionem, & tam diuturnam nequeunt, qualis ad vermium generationem requirebatur.

Cap. II. Tres esse vermium, qui in intestinis procreantur species, inter omnes constat. An autem cucurbitini illi, sint quartum genus ab his distinctum non ita liquet. Eorum autem Græci non meminere; atque soli Arabes videntur hos proposuisse. At cum experientia constet, hos cucurbitinos aliquando excerni, videndum esset, an hi quartum genus constituant vermium. Aristot. Lib. 5. de Hist. Animal. Cap. 19. proponens vermium tria genera, negansque ex his quid procreari, affirmat ex prædictis vermibus solum latum parere quid simile semini cucurbitæ. Hipp. autem, seu potius Polybus Lib. 4. de Morbis videtur oppositam tueri sententiam, scilicet, quod latus vermis nil pariat, licet qui eo laborant, quædam similia cucumeris semini, cum stercore emittant, ita vt manifeste sibi contradicant; cum Arist. dicat, hunc latum vermem parere; Hipp. autem id neget; in hoc tamen consentientes, quod habentes latum vermem emittanr quædam similia semini cucurbitæ, licet nullo eorum affirmante, hæc similia semini cucurbitæ esse vermes; quæ tamen sensui vermes vere esse apparent; cum excreti

creti moueantur, & inde vitam habere cognoscantur. Pro qua difficultate sciendum est, quod isti vermes, qui cucurbitini dicti sunt ab Auicenna, & qui manifestè vitam habere ex motu videntur, nusquam, nec in vllo apparent ægrotante, nisi his, qui latos habent vermes; & ideo dicebat Aristot. *Latum autem illud solum intestino adhærens, parit simile quid cucumeris semini* quo indicio Medici genus id lumbrici admittunt. Si autem hoc est indicium lati vermis, ergo in his solum, qui lato verme laborant, reperiuntur. Sed quare reperiuntur, & apparent in his talia vermium genera? Apparent, quoniam cum latus vermis excrescit vsque ad intestina inferiora, sæpius in excretione alui abrumpitur à duriori stercore pars eius vermis inferior, quæ excreta, & separata, cum sit ex insectorum genere, adhuc vitam seruat, & inde mouetur. Et quoniam hic vermis generatur non confertim vnica generatione, nec vnica formatione; sed genitus augetur per accretionem nouæ materiæ, prout accrescunt lapides in vesica; ideo efformatur in longitudinem, per accretionem materiæ, quæ annulos æmulatur, qui cum inter se vix adhæreant, vbi separantur, videntur repræsentare imaginem seminis cucumeris; atque adeo nil aliud sunt isti ab Auicenna dicti vermes cucurbitini, nisi partes vermis lati, quæ divulsæ ab inuicem repræsentant semina cucumeris, & tamen viuunt; quoniam insectorum partes, quæ diutius separatæ vitam conseruare possunt, existunt. Ex quibus clarè apparet, non dari quartum vermium genus, hosque cucurbitinos non esse vermes ex se; sed tantum vermium latorum partes separatas; quas Arist. partes lati vermis vocauit, pariendi voce abusiuè vsus, non autem propriè; cum statim antea negauerit vllum vermium genus quidquam procreare. Hipp. autem cum partum propria significatione, videlicet, cum animal sibi simile edit, vsurpasset, negauit latum vermem parere; & quia latus vermis alium sibi similem procreare potest, quod pluribus rationibus demonstrare nititur; quarum prima hæc est, quod cum plurimi excernantur ex his cucurbitinis, non sunt dicendi partus lati vermis; quoniam vnus vermis non posset tot gignere; non enim vnum animal potest ita numerosos partus edere. Secundo hoc probatur; quia cum fœtus in concipiente debeat habere locum, & nutrimentum, non adest locus adeo capax in intestinis, in quibus delitescat hic vermis latus, vt in ipsis tot fœtus gigni, & educari queant. Tertio hoc probat ex eo, quod si vi medicamenti alicuius vermis hic exeat, vnus, & rotundus, ut pila prodit, & inde homo sanescit; quod indicat vnicum tantum esse hunc vermem. Si vero Medicina finem suum non consequatur, restringitur portio huius vermis, & ad aliquam insignem quantitatem, qua excreta æger multos dies non egerit quid amplius, quod similia hæc cucumeri semina repræsentet; quod tamen postea eo iterum accrescente, facit; quod clarè indicat, hæc non esse partum illius vermis; sed partes, quæ diuulsæ æmulantur semina cucurbitæ, uitam adhuc retinentes, cum sint ex insectorum genere. Quare concludendum, tria esse genera uermium, quartum autem ab Auicenna propositum, esse lati uermis partem aliquam.

Monet, *Ascarides generari ex humiditate, quam separauit, & ad molem paruam redegit, attractio ipsa iecoris continua*; ad quam generationem docet etiam concurrere

curere *putrefactionem, & multitudinem conturbationis facis*. Quæ causæ licet faciant ad generationem ascaridum, tamen hæ non sufficiunt, nisi cum his etiam adsit loci, in quo gignuntur, præparatio, & dispositio; quæ in hoc consistit, quod intestinum rectum sit flaccidioris substantiæ; ad putredinem paratum, quales fiunt carnes suillæ parum salitæ, quæ si diutius seruentur, factæ laxiores, & molliores, ac proinde aliquam putredinem concipientes, ad vermium generationem disponuntur. Quam causam optime animaduertit Aetius, ex Herod. cum ait. *Coacta enim ab adstringentibus caro, corroboratur, aptitudinemque ad animalculorum generationem amittit, atque Ascaridas ipsos excludit*. Hanc itaque causam animaduertant Medici; quoniam hæc facit tantum ad curationem, vt nisi hæc tollatur, licet cætera alioquin rectissimè administrentur, omnia tamen incassum tentabuntur.

Cum inquit Auicenna, quod *latus vermis aliquando peruenit ad summum, vltra cubitum*, videtur leuem huius vermis habuisse experientiam; excrescunt enim hi, non ad cubitum tantum, sed etiam ad tantam magnitudinē, quantum exporriguntur omnia intestina; & quando abrumpuntur, vel vi medicamenti, vel ob aliam quālibet causam, aliquando exeunt ad duos, vel tres, vel plures cubitos, vt videantur hæbenulæ; vt habet Hipp. loc. cit.

Quod asserit de Ascaridibus, videlicet, quod licet sint *ex omnibus vermibus minus nociui, tamen si magnificentur, & accidat, quod retineantur aliquo spatio, fiant deteriores omnibus*; nec rationi, nec experientiæ respondet. Rationi quidem; quoniam, cum distent hi vermes magis, quàm quilibet alij à membris principalibus, nunquam possunt par illis periculum inuehere; & potissimum cum sint in loco excretioni propinquo, nec eius sint naturæ, vt altius ascendant. Experientiæ vero; quoniam hæc testatur, hos retentos, licet etiam magnitudine augeantur, quod rarissimè contingit, nullum aliud molestius inferre symptoma, quàm maiorem circa eam partem pruritum, & titillationem; ita vt molestissima inde, ac quasi intolerabilis affectio, non autem periculosa emergat. Argumentum autem desumptum ab Auicenna, ad demonstrandum, ascaridas ea ratione omnibus vermibus deteriores euadere; quoniam inquit *ipsi fiunt ex deteriori materia*, nullum est; tum quoniam falsum est hos fieri ex deteriori materia, cum fiant potius à materia stercoraria, quæ maiori parte iam euicta est à natura; tum etiam, quia materia longorum est deterior, tum ratione loci, quia peccat in loco calidiori, & humidiori, tum etiam ratione sui ipsius; cum à natura minus sit deuicta, & maiorem, vel cruditatem, vel corruptionem, quàm ex qua fiunt ascarides, obtineat. Quòd autem materia latorum sit maioris putrefactionis, quàm cæteræ omnes, nec hoc veritati consentire videtur; quoniam si putredo esset maior huius materiæ, cum hæc sit tantæ molis, vt quandoque occupet omnia intestina, non posset non adesse febris semper cum lato verme, cuius oppositum testatur experientia; magnam enim putredinem in multa materia, & quæ multa occupet loca, non potest non subsequi febris.

Proponens Auicenna, vermes aliquando bulimum inducere non potest intelligere de bulimo in propria significatione sumpto; quoniam ad illum requiritur membrorum appetentia naturalis, vna cum ventriculi intempe-

rie

rie frigida, ex qua indispositione inducitur animi defectus; quoniam in affectu vermium non adest illa intemperies positiua. Quare per bulimum, abûsiuè intelligit ingentem appetentiæ deiectionem.

Ea conditio, quod *vermes moueantur in sero*, vera est tantum de Ascaridibus, ad mentem Hippocratis Lib. 6. Epid. Sect. 1. Tex. 15. & Lib. 2. Epid. Sect. 1. in 1. dicentis *Ascarides exacerbari ad vesperas*. Quod, & affirmabat Galenus, & testatur experientia; qui enim ascarides patiuntur, parum molestantur cæteris temporibus, præterquam ad vesperas, & ad noctis principium; tunc enim validissimè insurgunt, & patientes molestissimè infestant; de alijs autem vermibus hæc sententia nequaquam constat; cum, & lati, & longi omni hora, & omni diei, & noctis parte indiscriminatim affligant; quod præter experientiam, abundè testatur Hippoc. de Ascaridibus, citata sententia; cum enim hoc distinctè, & propriè, ac determinatè affirmauerit de Ascaridibus, non autem de alijs, certissimum est argumentum, cæteros vermes, præter ascarides, determinatè non moueri, nec exacerbari ad vesperas.

Cap. III. Ad mentem Aetij, ex Herodoto Lib. 9. Cap. 39. inter signa vermium, proponit *tussim siccam*. Sed alias notaui, hanc sententiam merito improbari à Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 2. Com. 17. & 24.

Dicebat Gal. Lib. de Theriaca ad Pisonem, *quandoque lumbricis intestina occupantibus, stomachum insatiabiliter cibum appetere.* Præterea, *latum vermem omnem cibum assumptum depascentem, esse causam, vt inde totum corpus emacietur.* Quam sententiam cum viderit Auic. hæc habet. *Cum latis autem, & rotundis appetitus secundum plurimum multiplicatur, idest,* qui habent latum vermem, vel lumbricos teretes, plurimum intensam habent appetentiam; cuius duæ ab eo assignantur causæ. Prima est; quoniam hi vermes plurimum recedunt, & plurimum absunt à stomacho, quare cum ab eis stomachus, ob longinquitatem non lædatur, inde etiam multum potest appetere; secunda est quod hi vermes rapiunt cibum, & inde sunt causa intensæ famis, seu assiduæ, vt ait Aetius. Sed si hi vermes longius distant à ventriculo, quomodo possunt absumere cibum, & inde famem eam excitare. Quare non deberent distare longius à stomacho. Nec hoc asserit Galenus, quamuis dixerit, lumbricis intestina occupantibus, stomachum insatiabiliter cibum appetere; licet enim lumbrici debeant esse in intestinis; non tamen, si remotiores, & plurimum distent à ventriculo, possunt famem excitare; sed debent esse in superioribus, vt vicinitate sua chylum descendentem absumentes, & inde corporis nutritionem impedientes, sint causa illius insatiabilis appetentiæ ab ijsdem inductæ, ex continua scil. totius corporis, non instaurati attractione; hinc enim fames illa insatiabilis pendet. Quo autem ad vermem latum, hoc sciendum est, quod non semper cum eo est fames illa assidua; sed solum cum ad tantam magnitudinem excreuerit, vt ventriculum attingat; tunc enim totum depascens cibum assumptum, est causa illius famis, & ratione cõsumptionis cibi corpus emaciatur; quod non accidit nisi cum hoc animal ventriculum attingit; quod dicebat Hipp. Lib. Cit. his verbis. *Qui hanc bestiolam habet, semper validus est, quod tunc temporis est, cum nondum ventriculum*

lum contigerit. Subiungit autem. *Cum vero debilitatur, vix sustinet, reficiturue; tinea enim earum rerum, quæ ventriculum intrant partem aliquam sumit, quod tunc contingit, quando ad ventriculum vsque pertigerit*. Qua propter ad inducendam hanc famem, requiritur hæc propinquitas in lato verme, prout illa in lumbricis rotundis, quod sint in superioribus intestinis; non autem ad hoc conducit horum vermium longinquitas, vt docet Auic.

Quod addit Auicen. de signis ascaridum, videlicet, quod *sint inseparabilis commotionis*, veritati non consentit; summo enim mane, & vsque ad meridiē rarò patientes ab his infestantur, licet postea ad vesperas, & ad noctem valde exacerbentur, nec vllum habeant dierum interuallum. Cum autem subiungit. *Et quandoque adeo fit fortis, donec accidat syncope*, dissentit ab omnibus scriptoribus; nullus enim docuit, ab Ascaridibus vllum induci symptoma metuendum; at hic docet ipse, quod vsque ad syncopen deducit. Sed hæc est imaginatio pura Auicennæ; quoniam nec ratione symptomatis, cum hoc nil aliud sit, quàm pruritus, & commotio in ano; nec ratione loci, cum non habeat consensum cum corde; nec ratione affectus, cum vermes hi sint pusilli, nec praui habitus, possunt inducere syncopen. Experientia autem mihi, qui viderim ęgrotantes, qui cum per decem, & duodecim annos ab hoc affectu infestati me consuluerunt, testata est, nihil aliud præter eam molestiam, quæ ex pruritu, & commotione illa in ano persentitur, diuexare, aut affligere hos ægrotantes.

Cap. IV. Monet Auicenna, *Medicinas interficientes ascarides esse fortiores his quæ interficiunt longos, & illas, quæ interficiunt ascarides, & rotundos, etiam interficere latos vermes*. At hic considerandum est, an loquatur de Medicinis per os assumptis; aut infusis, & suppositorijs; nam, quoad ascarides, nullam habemus indicationem curandi eos assumptis per os, nisi quatenus materiam, & fomitem eorundem remouemus. Cuius ratione, nullus Græcorum docuit curare ascarides per assumpta ore; quo stante, nulla est comparatio, nec similitudo inter interficientia ascarides, & longos vermes, quoad assumpta per os. Vnde ratio illa Auicennæ, quod ascarides sint remotiores ab eis, quæ bibuntur, licet vera sit; non tamen facit ad rem. Quò autem ad eam sententiam, quod quæ interficiunt ascarides, & lumbricos teretes, interficiunt etiam latos, est omnino reijcienda; nam longè validiora, & vehementiora requiruntur medicamenta ad latos, quàm ad cæteros omnes vermes. Et mirum quidem est, quomodo hoc dixerit Auicenna, qui vel hæc non est expertus, vel non curauit vllum, vermem latum habentem; immo hic vermis latus adeo valide reluctatur validioribus medicamentis, vt sępissimè nulli etiam, quamuis vehementissimo cedat; & ideò diutissimè perduret, & quidem ad plures annos. Nam licet non cedat, non perimit tamen patientes hic vermis ex se; cum enim pereunt, non accidit ob vermem; sed quoniam emaciatum, & absumptum corpus diutius cæteris morbificis causis resistere nequit. Ideo dicebat Hippocrates loc. cit. *Tinea quidem sponte non exit, nec perimit, sed consenescit*. Quare non est quod dicat Auicenna, medicamenta interficientia ascarides, & lumbricos teretes posse etiam interficere latum vermem.

Cap. V. Quod *oleum, & propriè omphacinum interficiat vermes, & specificè latos, & quod extrahat ipsum propter suam lubricitatem,* sunt meræ nugæ,quoad latum vermem; imbecillimum enim est medicamentum, & nulli vsui in hoc casu, licet optimum sit quoad teretes;cum oleum insectis sit inimicum,& noxium.

Cap. VI. Mirum, quomodo inter medicinas frigidas, recenseat *semen coriandri;* cum intelligat siccum, & *semen apij, & folia persici,* & reliqua quæ addit, nisi eas vocet frigidas, quatenus exhibentur cum *syr. acetoso, vel lacte acetoso;* quæ apta sunt dictorum qualitatem calidam remittere.

Quod *Melon interficiat vermes, & solutione educat eos,* solus docuit Auicen. qui tamen mihi suspectus est, quoad vim necandi eos, licet possit valere ad eductionem, propter validam abstersionem, quam possidet; cuius ratione dicebat Gal. Lib. 2. de Alim. Cap. proprio *eos sordidam cutem abstergere, & lentes, & alphos in cute detergere, & aduersus renes calculo laborantes conuenire;* nam hac vi abstergente possent lumbricos ab intestinis auellere, eosque separatos extra corpus detrudere; sed qua vi possint eos necare non est facile indagare.

Cap. VII. Nisi adhibeantur remedia, quæ satisfaciant ei indicationi, de qua scripsi in annotationibus Cap. 21. & quæ possint substantiam recti intestini corroborare, vt inde eius aptitudo ad generanda hæc animalia tollatur, curatio in cassum tentabitur; quoniam medicamenta ab Auicenna, & alijs Auctoribus proposita facient tantum ad enecandos, & educendos vermes iam genitos; non autem ad prohibendam eorum generationem; quæ sola prohibetur per adstrictionem, & per corroborationem eiusdem partis. Ad quod faciunt medicamenta valde siccantia, & adstringentia, & præcipuè si amara.

Cap. VIII. In clysterum vsu oportet habere delectum. Nam non omnia omni tempore conueniunt: cum enim vermes sunt viui, & validi, acria, & amara infusa sunt aliquando causa maioris noxæ; nam ista animalia, ex acrimonia, & amarore medicamentorum, solent refugere ad partes superiores, & inde maiora symptomata excitare. Tunc autem hi clysteres conueniunt, cum vermes vel mortui, aut semimortui, ac torpidi existunt; tunc enim facient ad eductionem eorum, & ad intestinorum abstersionem. Quare non indiscriminatim, prout ab eo proponuntur, veniant in vsum clysteres propositi ab Auic.

Cap. IX. Quod dictum est de clysteribus, idem dicatur de Emplastris; nam validiora, si adsit febris, & vermes sint copiosi, & validi, solent efferare lumbricos, qui huc illuc repentes magis stimulant ægrotantes. Quare ab his emplastris abstinendum esse censeo in dictis casibus, nisi temperentur quibusdam frigidioribus, & astringentibus, quale est acetum, & composita ex aceto, & succi, vel citriorum, vel limonum, vel aurantiorum, vel huiusce ordinis.

Cap. X. Monet *non imperandam esse inediam his, qui à lumbricis infestantur.* Et iurè quidem; cum vermes cibum non habentes exugant partes ipsas solidas, & inde verenda inferant symptomata; prout autem inedia est mala, ita & repletio non est bona; quia hinc postea succedunt cruditates, à quibus fo-

foventur, & vegetantur vermes; quod vitium solet etiam commune esse mulieribus, & nonnullis Medicis, qui vt inediam vitent, ad oppositum, idest ad repletionem declinant.

Cap. XI. Curatio hæc sicuti est breuis, ita etiam est imperfecta; quo enim ad locum affectum, omittit localia remedia, quæ sicuti necessaria sunt, ita etiam ab Auctore non erant prætermittenda.

Fen Decima Septima Tractatus I. Cap. Prim.

Cap. I. Causas difficultatis in curatione affectionum sedis, exscribens à Galen. Lib. 9. de Comp. Med. secundum loca, cum deuenit ad causam ex vehementi sensu, hæc habet. *Et quoniam est vehementis sensus, multiplicatur dolor eius, & multitudo doloris attrahit.* At Galenus paulò aliter hanc sententiam expressit, dicens. *Quia, & humiditas, & caliditas ipsius loci siccantibus, simulq; frigefacientibus opus habens non parum confert ad hoc, vt ægre curabilis ani affectio existat; si quidem mordent astringentia; verum locus subtili sensu præditus acrimoniam ferre non potest.* Hæc Galenus. Ex quibus patet, sensum exquisitum facere ad difficultatem curationis ex se, non dolorem; quia dolor fit à medicamentis non proportionatis huic loco; non autem à locis affectis.

Cap. II. Differentiam illam hæmorrhoidum, in *morales, verrucales, & vueas,* credo esse desumptam à figura. At sciendum est, in sede Thymos, Ficus, Clauos, Verrucas, tum formicarias, tum Acrochordonas, quarum affectionum nulla est, nec appellari potest hæmorrhois; ad quarum similitudinem forsan Auicen. hanc hæmorrhoidum, præter Græcorum opinionem apposuit. At Græci, sicuti hæ affectiones ab hæmorrhoidibus, nomine; & re distinguuntur; ita etiam de his sub diuersis capitibus tractauerunt; vt haberi potest ex Aetio Lib. 14. Cap. 4. & 5.

Ea sententia hæc habentur. *Et non oportet quod in hæmorrhoidibus apertis currentibus, sanguinis fluxus retineatur, donec perueniat ad debilitatem, & mollificationem genuum, & comprehensionem syncopes, & videatur sanguis non niger,* est sententia discriminis plena; quoniam licet vbi ea accidentia superueniunt, enixè tentandum est sistere sanguinem; non tamen prudens Medicus hæc expectare, sed præuertere debet; cum ex dictis accidentibus, calor innatus ad extinctionem, & inde patiens ad hydropem deducatur.

Inter signa habentium hæmorrhoidas, ponit *colorem citrinum tendentem ad viriditatem.* At sciendum est, hoc signum non esse simpliciter habentium hæmorrhoidas; plurimi enim ex ijs laborãtes more cõsueto fluentibus optimi sunt coloris, vt experientia quotidiana testatur; sed eorum tantum, qui superfluum hæmorrhoidarum fluxum patiuntur; hinc enim vitiato hepatis temperamento, corrumpitur simul vniuersi corporis color.

Cap. III. Pro curatione hæmorrhoidum, monet *secandas esse inferiores venas.* At distinguendum fuit, an hæmorrhoidum fluxio esset cohibenda, an conseruanda; nam si sit cohibenda, superiores venæ, non inferiores secandæ sunt; si autem sit fouenda, potius inferiores, vt docebat Gal. Lib. de Curatione

tione per sanguinis missionem, Cap. 19. quo loco hæc habet. *Cæterum si retentæ hæmorrhoides retenti sanguinis occasio sint, siquidem cohibere eas voles, quæ in brachio; sin prouocare, quæ in cruribus sunt venas, secare conuenit.*

Quando cursus facit accidere syncopen, sumatur, inquit Auic. *sauich hordei, cum spodio, & luto armeno.* At pro perfecta huius symptomatis curatione, recurrendum est ad Gal. Lib. 1. ad Glauc. Cap. de Cura Febr. cum accidentibus.

Inter medicinas hæmorrhoidibus conuenientes, non recenset aperientia, de quibus satis abundè agunt Græci, & quorum etiam inferius meminit ipse Auicenna.

Cap. IV. In expositione Aph. 12. Lib. 6. in quo hæc habet. *A diuturnis sanato hæmorrhoidibus, si vna non seruetur, periculum est aquam inter cutem, vel tabem aduenire*, Aetius dissentit à Gal. quoniam vult, illa verba, *si vna non seruetur*, intelligenda esse, si non seruetur, idest, si non conuenienti diæta non præseruetur; & per sanationem, monet intelligendam esse perfectam hæmorrhoidum curationem, ita vt hæc mens sit Hippoc. quod qui perfectè ab hæmorrhoidibus (omnibus his ablatis) sanantur, periculum est, ne in hydropem, aut tabem incidant, nisi conuenienti diæta præseruentur. Quo stante, reprehendit Galenum, licet eum non nominet, qui legerit Aph. hoc sensu, quod in *hæmorrhoidibus antiquis, & consuetis sanandis, nisi vna hæmorrhois conseruetur immunis à curatione, vt per eam sanguis melancholicus educi queat, periculum est ne hydrops, aut tabes superueniat.* Quam Galeni sententiam, omissa expositione, & sensu Aetij, suscepit Auic. iure quidem meritò. Nam Galenus Text. Aph. tuetur; Aetius verò eum corrumpit. Præterea, rationi magis consentit Galeni sententia, quam Aetij, vt apparet ex Gal. Com. super citatum Aph. Sed præter hæc, quod Galenus, ad mentem Hipp. Aph. exposuerit, haberi potest ex Lib. 4. Reg. Acut. Tex. 123. vbi proposita hæmorrhoidum cura, hæc habet. *Deinde comprimens, & contabefaciente veteris medicamento, neque priusquam deciderit, perfundes, vnamque perpetuo relinques, & postea purgabis Elleboro.* Hoc idem, licet non ita expresse haberi potest ex Lib. 6. Epid. Sect. 3. Tex. 38. vbi locutus de sanatis hæmorrhoidibus, hæc habet. *Medela quidem multis importunè adhibita, talibus non tardè capti sunt, & perniciosè sic.* Ex quibus liquet, si vna non seruetur, non tantum quæ dicta sunt in Aph. sed etiam plurima alia mala, de quibus Lib. cit. Epid. Tex. 37. superuenire possunt. Quare sententia Gal. hoc loco ab Auic. suscepta præferatur sententiæ Aetij.

Si hæmorrhoides sint per *incisionem, vel per ligationem auferendæ, phlebotomiam basilicæ premittendam esse* monet. Et hoc quidem iure; quoniam sectio inferiorum venarum, cum moueat sanguinem ad partes infernas, à quibus in præsenti casu reuellendum est, esset noxia; sectio autem superiorum retrahit materiam ab inferioribus, & ideo, ratione reuulsionis conueniens erit.

Cap. V. Ad aperiendas hæmorrhoides, proponit *phlebotomiam saphenæ*. At licet laudetur à Gal. sectio venarum inferiorum, cum hæmorrhoides sunt prouocandæ; non tamen ad eas prouocandas probatur; nam Gal. ibi docens, quæ vena, ineunte Vere, ad præseruationem, & plenitudinem tollen-

dam sit secanda, descendensque ad casum hæmorrhoidum, dicebat, ad hanc præseruationem, si patiens sit assuetus harum euacuationi, secandas esse superiores venas, si hæmorrhoides essent cohibendæ; inferiores autem, si prouocandæ. Non equidem quod per eam sectionem intendat, vel prouocare hæmorrhoides, vel cohibere; sed vt per eam sanguinis molem imminuens, & hominem à morbo præseruans, si fuerit scopus prouocandi hæmorrhoides, per superiorem venarum sectionem, non auertat sanguinem à partibus inferioribus; si autem sit intentio eas cohibendi, per sectionem venarum inferiorum non moueat sanguinem ad partes infernas. Ex quibus liquet, Gal. mentem non fuisse, vt per sectionem venarum inferiorum aperiantur hæmorrhoides, quod sicuti non docuit Galenus; nec etiam testatur experientia; immo sectio venarum inferiorum diuertit ab hæmorrhoidibus, vt patet in earum inflammatione; vbi enim phlgmonem patiuntur, sectio harum venarum, si plenitudo non sit magna, reuellens ab hæmorrhoidibus, maximum præstat iuuamentum.

Cap. VI. Ante *puluerizationes, & suffumigationes destruentes hæmorrhoidas*, vtitur *sarcocolla in aqua dissoluta*. Sed quæ proportio est sarcocollæ cum remedijs deinceps ab eo propositis? nam illa sunt, vel caustica, vel extreme siccantia; sarcocolla autem leuiter exiccat, & constat ex substantia emplastica, & meatus obstruente.

Cap. VII. Sententia illa, quod ad *abolendas hæmorrhoides conuenit linimentum factum cum myrrha; quoniam ipsa corrodit hæmorrhoides, & destruit eas omnino* est satis dubia; cum myrrha nihil facultatis corrosiuæ habeat, & calefaciat, exiccetque tantum in secundo gradu; nisi forsan, per *corrosionem*, intelligat Auicenna quancunque exsiccationem.

Cap. VIII. Agens de medicamentis sedantibus hæmorrhoidum dolorem, deuenit *ad contemperantia, vel ad opiata*. Sed satius fuit causas doloris explicare, vt pro diuersitate causarum diuersa applicentur medicamenta, & diuersa adhibeatur curatio; quæ non tantum ratione localium, sed etiam ratione vniuersalium medicamentorum, diuersa est: nam cum hęmorrhoidum dolor fiat, vel ratione flatus, vel ratione plenitudinis, vel ratione acrium humorum, vel ratione inflammationis, non vnica conuenit curandi ratio. Quare fuit distinguendum, tum de causis, tum etiam de modo curationis diuerso; pro quo relegandus est Medicus ad Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 7. & 8. quo loco dolorum perfecta, & absoluta traditur à Galeno curatio.

Cap. IX. Sicuti docuit Auicenna, localia remedia apta ad sistendum hęmorrhoidum fluxum; ita etiam præscribere debuit ea vniuersalia, quæ localium administrationi erant præmittenda, sicuti sanguinis missio, frictiones, ligaturæ, & similia, quæ possunt auertere materiam à loco affecto.

Cap. 10. Cur *porra, & cepæ*, quæ sunt praui succi, & acrioris substantiæ possint tutò assumi à patientibus hæmorrhoidas, fuit declarandum ab Auicenna.

Cap. XI. Laudat in curatione horum apostematum, *phlebotomiam*. At non explicat locum, qui determinandus erat; sed de hoc alias scripsi.

Differentias rhagadum à loco, quas explicauit Aetius Lib. 14. Cap. 3. omisit,

omisit, pariterque, ex causis, eam quæ frequentius accidit, prætermisit; nam rhagades cum sæpius fiant ex humore acri affluente, quàm ex quacunque alia causa; ita etiam hæc inter cæteras erat recensenda.

Cap. XIII. Quoniam rhagades quandoq; indurantur, & callosæ fiunt, cuius ratione, contumaces admodum euadunt; ideo ab Auicenna harum rhagadũ curatio erat explicanda, quam ab Aetio exscribere, & docere poterat.

Cap. XIV. Sicuti admisit, inter cibos habentium hæmorrhoidas, *porra, & cepas*, pariter admittuntur in curatione rhagadum; sed forsan Auicenna multum his delectabatur, ac proinde ea potius ad oblectamentum patientum, quàm ad eorum iuvamentum proposuit.

Cap. XV. Inquit. *Resoluto sphinctere, vbi eius fiat tensio ad exteriora, propter exitum fæcum, multoties succedere colicam, propter illam tensionem, quæ ex duritie cognoscitur*. Sed quæ communio est sphincteris cum intestinis superioribus? nulla sanè. Quare, non videtur rationi consentaneum, quod propter eius paralysim, licet tensio ad exteriora succedat, subsequi debeat colica.

Cap. XVI. *Clyster ex euphorbio* penes me ita est suspectus, prout forent omnia adurentia; cum sit causticæ facultatis, & tenuium partium. Quare, vel parcissimè, & valde temperatum admittatur, vel nullo pacto in vsum veniat, hac potissimum ratione, cum plurima prostet sylua medicamentorum calefacientium, non adurentium, quæ ad hanc curationem tutò assumi possunt.

Cap. XVII. *Ani procidentia* non est idem affectus, ac ani *mollificatio*. Nam in ani mollificatione, seu paralysi, musculus sphincter non mutat locum; sed tantum laxatis fibris, permittit fæces inuoluntariè excerni; in ani autem procidentia hic musculus mutat locũ; nam cum nititur patiẽs fæces excernere, in ea contentione euertitur sedes; vnde hic musculus à partibus internis ad externa, egressus, apparet euersus. Tũc autẽ si hic musculus, excretis fæcibus intus non retrocedit, hic affectus ani, seu egressus, seu procidentia vocatur. Verum sciendum est, quod hæc procidentia non est affectus proprius ipsius musculi sphincteris, constringentis anum; sed illorum duorum musculorum, qui supra dictum rotundum musculum siti sunt, & quorum vsus est retrahere sedem ad superiora, si exterius vergat; hi enim si aut resoluti, aut imbecilles fuerint, vel retrahere sedem nequaquam possunt, vel vix reducunt, ita vt manuum subsidio sæpè sit opus; vt expresſè docet Galenus Lib. 5. de Vsu Partium Cap. 14. Horum igitur musculorum affectus est ani procidentia; licet musculus rotundus, & constringens euertatur, & extra proprium locum exporrectus maneat. Affectus autem erit, vel resolutio, vel imbecillitas ex aliqua intemperie, seu pura, seu cum materia, vt plurimum autem frigida, sed sæpius humida, cuius ratione Græci, ad huius affectus curationem, omnia ferè exiccantia proponunt. Attamen hæc affectio, si curanda veniat, debet id fieri, tum cognita causa, tum etiam ab ea sumptis indicationibus curatiuis; non autem simplici via, & modo ab Auicen. & reliquis propositis; pro diuersitate enim causarum, diuersa etiam curandi ratio requiritur; Atq; hæc intelligenda de procidentia ani simplici. Vbi enim ex apostemate sedes tumens retrahi non potest, tunc illi duo musculi, rotundo imminentes non sunt affecti; sed sphincter tumens, & apostema patiens,

cuius tumoris, & apostematis ratione, sursum retrahi non potest, cui tunc temporis curatio debetur.

Cap. XIX. Fistularum curationem satis imperfectã docuit; de qua nil aliud, nec ego dicam, cum hoc ad opus chirurgicum pertineat.

Cap. XX. Quod *pruritus in ano fiat, tum propter ascarides; tum propter humores salsos*, satis patet. Sed quod hic fiat ratione vlceris saniosi, non ita est rationi consentaneum; cum hinc potius dolor, quàm pruritus fiat, nisi ab humore salso excitata fuerit, non dixerim vlcus, sed excoriatio.

Cap. XXI. Si pruritus pendeat ab humore nitroso, & salso, considerandum, an aliunde transmittatur, an generetur in loco affecto; si aliunde transmittitur, membris mittentibus prospiciendum est; si autem in loco affecto generetur, huius habenda est ratio; sed quomodo? præcedentibus vniuersalibus, deueniendum est ad alterantia membrum, hanc generans materiam. Hoc dixisse volui, vt moneam Iuniores, sola purgatione, & loci affecti expurgatione non debere esse contentos; nam hi pruritus solent esse diuturni, & per annos perdurare, nec si pluries euacuentur, minimè sanantur, nisi fomes morbi, idest intemperies membri eam materiam generantis corrigatur.

Cap. XXII. Quoad curationem vlcerum ani, relegat Medicum ad Fen. 16. Tract. 2. Cap. 7. Sed longè differunt, curatio vlcerum intestinorum, & vlcerum ani. Quare remitto lectorem ad Gal. Lib. 9. de Comp. Med. secundum loca, sub finem.

Fen Decima Octaua Tract. I. Cap. Primum.

Cap. I. Rationem explicans Auicenna, cur Ren dexter situm habeat elatiorem, quàm sinister, inquit, *hoc factum fuisse, vt propinquior esset hepati, & vt magis trahat ab ipso hepate.* At manifeste apparet, tum ex situ, tum ex propria etiam renum functione, renes attrahere à vena caua, non autem ab hepate. Quare, pro cognitione huius elatioris situs renis dextri, recurrendum est ad Gal. Lib. 5. de Vsu Partium Cap. 6. vbi tres huius assignat causas. Prima est, quod si renes è directo positionem haberent, his ad oppositas partes trahentibus, alter alterius actioni impedimento esset. Secundò, quod cum viscus, quod principaliter purgandum erat à seroso humore, in dextris locatum sit, & plurima ex gibbis iecoris germina in partem ipsius venæ cauæ dexteram immittat; hinc propinquius, & è directo situm est, vt facilior fiat attractio. Tertia est, quoniam cum ex præscripto naturæ, & ob multos vsus, iecur non è directo lienis, sed illud elatiori in loco, hoc in decliuiori locatum sit, iure renes eodem ordine disponi debuerunt, scilicet, vt ren dexter altior sit; quoniam hic locus erat vacuus, sinister depressius, quoniam à liene occupabatur, situs esset.

In duobus casibus animaduertit Auicenna *Renes excernere aquositatem sanguinolentam.* Primus est, *vbi sint debiles, ex quo fit, vt attracta serositas non purificetur, & inde remaneat sanguinolenta.* Secundus est, *quando hepar debile existens non separat aquositatem à sanguineitate, quæ deueniens ad renes, ob eius copiam, ab*

ijs vinci nequit, & inde lotium sanguinolentum remanet. Quæ Auicennæ sententia sicuti est vera; ita etiã debuit distingui per propria signa, ne ex ignoratione loci affecti remedia alij loco non affecto à Medico non diligenti applicentur. Distinctio autem in hoc sita est, quod præter signa præcedentia, quæ indicare queunt, vel renes, & non hepar, vel hepar, & non renes affectos esse, considerandum est lotium ipsum; nam si tale excernatur, vitio debilitatis renum, subsidentia facta residet, quod sanguinem æmulatur; ante autem subsidentiam, si charta hoc lotio madefiat, tingitur quoquo pacto à lotio. Si autem hoc fiat vitio hepatis, nec fit illa subsidentia, nec ita tingitur, si quid imponatur in eo, sicut fit quando facta est excretio renum vitio.

Et renibus, inquit Auicenna *aduenit neruus paruus, ex quo creantur panniculi eorum.* At hic sermo est amphibologicus; duplicem enim potest habere sensum, scilicet, vel quod ad renes perueniat neruus, panniculos eorum efformans, non autem intra renes; vel quod intra renes prius perueniat neruus, & quod postea ex eo formetur panniculus. Sed res ita explicanda est, quod renes in parte carnosa neruum ad deferendum sensum recipiant, sed perexiguum. In partibus autem cæteris, videlicet, & in membrana externa, & in ventre interno, & vasis adiacentibus magis manifestum, & magis insignem, quorum ratione fit, vt renes quoad partem carnosam, si ea sit affecta, tantum grauantem dolorem; quo autem ad cæteras partes, si laborent, acutum percipiant. Quorum dictorum sit testis Galenus, qui Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 6. dicebat. *Eodem quoque tempore, si obstructio aliqua in ipsis fiat, aut mediocris phlegmone, grauitatis magis, quàm doloris sensus efficitur, quemadmodum & in iecore, propterea quod, vt renes, ita, & iecur perexiguis neruis præditum est.* Lib. autem 6. Aph. Com. 5. dicebat. *Veluti si renum pars carnosa patiatur inflammationem, dolor est grauis, quemadmodum & ipse inquit in Epidemijs;* ita illum nominans, *qui veluti cuiusdam ponderis, loco incumbentis inuehit sensum; alijs vero partibus, quæ sunt in rene patientibus, dolor sentitur acutus. Dico autem alias partes, tunicam scil. hunc obtegentem, & ventrem eius interiorem, & eas, quæ ad hunc terminantur, arterias, & venas, ac præterea ortus vasorum vrinariorum.*

Cap. II. *Quando multiplicantur ægritudines in renibus, debilitatur hepar, ita vt perueniat res ad hydropem, siue renes sint calidi, siue frigidi,* inquit Auicenna. At sciẽdum est, licet omne membrum, cui hepar compatiatur, ita vt eius calor innatus extingui possit, possit esse consequenter hydropis causa; tamen hoc rarissimum est, quod fiat ratione renum; nec tantus est consensus hepatis cum renibus, vt possit facile hepar renibus patientibus laborare; immo sexcentos nouimus, qui, & intemperies calidiores, & frigidiores renum toto vitæ spatio passi sunt, prout & alia plurima mala circa eosdem, quorum tamen nullus hydropicus euasit. Quare affirmo, casum esse possibilem, & iuxta rationem; non tamen ita esse experientia comprobatum.

Cap. III. Ea sententia, quod *ægritudinibus renum associetur paucitas vrinæ,* satis præter rationem apparet; cum in diabete plurimæ vrinæ fit excretio; quę tamen nullius partis est magis proprius morbus, quàm ipsorum renum.

Cap. IV. Licet *vrinæ rubedo possit consequi renum caliditatem;* non tamen ex vri-

næ rubedine necessariò significatur renum caliditas; iam enim ex superioribus patet, posse rubicundum apparere lotium, ex renum imbecillitate; quæ tum ex frigida intemperie, tum ex calida prouenire potest. Præterea, notum est, hydropem sequi lotia rubicunda, quæ renum caliditatem minimè testari possunt.

Quod *pinguedo circa renes possit à renum caliditate colliquari*, satis patet; quod autē, *qua est in ambitu totius corporis, hinc colliquari*, & consumi queat, non ita admittendum; nam ad colliquandam pinguedinem, quæ est in toto corpore, requiritur vniuersalis causa, non particularis. Vnde apparet, in febribus colliquefacientibus, & morbis acutis, qui sunt cum febre, fieri tales colliquationes, quarum signum est illud lotij genus, de quo Hippocr. Lib. 2. Progn. 35. Quæ colliquationes pariter in prauis, & pestilentibus febribus quandoque succedunt; quarum meminit Hippoc. Lib. 3. Epid. Sect. 3. Tex. 61. 67. & 74. Vnde censeo, colliquationem pinguedinis totius corporis, non necessario consequi caliditatem renum; tum quoniam experientia constat, in pluribus corporibus pinguibus adesse calidam renum intemperiem; tum quoniam ad colliquandam totius corporis pinguedinem, requiritur vniuersalis causa, non particularis renum affectus; qui nisi vniuerso corpori communicetur, nec potest talem colliquationem inducere.

Cap. V. In curatione caliditatis renum, omittit Auicenna vniuersalia, quæ particularibus præmittenda sunt; & hoc quidem, vel supponens ea adhibenda esse; vel eadem negligens. Attamen, si recta curandi ratio explicanda erat, de his etiam fuit commonefaciendum; quoniam seu plena, seu impura sint corpora, non possunt sine his recta methodo, nec felici successu facilè ad naturalem statum reduci.

Cap. VI. Sicuti rubedo vrinæ, non caliditatis renum; ita nec eiusdem *discoloratio frigiditatis potest esse demonstratiuum signum*; cum ex cruditate materiæ hæc eadem sequi possit; immo, nec semper frigiditatem renum sequitur vrinæ discoloratio; nam sicuti iam dictum est, si sint imbecilli renes ex intemperie frigida, non tantum discoloratum non erit lotium, quinimo & rubicundum, & sanguinolentum.

Quod dictum est de consumptione pinguedinis, ex renum intemperie calida, videlicet, quod non possit fieri talis colliquatio ex sola renum caliditate, quæ tamen fieri potest per consensum, vbi talis caliditas vniuerso corpori communicetur, id pariter dicendum est de discoloratione totius corporis, ob renum intemperiem frigidam; nam si tantum renes frigidiores sint, non discolorantur patientes, vt experientia quotidiana constat; quæ tamen renum intemperies frigida si reliquis membris communicetur, potest totum corpus discolorare colorem floridum corrumpere, & eum ad pallorem, & albedinem immutare.

Eadem ratione procedit in curatione intemperiei renum frigidioris, qua in curatione intemperiei calidioris, videlicet omittens vniuersalia; quorum tamen vsum in administratione localium, & particularium medicamentorum, quæ ad alterationem membrorum vsurpamus, non possumus tutò prætermittere.

Cap.

Cap. VIII. *Tabis renum* meminit Auctor Lib. de Passionibus Lib. 2. & de hac in Commentario Lib. 1. de Morbis tractaui.

Cap. IX. Quoad signa extenuationis renum, proposita ab Auic. notandum est, quod hæc potius sunt signa imbecillitatis, quàm extenuationis. Quare credo, huius affectus nulla haberi certiora signa, quàm ex præcedentibus; veluti si præcessit nimia Venus, nimia equitatio, lotium, consumptionem indicans, quale est illud, cui pinguedo innatat, & similia. Quibus præcedentibus, si postea succedant signa ab Auic. proposita, poterimus renum extenuationem arguere. In qua renum extenuatione frequentia vrinæ succedit, non copiosæ, similis ei, quæ fit in Diabete; sed pauca quantitate, verum frequenter excreta; cum renes hinc facti imbecilles, vix quid continere queant. His etiam non à principio, sed in progressu succedit extenuatio corporis, communicata affectione reliquis membris; cuius ratione dicebat Auic. *Et quandoque erit cum illa extenuatio corporis*, non affirmans hoc immediate, & semper consequi renum extenuationem.

Cap. X. Mirum, quomodo Auicenna in curatione extenuationis renum, & præcipuè, vbi coniungatur extenuatio totius corporis, omiserit balneum, quod quantum celebretur à Galeno, & ab antiquioribus Medicis in his affectibus, omnibus patet. Omisit etiam picationes, quæ præcipuè valent ad hos morbos, & quarum vsus summa cum vtilitate administrari potest.

Quoad *diuretica admiscenda rebus impinguantibus renes*, notandum est, quod si diuretica vera sunt in hunc vsum assumenda, minima quantitate id fieri debeat; quoniam hæc propter intensam caliditatem, & siccitatem, apta sunt potius extenuationem fouere, quàm tollere; & ideò, tanquam vehiculum aliarum rerum ad renes, minima tamen mole assumuntur. At diuretica impropria, videlicet, quæ humiditate nitrosa apta sunt lotium prouocare, qualia sunt sem. melonum, & huius generis, mihi magis probantur; tum quoniam ex his nullum metuendum nocumentum; tum quoniam sunt vehiculum aliarum rerum ad renes.

Cap. XI. Illa verba. *Et est debilitas propria eis ambobus*, non referuntur ad renes; sed ad vasa emulgentia, ad renes pertingentia; dicebat enim, fieri quandoque *hanc debilitatem, propter dilatationem, & apertionem meatuum, aut laxationem; quam acquisiuit essentia eorum*. Quorum meatuum (qui sunt vasa emulgentia) inquit hæc debilitas propria est; & ideo subiungebat. *Et est illa causa, cuius deficiunt, in colanda aquositate ab eo, quod ei associatur vsque ad renes*, idest, & ista debilitas est ea, cuius ratione non colatur sola aquositas; sed simul etiam, propter amplitudinem meatuum, aliquid etiam ex sanguine à caua vena, cum eiusdem sero percolatur ad renes. At dices. Si igitur hic affectus est vasorum emulgentium, quomodo dicitur debilitas renum? Ad hoc sciendum est, quod horum vasorum est coniunctus vsus cum vsu renum; ideo hac ratione dictum esse, hanc debilitatem non tantum horum vasorum, sed etiam renum; quoniam renes sunt membra, quæ per hæc vasa attrahunt materiam serosam à vena caua; Quare, cum renum propria sit attractio; ideo hic affectus refertur ad renum debilitatem; prout in simili casu fecit Aetius Lib. 11. Cap. 2. Sed præter hanc causam, adest & altera iam dicta, videlicet,

delicet laxatio, quam acquisiuit renum substantia; atque hæc nihil aliud est, quàm relaxatio carnis eorum. Differt autem prima à secunda, quod in prima apertio meatuum est in vasis emulgentibus, cum perueniunt ad renes; in secunda autem, est apertio, & laxatio meatuum existentium in substantia, & in carne eorundem.

Cap. XII. Ea sententia. *Et accidit multoties vt subsideat sanguineitas, & supernatet res similis spumæ maris*, est exscripta ab Aetio dicente. *Adeo vt postquam ea, quæ mista sunt, constiterint, subsidentia quædam in vase reperiantur, & supernè quædam concreta marinum maximè pulmonem similitudine referentia*. Ex quibus constat, non legendum esse, *spumam maris; sed marinum pulmonem*.

Differentia illa assignata ab Auic. de excretione sanguinolenti lotij, vel cum debilitate, vel incolumitate venarum, est maxime aduertenda; quoniã, quæ est sine debilitate venarum, habet lotium, in quo reposito, separatur sanguineitas à materia serosa. Quæ autem est cum eorum imbecillitate, quoniam in venis non est perfecta coctio, cui separatio superuenire debet; ideo lotium excretum sanguineum remaner, cum hac dispositione, non separans sanguineitatem à serosa materia; quod ego superius notabam de differentia lotij rubicundi, & sanguinei excreti, vel ratione debilitatis renum; vel ratione debilitatis iecoris, cuius ratione, immineat, vel adsit hydrops.

Quod extenuatio corporis sequatur renum debilitatem, excernentium vrinam sanguinolentam, etiam testatur Aetius loc. cit. dicens. *Extenuantur autem, & emaciantur temporis progressu omnes, & magis adhuc hi, qui plus sanguinis mictu excernunt*. At paucitatis Vrinæ, & debilitatis visus, & doloris capitis solus meminit Auicenna. Cui tamen simpliciter non est in hoc assentiendum; nam quo ad paucitatem lotij, refragatur experientia, quæ testatur, in tali affectu copiosum sæpius esse lotium. Quo autem ad visus debilitatem, & capitis dolorem nihil habet commune cum hoc morbo. Si autem aliquando hæc consequantur, hoc fuerit præter alios superuenientes morbos.

Cap. XIII. Sicuti celebrat Auicenna, ad has renum ægritudines, *lac ouillum*; ita etiam ego non possum non huic assentiri, qui experientia hoc comprobante, huius felicem vsum sæpius adhibui.

Cap. XIV. Præter signa *ventositatis renum*, proposita ab Auic. addam ego certissimum, quod scil. dolor non circunscribitur loco renum tantum; sed etiã extenditur ad partes circunstantes, vsque adeò quandoque, vt non permittat patientes posse flectere spinam.

Cap. XV. Quoniam sæpius affligunt dolores à flatu, quia flatus subministrantur à copiosa materia, vel pituitosa, vel melancholica; ideo in huiusmodi casu nõ est contentus Medicus solis medicamentis flatum discutientibus, sed procedit ad materiæ peccantis euacuationem; qua excreta, facilis erit flatuum discussio.

Cap. XVI. Cum inquit Auicenna, quod *fit quandoque renum dolor ex eorum debilitate*, si per *debilitatem* intelligit aliquam intemperiem, sententia est vera; Si autem per *debilitatem* intelligit eam, quæ fit propter apertionem, aut laxatio-

xationem meatuum, non ita ſimpliciter admittenda eſt; quoniam etiam ipſe Auicenna, Cap. 12. dicebat, *in hoc caſu non eſt dolor, niſi quandoque*. Aetius autem clarius locutus dicebat. *Nihil vero dolitant, aut omnino parum*. Et ratio eſt; quoniam cum hoc languore, nihil eſt quod aptum ſit inferre dolorem, licet ratione eorum debilitatis, ſint apti vt facile lædantur à morbifica qualibet cauſa; qua ſuperueniente, quandoque dolent; non autem ratione debilitatis.

Fen Decima Octaua Tractatus II. Cap. Prim.

Cap. I. EXſcribens Auicenna ab Aetio Lib. 11. Cap. 18. monet, *ſuppurato abſceſſu in renibus, aliquando fieri eruptionem ad inteſtina*. At cum nullus ſit conſenſus renum cum inteſtinis, videaturque difficilis hic caſus, adducit duas huius affectus cauſas Auicenna. Prima eſt, quod per cæca ſpiracula hoc faciat natura; quemadmodum hoc facit ſuppurata pleuritide, tranſmittens materiam extra thoracis oſſa. Secunda, quod materia ſuppurata redeat ad cauam venam; atque inde ad hepar; ab hepate autem ad inteſtina, per meſaraicas venas tranſmittatur. Ex quibus duobus modis veriſimilior eſt ſecundus; cum in hoc viæ pateant. Primus autem non videtur probabilis; quoniam erumpente pure ex renibus, potius deflueret materia in cauitatem abdominis, quàm in inteſtina; quoniam hæc non cohærent renibus, nec ita raræ ſunt ſubſtantiæ, vt materiam craſſam admittere poſſint; ſecus autem in pleuritide; cũ ea partes adhærentes ſibi inuicem continuentur, ſintque carnoſæ, non membranoſæ, qualia ſunt inteſtina. Quare primus modus reprobatur; ſecundus autem admittatur. Cum autem ſubdit Auicenna, *quod eruptio ad inteſtina eſt mala valde*; intelligatur comparatione eius, quæ fit ad vrinæ vias; nam quæ fit ad cauitatem abdominis eſt omnibus deterior.

Monet Auicenna, *omnia renum apoſtemata velocia eſſe ad hoc vt in lapidem conuertantur*. Rationem autem huius reddens, deſumit à proportione cauſæ ad cauſatum, dicens, hoc fieri facile; quoniam *cum renes ſint lapidis cauſæ, etiam ipſi in lapidem facile conuerti poſſunt*. At hæc ratio nulla eſt; quoniam, quæ virtute aliquid apta ſunt producere, non ſemper cum cauſato poſſunt idem fieri. Præterea, cum renes, ratione intemperiei, & cauitatis, materiam aptam ad lapidis generationem ſuſcipientis, lapides gignant, æquiuoca eſt cauſa; cum peruadat ad renum ſubſtantiam. Quare, reſpectu dictæ cauſæ, non eſt aſſerendum, quod renes obdureſcere facile queant.

Erumpente pure, inquit Auicenna, *aliquando egredi aliquid de pinguedine renis, & aliquando aliquid ſicut pilus rubeus in longitudine vnius palmi*. At licet hæc duo conſequantur renes affectos; non tamen ijs ſuppuratis ſolent ſuccedere: illud enim de quo Hippoc. & Gal. Lib. 7. Aphor. Tex. & Com. 35. ſolet fieri ab igneo calore; hoc autem de quo Lib. 4. Aph. 76. & Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 3. fit ex craſſa, & lenta materia, ratione ciborum præcedentium genita; non autem ex pure, quod ſuppurationi ſuccedat.

Inter cauſas apoſtematis renum, enumerat *retentionem vrinæ apud renes* exi-

existentem. Sed quis vnquam vidit, *ab vrina fieri inflammationem*? Nullus sanè; cum materia serosa potius sit frigida, quàm calida; nec sit apta intra substantiam renum suscipi. At dices, vrina retenta renes debilitat, cui succedit inflammatio. Ad hoc dico, experientiam nequaquam respondere; cum constet, etiam in his, qui ex lotio retento in renibus pereunt, nequaquam succedere inflammationem renum; pereunt autem, non vi inflammationis, sed quia retenta vrina, & non difflata, deuenit ad putredinem, quæ communicata massæ sanguineæ, in venis existenti, nec à seroso excremento depuratæ, integram humorum corruptionem inuehens, mortem inducit.

Cap. II. *In renum inflammatione*, inquit *adesse febrem inseparabilem, quæ habet remissiones, & commotiones inordinatas, quasi sint principia quartanæ*. Pro quo sciendum est, quod verè febres in renum inflammatione, tum ratione membri, tum ratione affectus, sint continuæ. Quod autem habeant remissiones, & commotiones inordinatas, non ita vero consentaneum est: nam dum nondum ad suppurationem tendunt, habent formam febris determinatam. Vnde dicebat Aetius Lib. 15. Cap. 16. *Quibusdam continuæ fiunt exacerbationes, quibusdam vero per interualla; cum autem ad suppurationem declinant, tunc inordinatas habent accessiones, & quandoque cum rigore, simili rigori quartanarum febrium, quoniam tunc materia petit membranas, & partes magis sentientes; quandoque cum horrore, cum minus impetunt; quandoque sine horrore, & rigore, cum materia circunscribitur loco proprio, nec ad partes magis sensibiles progreditur*.

Proponens differentiam inter inflammationem renis dextri, ab ea, quæ est in sinistro, inquit quod *in inflammatione renis dextri, dolor se extendit ad hepatis partes; in inflammatione autem sinistri dolor extenditur ad partem vesicæ*. At sufficiat differentia nota partis dextræ à sinistra, pro cognitione affecti renis; nam quod supra ascendat, vel infra descendat dolor, hoc potest contingere per communionem locorum vicinorum. Et quoniam ren dexter est superior sinistro, videtur dolor extendi ad hepar; quoniam autem sinister est paulò infra, parti hepate inferiori dolor communicari poterit. At quod hic ad vesicam, alter verò non, nec rationi, nec experientiæ conuenit; quoniam vesica distat à duobus renibus, medijs inter ipsa vreteribus, quorum affectio erat potius attendenda, quam ipsius vesicæ.

Cap. III. Inter lenientia Medicamenta, enumerat *aquam zuccari plurimæ commistionis*. Sed cum aqua zuccari, nil aliud sit, quàm mulsa; mulsa autem meracior damnetur ab Hippocrate Lib. 3. Reg. Acut. Tex. 13. eo quod excrementa spumosa, atque plusquam conueniat biliosiora, calidioraque quàm dilutior, magis educat, non videtur *aqua zuccari* in renum inflammatione, qui morbus est acutus, conuenire, eo magis, cum dulcia facile conuertantur in bilem, indeque humores magis ferueant. Sed forsan quis intelligat per *aquam zuccari plurimæ commistionis*, eam, quæ plurimam aquæ mistionem admittit; & ideo dilutior fuerit mulsa, non meracior, qualis ab Hipp. damnatur. At si hæc intelligatur *aqua zuccari*, non erit apta ad ventris lenitionem, qui scopus propositus est ab Auicenna.

Damnat *potum aquæ frigidæ in renum inflammatione*, hac ratione, quod *licet frigiditate temperet calorem intensum; attamen nocet, quia constipat materiam in renibus*

nibus, renumque substantiam coarctat; quorum ratione, *inflammatio magis rebellis curationi efficitur*. At sciendum est, quod si renes erysipelas, vel purum, vel cum inflammatione mistum patiantur, nullum opportunius est remedium aquæ frigidæ potu; cum ex Gal. Lib. 9. Meth. Cap. 5. Erysipelas purum partium internarum non aliter sanari possit, quàm per aquæ frigidæ potum, hac distinctione, quod si simplex sit erysipelas, quamprimum aqua frigida exhibeatur; si autem sit cum inflammatione mistum, apparentibus coctionis signis exhibenda sit.

Maturescente integrè renum inflammatione, monet Auic. ad *diuretica exhibenda deueniendum esse*. Quod ab Aetio Lib. 11. Cap. 16. exscripsit, dicente. *At vbi perfectè concocta fuerint inflammationes, & quieuerint dolores, tunc etiam per vrinam cientia purgandum*. Ad quod, locutus de inflammatione, alludebat Gal. Lib. 13. Meth. Cap. 11. dicens. *At si cum in renibus, aut vesica incipit, quæ vrinas cient medicamenta exhibeas*. Quasi diceret, cum diuretica in principio inflammationis renum, aut vesicæ non sint exhibenda, possunt conuenire, concocta inflammatione. At ad perfectam huius rei cognitionē, sciēdum est ex Galen. Lib. 7. Meth. sub finem, dum loqueretur de indicatione euacuandi, sumpta à figura membri affecti, renes si multo vitioso succo referti sint, per deiectoria medicamenta; sin autem mediocri, per vrinas cientia purgandos esse. Quare, vbi plurima abundet materia, prius per deiectoria euacuandum erit, quàm per diuretica medicamenta.

Parua præsente inflammatione, & mundo corpore, exhibet *aquam mellis*, vel *aquam zuccari plurimæ commistionis*; quam nec ego in hoc casu non damnarem; cum eam tamen, cruda ea existente, & præcipuè si magna sit inflammatio, ad alui lenitionem in principio, vt superius notaui, improbem.

Laudat Auicenna *potum lactis in renum inflammatione*. At cum ex Hipp. & Gal. Lib. 5. Aph. 64. febricitantibus intensè, & his, qui abscessus, & inflammationes non disrupta in internis habent, non conueniat, nec in hoc casu conuenire poterit.

Ad *adiuuandum suppurationem, admiscet Emplastris suppurantibus* (quod exscripsit ab Aetio) *bryoniam, mezereon, & fimum columbinum*. Sed qua intentione? cum ista nequaquam sint nec Emplastica, nec suppurantia? Nisi forte, quia materia est in profundo loco; ideo egemus his, quæ validè agant, & quæ possint eandem ex profundo attrahere, & alterare.

Cap. IV. Cum apostemata ex phlegmate pendentia possint esse duplicia, scilicet, vel mollia, vel dura, idest, vel œdematosa, vel scirrhosa, hic de œdematosis agit; inferius autem de scirrhosis tractabit.

Cap. V. Signa œdematis in renibus, sunt omnino coniecturalia, nec quæ ab Auicenna proponuntur, vllam habent certitudinem; cum hæc communia sint habentibus renes frigidos, cum aliqua materiæ præsentia.

Cap. VI. Si corpus male habet in hoc casu, vt apparet ex tumefactione, vel mollitie faciei, oculorum, & totius corporis, cui dubium, quod antequam deueniat Medicus, per localia, ad resolutionem materiæ peccantis, debet prius vniuersum corpus euacuare, & à succis lentis, & frigidis expurgare.

Cap. VII. Hic agit de scirrhosis renum tumoribus, qui sicuti per duritiem,

& doloris carentiam ab alijs tumoribus distinguuntur; ita in renibus dupliciter generantur, scilicet, vel indurata ipsa renum substantia; vel facto duro tumore in renibus ipsis, à materia ibi collecta, & congesta; quæ duplex esse potest, scilicet, vel pituita lenta, crassa, & viscida; vel materia melancholica.

Cap. VIII. Quoniam tactu percipi nequeunt tumores hi; ideo difficillimè dignosci possunt à Medicis; cum horum signa sint incerta, & coniecturalia, & ferè communia tumoribus œdematosis. Ideo sint cauti Medici in hac re; ne ex signorum similitudine adhibeant medicamenta aliena loco affecto.

Cap. IX. Sicuti ad præcedentes renum ægritudines proponebat clysteres oportunos, pro ratione indicationis morbi; ita etiam emollientes insusi non sunt prætermittendi; cum possint valde conferre ad emolliendum, & discutiendum.

Cap. X. Cum lapides possint in substantia renum, & in eorum cauitate, vt habetur ex Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 6. & Lib. de Ren. dign. & cur. generari, non ab omni lapide exterius erumpente potest fieri vlcus; cum enim sit lapis in cauitate genitus, prodiens, verum vlcus difficulter excitare potest. Ille autem, qui in corpore, & substantia renum est genitus, non potest non excitare vlcus; cum è propria renum substantia erumpens ad cauitatem renis, per quam traducitur ad Vreteres, & vesicam pertransit.

In fine capitis, inquit Auicen. *Et multoties est caput apostematis decliue ad exteriora; quare rumpitur ad exteriora.* Quæ sententia exscripta est ab Aetio Lib. 11. in vltimis verbis Cap. 18. vbi habet; *quod si suppuratio ad extra vertatur, inflammatio magis tumescit, quæ postea ad manum, & ad oculum euidenter exposita est, quo casu, ex adhibita curatione* notat *succedere fistulam.* Quare monet, Medicum diligentiorem debere esse. Quæ sententia Aetij, licet verior sit sententia Auicennæ; tamen nec ipsa adeò veritati, nec experientiæ consentit; cum dicat Auicenna, multoties renum apostemata ad exteriora declinare; experientia autem testetur, rarissimum esse hunc casum, à paucissimisque Medicis obseruatum, qui vlcerum renum alias causas frequentius inspexerunt.

Cap. XI. Si per *partes capillares*, intelligit Auicenna capillitium in vrina, de quo Gal. Lib. 4. Aph. Com. 76. & Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 3. longe à Galeni via, & à veritate declinat; cum istud fiat sine apostemate, sine suppuratione, & sine vlcere. Si autem intelligit, quod filamenta quædam in vrina appareant, ob lentorem puris genita, quæ capillos breuiores æmulentur, hæc sententia non est præter rationem; cum sæpius in vlceribus renum huiusmodi videantur filamenta.

Quoad illud signum vlceris renum, videlicet, quod *egrediantur in vrina frusta rubea carnosa*, addendum est ex Gal. Lib. 4. Aph. Com. 76. quod si carnunculæ istæ exeant cum vrina crassa, indicant renum affectum, & passionem: si vero exeant cum vrina tenui, indicant totum venosum genus pati; nec tunc quid indicant supra renes.

Cap. XII. Monet, admiscendum esse *medicinis facientibus ad vlcera renum, diuretica*

retica medicamenta, vt ducant medicinas dictas ad renes ipsos. Sed in hac re hoc est monendum, videlicet, quod ista minima apponantur quantitate; quoniam, vt inquit idem Auicenna, *nocent vlceribus, & commouent materias ad renes*; vel potius, assumenda sunt diuretica impropria, quale est semen melonum, & similia. Hæc autem, præterquam quod medicinas ad renes ducere possunt, vlceribus etiam, contemperando conducere queunt.

Cap. XIII. Scabies renum non differt ab eorum vlceribus, nisi secundum magis, & minus; illa enim sunt vlcera manifesta, & insignia; hæc autem est simplex, & leuis excoriatio, facta in extrema superficie, quæ potest ex omnibus ferè causis fieri, ex quibus generatur vlcus.

Cap. XIV. Proponens signum scabiei in vreteribus, inquit. *In hoc affectu, id quod egreditur cum vrina, esse panniculosum*. At vbi quid membranosum ex istis vasis deraditur, non est leuis excoriatio, aut sola scabies; sed adest vlcus manifestum, & notabile, excreta eorundem substantia.

Cap. XV. In curatione huius affectus (quod & dixisse voluerim pro cura vlcerum) etiam hoc noto, quoad phlebotomiam, ab Auicenna propositam, quod si non sit plenitudo, magis conuenit secare inferiores venas, quàm superiores, ad mentem Galeni Lib. 13. Meth. Cap. 11.

Cap. XVI. *Materiam lapidis, præter pus, & sanguinem, in apostemate existentem*, inquit Auic. *esse humiditatem viscosam, grossam, & phlegmaticam*. At Lib. de Renum Dignot. & Curat. causa materialis non restringitur ad solam pituitam; sed hæc sententia generalis habetur. *Materialis causa est crassus, & glutinosus succus, vel vtroque modo vitiatus*. Quare hinc elici potest, omne humoris genus, quodcunque sit, dummodo crassus, aut glutinosus, esse lapidis materiam. Lib. autem 6. Epid. Sect. 1. Com. 6. dicebat Gal. subsidentium in vrinis colorem variari ex diuersitate materiæ, dicens, *Cinereum colorem fieri, vel ex pituita crassa, & viscida; vel ex purulento humore, vel ex vtroque misto*, scilicet, ex pituitoso, & purulento composito. Vbi autem cum pituita crassa, & lenta parum sanguinis misceatur, inquit, *variari colorem, pro ratione varietatis sanguinis*, ita vt, pro ratione maioris copiæ succi admisti, ita etiam variet color; vnde nonnunquam ex albo, & pallido mistus, quandoque ex rubeo, & albo, nonnunquam ex flauo, & albo appareat, nonnunquam vero rufus est, ipso sanguinis colore ad colorum differẽtias faciente; cum sanguis in hominibus non semper sit eiusdem coloris: nam aliquando est exquisitè rubeus, quandoque flavus, quandoque rufus, quandoque ater. Ex quibus patet, lapidis materiam non restringi ad pituitam; cum etiam sanguis, & quicunque succus crassus, & glutinosus possit esse lapidis materia, siue sit bilis crassa, siue melancholicus succus, siue sanguis crassior, siue pituita ipsa; cuius tamen portio requiritur ad incrassandos cæteros succos; qui enim sunt crassi ex adustione, propter carentiam humiditatis, sunt parum apti ad lapidum generationem.

Causa efficiens lapidis, secundum Auicennam, *est caliditas egressa ab æqualitate*. At contra hanc sententiam videtur esse Gal. Lib. 6. Epidem. Sect. 3. Com. 15. quo loco docens quomodo in pueris facile fiant lapides in vesica, inquit, *materiam crassam in pueris vi caloris fundentis, per renes percolari, quæ*

deueniens ad veſicam, inibi, ob eius frigiditatem (eſt enim frigida, cum ſit neruoſa, & pauci ſanguinis) *cogitur, & inſpiſſatur, ex qua inſpiſſatione poſtea facile lapideſcit.* Quare non à calore, ſed à frigore lapis generabitur. Præterea contra Auic. videtur etiam facere Gal. loco citat. in quo habet, calorem mediocrem ſufficere ad generandum lapidem; ſi autem ſufficiens eſt calor mediocris ad generationem lapidis; igitur non erit neceſſarium, vt ſemper caliditas recedat ab æqualitate. Sed in hoc non videtur, nec ſibi conſtans Gal. cum pluribus locis dicat, ad lapidis generationem intenſum requiri calorem; nam Lib. 1. de Alim. Cap. de pane loto, docens, quomodo ex crudo ſucco generentur lapides, dicebat. *Confert autem ad id maxime renum ipſorum temperamentum, quando ipſorum calor acris fuerit, ac veluti igneus.* Lib. autem 3. de Alim. Cap. de Acido Lacte, dicebat. *Succus eiuſmodi, qualis ex oxygala, cum caſeo, & omnibus craſſi ſucci edulijs, cum peruenit ad renes, calculos in ijs ſolet gignere; cum hi calidiores iuſto fuerint.* Inferius vero, Cap. de Caſeo dicebat. *Oſtendimus enim, calculos in illis corporibus naſci, in quibus ſuccorum craſsities, cum ardenti calore eſt coniuncta.* Lib. vero 3. Aph. 3. Com. 26. de duplici lapidis cauſa locutus, poſtquam de naturali verba fecit, ſubiungit. *Accedit altera cauſa, vehementia caliditatis.* Lib. etiam 2. de Natura Humana, Tex. 16. dicebat Auctor. *Naſcuntur etiam pueris calculi, ob loci huius calorem*; quod idem teſtatur Galenus pluribus in locis. Ex quibus nec Gal. videtur Auicennæ conſentire, cum proponit lapidum generationem poſſe, tum à frigiditate, tum à mediocri calore fieri, nec ſibi ipſi, dum modo calorem igneum, & acrem requiri; modo mediocrem ſufficere affirmat. At pro huius difficultatis dilucidatione, recurrendum eſt ad Lib. de Renum Dign. & Curat. quo loco, dum quæritur quæ ſit cauſa efficiens lapidis, dicitur, quoad frigiditatem. *Quod lapides in renibus non generentur à frigiditate; quoniam fieri nequit, vt in viuente corpore tantum frigus accidat, quo concreſcere valeat in homine lapis.* Quæ ſententia licet vera, poſſet tamen alicui eſſe dubia, ex Gal. Lib. 5. de Simp. Med. Fac. Cap. 5. cum eo loco declaretur, aliqua in nobis poſſe indurari ex congelatione; ſi autem ſit induratio ex congelatione in noſtro corpore; ergo poterit in viuente tantum adeſſe frigus, quod faciat ad congelationem, & inde ad lapidis generationem. At ſciendum eſt, hanc Galeni ſententiam intelligendam eſſe de partibus externis corporis noſtri, non de internis; nam congelatio poteſt fieri in nobis circa partes externas à refrigerantibus admotis; vnde dicebat Hipp. Lib. 5. Aph. 22. *frigidum autem indurat.* & Lib. 6. Epid. Sect. 3. Tex. 14. dicebat, *frigidum valde venas frangit, & tuſsim excitat; vt nix, glacies, & contorquet, vt pherea gangrona, ſimul cauſa durities.* At hoc non poteſt fieri in partibus internis, ſtante vita; quoniam omnes partes corporis noſtri, licet proprio temperamento ſint frigidæ; tamen & innato calore, dum viuunt, & influente præditæ ſunt adeò, vt nunquam ad tantum poſſint peruenire frigidi, vt ab eo congelatio, & inde lapidis generatio ſuccedere poſſit. Dicebat igitur Auctor illius libri, quod à frigido non poſſunt generari lapides in renibus. Quare ſupereſt, vt à ſolo calore, qui cum poſſit eſſe, & vehemens, & mediocris, ſeu tepidus, dicebat vtrunque poſſe eſſe lapidis cauſam; hac tamen habita diſtinctione, videlicet,

cet, quòd materia sit crassa, sufficit tepida, & moderata caliditas; si autem materia sit tenuior, caliditas vehementior, siue sit naturalis, siue præternaturalis requiritur. Quo stante, dico, Galenum, cum dixit mediocrem sufficere ad generationem lapidis, sermonem habuisse de pueris, in quibus crassior abundat materia, cui ad condensationem sufficit tepidus calor; non negat tamen ibidem Gal. quod intensior hoc idem possit præstare; immo potius illud est argumentum, à maiori calore posse facilius eandem materiam condensari, & inde lapidescere. Quod idem attestantur omnia loca ad hoc probandum adducta; qui tamen calor vehementior, sicuti próptior est ad condensandam materiam, quàm mediocris; ita etiam erit magis necessarius, si materia sit tenuior; quoniam hæc ad resolutionem aquosioris partis, cuius ratione materia est tenuior, intensiorem postulat caliditatem. Quare concludo ex Galeno, lapidis causam efficientem esse calorem, qui necessario vehementior requiritur, si materia sit tenuior; sed si eadem sit crassior, sufficit mediocris; qui tamen si sit intensior, facilius lapidum generationis poterit esse auctor. Sed quid ad locum Galeni adductum, ex Lib. 6. Epid. Sect. 3. Com. 15. vbi videtur Galenus proposuisse, lapidis in vesica generationem totum habere à frigiditate? Ad hoc sciendum est, quod vesicæ naturalis frigiditas non recensetur à Gal. tanquam causa lapidem generans; cum declarauerit, & velit huius generationem fieri à calido etiam mediocri; sed hæc vesicæ innata, & naturalis frigiditas concurrit ad lapidis generationem in pueris, non quia materiam induret; sed quoniam materia peccans, quæ ab innato partium superiorum calore liquefacta erat, & inde facile per renum meatus transmissa, deueniens ad vesicam, ibi retenta, ob ipsius vesicæ innatam temperiem frigidam, tenuitatem amittit, vnde cogitur, & facillimè inspissatur; cuius ratione, vi caloris postea in lapidem conuertitur. Vnde constat, frigiditatem non concurrere positiuè ad lapidis generationem, sed solum priuatiuè; cum per eam attenuatio tollatur. Quibus expositis concludendum est, lapidis generationis effectricem causam solum esse calorem, vel igneum, & vehementiorem, maiori parte; vel mediocrem, si materia sit crassior; cuius ratione, sententiam Auicennæ comprobantes, dicimus, efficientem lapidis causam, maiori parte esse caliditatem, ab æqualitate recedentem; cum tepidus, & mediocris calor quandoque sufficiat pro lapidis generatione.

Quoad colorem lapidum, qui generantur in renibus, sciendum est, quod non tantum variant eorum colores, ratione materiæ, vt iam dictum est, ex Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 6. sed etiam ratione caloris; vt habetur ex Lib. de Renum Dign. & Curat. eadem enim materia, ratione diuersitatis caloris agentis, potest diuersos inducere colores; nam vt quilibet longiori tempore retinetur, ita modo rufum, modo flavum, modo rubeum, modo nigrum efficitur. Hoc notasse volui, ne semper ex colore lapidis ducatur argumentum certæ cuiusdam materię; cum hoc indicium non sit huius demonstrativum; variat enim color lapidis renum, non solum ex materia; sed etiam ex calore, à quo huiusmodi patitur actionem.

Inter causas præcipuas generationis lapidis in renibus, assignauit Auic.

debilitatem virtutis expulsiuæ renum. Quæ causa, sicuti certissime concurrit, ita etiam aliam antecedẽtem requirit, quæ est latitudo eorum meatuum, qui ad renes pertingunt; vt habetur Lib. de Ren. Dign. & Cur. nam hinc etiam ortum habent lapides, hac ratione. Latitudo meatuum eorumdem vasorum, qui ad renes pertingunt, est occasio generationis lapidis in renibus; quoniam his latioribus existentibus, aliquid crassius, vnà cum sanguinis sero percolatur ad renes. Quo casu, si virtus segregatrix ipsorum renum totum id cum vrinis expulerit, arenosum ad ipsos sedimentum perueniet; sin autem totum id non expellat, & quod infarctum est, & solutu difficile à renum cauitate suscipiatur, hoc incalescit, & exiccatur, ac lapidosam consistentiã consequitur, ad quod cum aliud non absimile, ex caua vena, ob latitudinem dictorum meatuum transmissum colligitur, augescit, & fit lapis maior. Vnde patet, ad hanc lapidum generationem, non solum debilitatem virtutis expulsiuæ renum concurrere; sed etiam latitudinem dictorum meatuum; cuius ratione, materia apta ad formationem lapidis traducitur à vena caua ad renum cauitatem. Nec huic sententiæ refragatur locus Galeni adductus Lib. 3. de Alim. Fac. Cap. de Lacte acido, cum inquit, *quod renes calidiores, siue tales sint ob naturalem intemperiem; siue ob alium quendam affectum, ipsis postea aduentitium, qui meatuum transitus pro caloris modo latos non habeant, ad lapidis generationem sunt parati;* quoniam hic non loquitur de meatibus, qui à caua vena pertingunt ad renes; sed de eis, qui sunt in renibus ipsis, & per quos fit transitus materiæ à renibus ad vreteres. Quare, his constitutis, illi erunt paratissimi ad lapidum generationem, qui latos habuerint meatus eorum vasorum, qui à vena caua ad renes pertingunt, & qui debilem vim expulsiuam renum habeant, & quibus meatus à renibus ad vreteres lati, pro ratione caloris non sint. Tria hæc valde reddunt hominem ad huiusmodi affectum paratum, in quo si adsit caliditas effatu digna, & præstò sit materia apta ad generationem lapidis, necessariò eadem succedit. Ex quibus liquet, quæ indicationes fuerint desumendæ à Medico, qui hunc affectum iuxta rationem curare sibi persuadeat.

Cur lapides in pueris non generẽtur in renibus, sed in vesica, inter alias, duas assignat causas. Prima est, quod pueri, propter robur virtutis expulsiuæ, expellunt materias à partibus superioribus ad inferiores. Secunda est, quoniam cum humores, & succi sint subtiliores in pueris, & adolescentibus, quàm in senibus; ideo in pueris facile descendunt hi humores à renibus ad vesicam. At quoad primum, Galenus Lib. 6. Epid. Sect. 3. Com. 15. dicebat, in pueris non tantum expelli materiam à renibus, ratione roboris naturalium actionum eorum; sed etiam, quia à potenti ipsorum calore funduntur illæ materiæ, quæ fusæ postea per angustos meatus facile pertransire queunt. Quoad secundum, monet ibidem Gal. *in pueris succos crassos abundare, & eos tenaciores esse, quàm in senibus;* dicebat enim, supponens crassam esse materiam in pueris, hanc quinetiam tenaciorem esse; *quoniam magis ab insito calore elaborata est;* *quod rationi congruit;* *nam quæcunque a calore concoquendo mutantur, temporis processu lentorem quendam acquirunt, etsi ab initio nullum habuerint*. Ex quibus Galeni verbis satis liquet, in pueris, non humores subtilio-

res, vt inquit Auicenna, ſed craſſos, & tenaciores abundare.

Notat Auicenna, *in urina puerorum plus ſalis contineri, quàm in vrinis ſenum; quoniam caliditas in eis eſt plurima, & inde pars terrea in vrina exiſtens, vehementius aduritur, quàm in ſenibus*. At hoc difficultatem habet; cum calor puerorum, licet multus, ſuauis tamen ſit, nec vim adurentem habeat; cuius ratione, opera omnia naturalia in eis ſunt benigniora, quàm in adultis.

Cap. XVII. Tradens *indicia lapidis renum, ex parte doloris*, inquit, *quod tunc vehementior eſt dolor, cum generatur lapis; quia conſtringit, & coarctat locum, & cum mouetur ad excretionem; reliquo autem tempore, videlicet poſt eius generationem, antequam commoueatur, non perſentitur, niſi ſenſatio grauitatis*. At ad perfectam rei huius explicationem, ſciendum eſt, ex Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 6. & Lib. de Ren. Dign. & Cur. duplici ratione poſſe generari lapides in renibus; in eorum ſcilicet, vel ſubſtantia, vel cauitate. Si generentur in ſubſtantia, à principio excretionis, & dum ad excretionem commouentur, dolorem inducunt; tum quoniam in renum ſubſtantia fit continuitatis ſolutio, ex influente, & obdureſcente materia; poſtmodum autem, quoniam irritãt, & ſtimulant, ac abradunt partes neruoſas. Si autem generantur in cauitate, nullus fit dolor, niſi dum è proprio loco ad excretionem exturbantur; quoniam adeſt cauitas ampla, & apta ad lapidis generationem, & retentionem, abſque vlla læſione ſuccedente. Ex quibus ſatis clare poterit Medicus, an lapis in ſubſtantia, an in cauitate renum ſit genitus, deprehendere. Quò autem ad tempus quietis, poſt generationem, in quo dixit Auicenna, quod *ſola grauitatis ſenſatio perſentitur*. Sciendum eſt hoc præcipuè verum eſſe de lapide in renum ſubſtantia genito: hi enim, qui in cauitate generantur, ſæpè ad excretionem deſcendunt, nulla præcedente in renibus grauitatis ſenſatione.

Multa ſigna lapidis renum, de quibus Gal. Libris de Loc. Aff. poſſent addi Auicennæ dictis. Verum de hoc tantum agam, cuius ſolum fit mentio Lib. de Ren. Dign. & Cur. & eſt pudendorum tentigo; quod ſignum cum ſit rationi conſentaneum, vt ibidem probatur, & quandoque experimento firmetur, non erat dimittendum.

Cap. XVIII. Ad tollendam materiam, pro generatione lapidis, in quo conſiſtit præſeruatio ab hoc affectu, monet Auicenna, *conferre aſsiduationem prouocationis, cum eis quæ lauant veſicam, ex ſeminibus diureticis*. At Aetius Lib. 11. Cap. 15. longè aliter monet, diuretica ad hunc vſum aſsumenda, ſcilicet, per interualla, dicens. *Bibant autem & ea, quæ vrinam cient, per interualla quædam*, quaſi aſſiduationem abhorrens. Sed ex Lib. de Ren. Dign. & Cur. habemus, diuretica eſse ad hoc ſuſpecta; cum calida, & ſicca, & acria exiſtant, vimque ſimul habeant coactoriam, ob quam, partem ſeroſam ſecernentes, id quod craſsum eſt, cogunt, ac compingunt. Quare non laudo aſſiduum diureticorum vſum, licet probem, ad renum expurgationem, eorum per interualla quædam exhibitionem.

Verba illa. *Et dormire ſuper dorſum eſt ex eis, quæ lapidi conferunt*, ſunt amphibologica; cum duplicem poſſint habere ſenſum, ſcilicet, quod dormire ſupra dorſum conferat ad generationem lapidis; vel quod, dormire ſuper

dorsum, conferat ad curationem lapidis Renum, quorum cum primus sensus sit verus, alter reijciatur.

Recensens Auicenna qualitatem medicamentorum comminuentium lapides, dicit. *Ea conuenientia esse, quæ incidendi vim habentia vehementis non sine caliditatis.* Atque ex his, ea, quæ sunt minoris caliditatis magis probat. Hoc idem habetur Lib. de Renum Dign. & Cur. quo probantur ea, quæ tepidum habent calorem. Huic consentit Galeni sententia, Lib. 6. de Tuenda Valetud. vbi hæc habet. *Nam calculosis, quæ valde calefaciant dari nullo modo conuenit.* At oppositum Gal. Lib. 10. de Comp. Med. secundum loca dicebat. *Quæ vero calculosis auxiliantur*, inq. *vnica facultate indigent, quæ siccare, & abstergere, cum manifesta qualitate potest.* Sunt autem talia ferè omnia amara. Sed cum amarus sapor non gignatur nisi à superflua caliditate; igitur talia medicamenta non erunt debilioris, sed superfluæ caliditatis. Sed præter verba Galeni, prostant exempla medicamentorum, quæ ab eo recensentur, & ad hoc probantur, quæ omnia sunt intensè calida. Ad hoc sciendum est, quòd ex comminuentibus lapidem, aliqua sunt tepidi, aliqua intensi caloris, vt ea obseruanti liquet. Sed quæ sunt tepidi caloris, sunt minus efficacia; potentiora autem, quæ intensum possident. Quoad vsum autem eorum, quæ tepidum, & mediocrem habent calorem, is debet esse continuus, quoniam temporis diuturnitate effectus suos facilè produnt. Ea autem, quæ intensè calida sunt, per interualla in vsum veniant; quoniam si patientes diutius illis vtantur, magis læduntur; & ideo dicebat Alex. quod his exhibitis, si non proficiant, desistendum est ab eis, & ad debiliora deueniendum. Vult enim, quod à principio, validioribus agamus, quæ si non iuvent, dimittantur; quia signum est, quod renum intemperiem augent. Quare eo casu, ad debiliora transeundum esse monet. Vnde nulla erit contradictio; cum in primis locis laudentur leuiora, & quorum continuus vsus esse potest; vltimis autem, validiora eligantur, & quæ citò possint lapidem comminuere; quæ si finem propositum non assequantur, dimittenda sunt; cum eorum continuus vsus sit suspectus.

Cap. XVI. Quamuis Auicenna laudauerit magis, inter medicamenta lapides comminuentia, ea quæ sunt *minoris caliditatis*; tamen recensendo ea, tùm simplicia, tum composita, iuxta Galenum, describit multa, quæ calore intenso, & valido dotata sunt. Quare non hæc erunt spernenda; sed ad vsum, cum ratione reuocanda; quorum etiam catalogum amplum fecit Aetius Lib. 11.

Fen Decima Nona Tractatus I. Caput I.

Cap. I. Impropriè admodum locutus est Auicenna, dicens, *vesicam esse formatam neruosam, ex neruis ligamenti*; cum vesica ex neruis sit nequaquam efformata; sed membranosa tantum sit, cuius ratione, proprijs neruis indiguit, vt sensum susciperet.

Quoad tunicas, declarandum fuit, vesicam vnicam habere tunicam, omnibus obductam fibris, propriam, alteram autem à peritoneo, araneis similem,

lem, vt facilè omnem distensionem, & contractionem pati posset.

Cum inquit. *Et subtiliatus est Creator sapienter in attrahendo aquositatem ad eam.* Si per hæc intelligit Auicenna, quod vesica habeat vim attrahendi vrinam ad se, expresse contradicit Galeno, qui docuit, lotium transmitti per vreteras ad vesicam, non à vesica attrahi; nam si per vim attractricem vesicæ lotium ad vesicam confluerct, ea plena existente, cum nulla foret indigentia, nulla fieret attractio; quare nullum vnquam immineret periculum ex suppresso in vesica lotio. At cum ipsa repleta, non cessent renes vrinam transmittere, hinc cum magis semper repleatur, maiores succedunt dolores, maioraque discrimina subsequuntur.

Cum declarat, *collum vesicæ anfractuosum factum esse ad expellendam aquositatem ad virgam,* videtur docere, colli vesicæ munus esse vrinæ excretionem. At ex Galeno in pluribus locis, adeò clarè habetur, vrinæ excretionem esse vesicæ munus, vt nulla ratione probari opus sit, hoc officium non pertinere ad collum vesicæ. Nisi forsan intelligat Auicenna, collum vesicæ esse expellens, idest, esse viam, per quam vrina expellitur; vel collum vesicæ esse expellens, idest, ad collum vesicæ adesse musculum, cuius præter cætera, hoc officium sit, vt quod excreti lotij meatum subierit, foras protrudatur; vt habet Gal. Lib. 5. de Vsu Partium Cap. Vlt.

Cap. II. Enumerans vesicæ ægritudines, & nocumenta, omisit illud, quod vesicæ succedit ex longiori, & diuturniori vrinæ retentione; cuius ratione postea imbecillis facta, inepta fit ad excernendum lotium. De qua Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 4. & Lib. 3. de Sympt. Cauf. Cap. 2. & alibi.

Cap. III. Præter medicamentorum formas ab Auic. enarratas, conferentes ad vesicam calefaciendam, facient etiam clysteres; quorum vsus in vesicæ affectibus nequaquam est contemnendus.

Quoniam tamen periculosum est calefacere membra, pleno existente corpore; cum calida admota possint esse causa attractionis materiæ ad vesicam, ac proinde maioris mali; ideo ante horum vsum habenda est ratio totius corporis.

Cap. IV. Cum simpliciter alteranda est vesica ad frigidum, hoc maxima cum cautione est agendum; quoniam cum vesica sit exanguis, & proprio temperamento frigida, non ita innoxiè potest tolerare refrigerantia. Quare vel semper aliqua refrigerantibus admisceatur, quæ calorem eius innatum possint fouere; vel impensè refrigerantia erunt vitanda; atque vbi necessitas vrgeat, ad vsum intensè refrigerantium, seu stupefacientium, his administratis, noxam ex admotis corrigentia erunt applicanda. Quod notare volui; quoniam vidi aliquando, ex admotis refrigerantibus pessima successisse symptomata, quæ magis afflixerunt patientem, ratione intemperiei frigidæ, quàm antea ratione calidæ. *Obseruatio.*

Cap. V. Illa Auicennæ sententia. *Et quandoque mingit in fine eius, vrinam sine voluntate;* licet intelligatur ab eo de singularibus mictionibus, ex quibus exasperantur patientes à lapide, videlicet, quod postquam ceperint meiere, postea sub finem inuoluntariè meiant; tamen verius est de patientibus illis, in quibus lapis confirmatus est: nonnulli enim ex his, cum diu à lapide fue-

fuerint conflictati, tandem deueniunt ad inuoluntarium, & continuum vrinæ fluxum, ob hanc quidem rationem; quoniam musculus sphincter, ob vicinitatem lapidis, & ob eius attritionem, tandem contrahit tantam imbecillitatem, vt amplius suo munere fungi nequeat, quod mihi pluries experientia comptobatum est.

Obseruatio.

Tradidit Auicenna plurima signa lapidis vesicæ, quæ desumpta vel à symptomatibus, vel ab actionibus læsis, possunt nos ducere in certam lapidis iam facti, & antiquati cognitionem. Verum quoniam cum aucti sunt lapides, & antiquati, parum Ars nostra, absque lithotomorum ope, potest patientibus prodesse, præterquam ad leuamentum symptomatum; ideo satius erat docere signa ea, quæ vel imminentem, vel ferè incipientem indicare possunt lapidem; quoniam tunc temporis multa vtiliter à Medicis; vel ad lapidis generationis prohibitionem, vel ad incipientis attritionem, & eductionem; sicuti testor me in nonnullis fecisse, administrari possunt. Sed cum ea, nec Auicen. nec quiuis alius docuerit, quæ erunt ista indicia? Quæsiui ego diu hæc signa, & tamen longa obseruatione ea inueni, hac methodo ductus. Noueram, lapidum generationem in exterioribus, non solum fieri ratione causæ efficientis, scilicet, vel caloris, vel frigoris; sed etiam ratione materiæ. Hanc materiam duplicem ego mente comprehendebam; alteram remotam, quæ mihi nil aliud est, quàm quælibet crassa materia, quæ vi caloris, vel frigoris obdurari poterat; alteram proximam, quæ nil aliud est, quàm succus lapideus. Illam dixi remotam; quoniã ex illa nõ fiunt veri lapides, sed potius lateres, vtpote qui fiant ex luto, vi caloris exurentis indurato. Hanc autem dixi proximam; quoniam hic succus si accedat ad dictam materiam, sufficit generationi veri lapidis; quales sunt qui fiunt iuxta aquas spontè crumpentes, & circa flumina; & quales qui concrescunt in montibus, & varijs alijs locis, & summatim, quale omne lapidum genus, siue sint lapides simpliciter dicti, siue marmor, siue alio nomine appellentur. Qui quidem lapides pulchritudine, luciditate, & colore inter se differunt, pro differentia illius succi lapidei, ex quo efformantur. Cum enim ille succus sit humor lentus, albus, perspicuus, vbi plurimum huius assumitur, & ad materiam dictam adiungitur, fiunt inde pulchriores, albiores, vel lucidiores lapides; vbi autem eiusdem minor portio additur, pulchritudine, colore, luciditate prædictis cedunt. Quam rem considerans, & videns lapides in vesica genitos, æmulari non lateres, prout lapides renum; sed veros lapides, iudicaui omnino huius succi portionem requiri, præter materiam remotam, ad generationem lapidis vesicæ. Quo supposito, descendi ad inspectionem vrinarum eorum, qui apud me suspicione laborabant dispositionis ad calculum in vesica, quas ita consideraui. Sinebam vrinam quiescere, quoad omnem materiam in se contentam deponeret, quo facto, inuersa matula, & paulatim defluente vrina, tandem ex fundo conspiciebam descendere materiam, à lotio, substantia differentem; tum quoniam tanquam oleum, & succus lentus descendebat, nullo strepitu, vt ex vrina acciderat; tum etiam, quoniam limpidior, & ferè candidior ipsa vrina apparebat. Hanc rem considerans, non potui non conijcere, substantiam illam in

vrina

vrina contentam; sed ab vrina differentem non esse succum illum lapideũ, quem conijciebam necessariò requiri ad generationem horum lapidum. Quam rem diu obseruans, experientiam rationi consentire inueni, in pluribusque ex hoc solo signo lapidis in vesica generationem prænunciaui; nonnullis autem, qui meæ curæ se commiserant, eiusdem generationem prohibui. Vbi igitur alicuius affectus circa vesicam adsint indicia, lotiumque vesicam stimulare incipiat, tunc diligenter Medicus lotium inspiciat, obseruetque, an aliquid illius succi in ea contineatur; hoc enim præsente, vel imminet calculi generatio; vel iam rudimentum aliquod adeptus est. Tunc autem Medicus medicamenta opportuna administrans, antequam, vel maior lapis fiat, vel antiquetur, poterit, & præcauere lapidis generationem, & incipientem atterere, & attritum extra vesicam extrudere. Hanc etiam meam sententiam, & obseruationem testantur lotia concomitantia patientes calculos in vesica; nam hi quo maiores fiunt, & quo magis antiquantur, semper huius succi maiorem aggerunt copiam; nam progressu temporis liquido apparet in fundo succus lentus, crassus, & viscidus admodum, quem nonnulli falsò vocarunt pituitam; cum pituita nec sit ita lenta, nec tanta copia possit ad vesicam permeare, nec tantum eiusdem possit à vesica separari. Nonnulli autem falsò vocarunt pus; cum pus non habeat eum lentorem; nec sit verisimile, excoriatione vi lapidis in vesica facta tantum accrescere pus; cum nouerimus, in simplicibus vesicæ vlceribus, nullo præsente lapide, huius comparatione, ferè nihil puris excerni. Quare concludatur, quod hoc sedimentum nil aliud sit, quàm succus ille lapideus, adauctus, non simplex quidem, sed pituitosis, & crassioribus humoribus admistus; quoniam si purus foret, esset limpidior; cuius præsentiam testatur summus ille lentor, cuius causa, aliquando ad duorum digitorum quantitatem fundo matulæ adeo insidet, vt vix auelli queat, & distractus ita continuatur, vt longiori tractu vix disrumpi possit. Qui succus primis diebus nullum ex se solet malum odorem expirare; quoniam ex se odore omni caret, nullumque alium recipit, nisi qui vrinæ proprius est. Tempore autem procedente, solet summum fœtorem adipisci, non ex propria natura; sed quoniam diuturnitate temporis, lapis, tandem atterens, & exasperans vesicam, eam exulcerat; ex quo vlcere subsequens vrinæ fætor (nam hoc est proprium exulcerationis in vesica) etiam huic succo communicatur, simul etiam aliquid puris ei impertiendo. Quare à primo ad vltimum, dico hunc succum lapideum necesariò requiri ad lapidis generationem in vesica; & ideo etiam huius posse signum esse, nec magis præsentis, quàm etiam imminentis.

Cap. VI. Si administrentur medicamenta ab Auicenna proposita in calculo vesicæ, vel maiori, vel antiquato, omnia in cassum tentabuntur; lapide autem incipiente, vel imminente, prodesse forsan possent. Dixi, forsan; quoniam efficaciora his, & subtilioris substantiæ quàm dicta ab Auicenna administrari debent.

Cap. VII. Quoad lapidis extractionem per chirurgum faciendam, vnum obseruari velim, tum Medico assistenti; tum ipsi chirurgo; nam cum lapidum

intra

intra vesicam latentium, alij in cauitate ipsa contineantur; alij autem vesicæ adnati, potissimum eius tunicæ ita adhæreant, vt nisi discerpta vesica educi nequeant, facta sectione, animaduertant, an lapis sit ex adhærentibus, & vesicæ adnatis; an sit ex his, qui in cauitate ipsa contineantur; nam si ex his fuerit, tutò quoad hoc educi poterit; si autem fuerit ex illis, potius relinquendus, quàm extrahendus; quoniam ob extractionem, certa ex laceratione, & discerptione vesicæ, sequitur mors; quæ vitari posset, curato vulnere, licet perniciosum inde futurum sit. Quod si vrgeant, extractionem adstantes, hoc cum prognostico mortis agendum fuerit. Medicus tamen primo casui est obnoxius, non secundo.

Cap. VIII. Quod *vesicæ inflammatio propriè accidat infantibus, causa lapidis*, hoc est præter experientiam, & rationem; nam si sequatur inflammatio, humores calidi ad vesicam fluere solent; si autem generantur lapides, potius affluunt frigidi, quàm calidi.

Cap. IX. Auicenna dixit, *in vesica inflammatione adesse febrem*. Paulus verò, *febriculam*. Aetius autem inquit, *febrem esse acutam*. Quare Auicenna medium vtriusque tuetur. At ratio dictat (quod testatur etiam experientia) febrem hanc esse acutam; si enim vigilant, delirant, vomunt biliosa, linguam habent nigram, doloribus, & pluribus prauis symptomatibus infestantur, nulli dubium esse debet, quin febris sit acuta. Paulus autem dixit, forsan *febriculam adesse*, respiciens ad principium, in quo omnia solent esse imbecilliora.

Cap. X. Galenus Lib. 6. Aph. Com. 36. insectatur Hippocratem, qui in inflammatione vesicæ monuerit, secandas esse venas cubiti interiores; cum eius sit sententiæ, vt in affectibus partium infra hepar existentium, semper secandæ sint inferiores. At contrariæ sunt validissimæ rationes; nam cum hepar copiosi sanguinis officina, & fons sit, basilica, ad tollendam plenitudinem, & refrigerandum corpus venit à principio secanda, per quam etiã reuulsionem magnam ab inferioribus partibus cõsequimur; hac autem peracta, tunc descendendum esse ad sectionem venarum inferiorum, iuxtà Gal. moneo; quoniam hinc postea habebimus euacuationem à loco affecto. Neq; hanc, secundum Auicennæ sententiam, quam in hac parte improbo, differrem ad declinationis tempus; quoniam declinante morbo, venæ sectionis minima est indicatio, cuius, potissima est, nec spernenda contra morbo augescente, vel consistente; à qua etiam incipere possemus, si plenitudo non adesset, vel multus feruor non vrgeret; quibus præsentibus, basilicam dextri brachij, non autem sinistri, vt docet Auicenna (qui in hac re nulla ductus ratione, laudauit potius sectionem basilicæ sinistræ, quàm dextræ) aperiendam esse moneo.

Quoad inijcienda intra vesicam, hoc sciendum, quod rarus est horum vsus; quoniam vesicæ inflammationi solet succedere lotij retentio, ex colli vesicæ coarctatione; si autem retinetur lotium, igitur nec quid intra admitti potest; cuius ratione forsan Aetius hoc præsidij genus nequaquam proposuit; quod tamen vtilissimum fuerit, si admittatur. Hoc autem monere volui; quoniam nulla vis est adhibenda in hoc auxilio.

Administrationis cucurbitularum, quarum vsum laudauit Aetius, sæuien-

te

te morbo; sed corpore iam euacuato nusquam meminit Auic. vel quia hoc non laudauit; vel quia neglexit.

Cap. XI. Quomodo *ad scissuram sequatur apostema durum in vesica*, difficillimum est deprehendere, & quidem præcipuè, cum ex Galeno Lib. 6. Aph. Com. 18. vesica discissa non coalescat, & ex Hipp. ibidem in Textu *vesica discissa sit lethalis casus*.

Cap. XII. Per *difficultatem vrinæ, & egestionis*, hic intelligere debemus, quod isti nō possunt nec meiere, nec egerere, sine magno conatu; nam quoad mictionem, cum durior sit vesica, non potest se omnino constringere, ad lotij eiectionem; quo autem ad egestionem, cum dura vesica incumbat recto intestino, non possunt dilabi fæces, sine magno conatu. Quare, hic per *difficultatem vrinæ*, non intelligamus stranguriam; quoniam falsa esset Auicennæ sententia.

Cap. XIII. Localia tantum docet, vniuersalia omittens, vel ea supponens; vel negligens. Præter autem medicamenta ab Auicenna proposita, sunt & clysteres, & emplastra, & fomenta, & præcipuè balnea.

Cap. XIV. In hoc capite docet, quæ scissura vesicæ sanari possit, videlicet, quæ sit in parte eius carnosa, ex qua sanata, putauit forsan Auicen. Cap. 11. posse succedere duritiem vesicæ. Sed duo huic sententiæ obstant. Primum quidem, quod discissa vesica appellatur ab Hippocrate, quæ integram scissuram patitur, non in altera tantum parte. Secundum, scissuram in parte carnosa non videtur posse subsequi durities vesicæ, si sanetur: nam ex cicatrice in vnica parte obducta, non videtur rationi consentaneum posse subsequi duritiem in tota vesica.

Cap. XV. Quod vesicæ vlcera faciant difficultatem vrinæ, satis liquet; sed quod *retentionem lotij* inducant, vt proponit Auicen. nec experientiæ, nec rationi consentit; nam in vlceribus vesicæ, apparet, patientes crebrius meiere, quàm consueuerint sanitatis tempore; nec potest æger dolorem refugiens, amplius lotium continere, quàm permittat ipsa vrina stimulans, quæ ratione vlceris non est apta intercludi; cum ad eius interceptionem, vel meatus impedimentum, vel vesicæ distractio, ex plurima copia requiratur, quorum nullum accidit ex vlcere.

Quod in patientibus vesicæ vlcus, *dolor sit in loco pectinis*, vt inquit Auic. non semper verum: nam cum vlcera possint, vel in fundo vesicæ, vel propè meatum vrinarium fieri, illa consequitur dolor circa pubem; vt docuit Aetius Lib. 11. Cap. 29. hæc autem dolor circa collum, & quidem tempore mictionis, videlicet vbi meiere ceperint.

Docet *communia vlcerum vesicæ, & renum signa esse mistum sanguinis, & saniei paulatim, & non subito*; non tamen signa distinguentia vtraque ab inuicem declarat, quæ proposuit Gal. Lib. 4. Aph. Com. 81. ex Hippocrate, dicens, *fætorem prædictis excrementis additum esse proprium vlceris vesicæ signum*; quod quidem magis proprium erit, si squamulæ simul excernantur.

Subiungit Auicenna *signa apertionis, scissionis, & corrosionis, & similium, cum sunt in ambobus simul.* At quomodo distinguantur, habetur ex Gal. Lib. 4. Aph. Com. 75. docente, *dolorem, & ea, quæ cum vrinis excernuntur, indicare,*

re,

re, an affectio sit in renibus, an in vesica.

Cap. XVI. Ad *mundificationem vlcerum*, laudat Auic. *aquam mellis, & zuccari, decoctam cum diureticis*. At cum diuretica sint vitanda, ex Aetio Lib. 11. Cap. 30. nec tuta sint, cum non expurgato corpore, maiorem copiam excrementorum ad locum affectum deducant, non possum admittere hunc potum, potissimum verò, cum sua sponte facile ad renes permeet, ratione dulcedinis, cuius causa suscipitur, & attrahitur statim ab hepate. Quare, hæc aqua, sine diureticorum mistione, ad absterfionem exhibeatur; vel potius *lac*, ex Aetio Cap. 29. & præcipuè *asininum, aut equinum*. Quod si maiorem abstersionem desideramus, exhibeatur *serum*, quod maxima quantitate ad hunc vsum, & ad expurgandum corpus est dandum, vt monet Galenus Lib. 6. de Salub. Diæta Com. 18.

Multa omittit medicamentorum genera, quæ hoc præstant; sed præcipuè vnum, cuius meminit Aetius, eius facultatis, vt si sanitati vnquam restituendi sint huiusmodi ægri, ab hoc id sit sperandum, scil. potus aquarum naturalium, ex quibus Aetius *Albulas* proponit. Verum, dummodo sint refrigerantes, & exiccantes, omnes conuenient, opportuno tempore; videlicet, vel Vere, vel Autumno exhibitæ.

Cap. XVII. Sufficiens signum ad indicandam vesicam scabiosam, fuit Hippocrati Lib. 4. Aph. 77. *Si in vrina crassa quædam furfuracea exeant*. Quo loco exponens Gal. quam crassam appellet vrinam Hippoc. dicebat, eam nominari, quæ *mediocris est substantiæ*. Si enim tenuis sit vrina, venarum affectarum, non vesicæ foret indicium. Quam Gal. & Hipp. sententiam non animaduertens Alexander Trallianus Lib. 9. Cap. 6. dicebat. *Si vrina tenuis substantiæ fuerit, & magis acris, scito vesicæ scabiem esse*. Auicenna autem, præter furfuracea in vrina existentia, apponit *vrinæ vstionem*, quod est signum commune ardori vrinæ. Addit & *fœtorem*, qui non scabiosæ; sed vlceratæ vesicæ, vt docet Gal. loc. cit. Lib. 4. Aph. 81. est proprius; addit & *vehementem pruritum*, existimans, quod sicut à scabie externa fit pruritus in cute; ita in scabiosa vesica eundem excitari. At hic affectus in vesica non est affectus pruriginosus; sed potius dolens; licet communicata materia imo ventri, ac pectini, in ijs succedere possit pruritus, propositus ab Aetio, qui non in vesica, sed in parte exteriori pruritum adesse scripsit. Ad cuius exemplum, si Auicenna diceret, in scabiosa vesica adesse pruritum, vtique à veritate non longe recederet.

Cap. XVIII. Potissimum in hac curatione remedium est corporis à salsis, & acribus humoribus purgatio, quæ fiat per contemperantia medicamenta, qualis fieri potest per lac asininum copiosè epotum, per serum caprinũ pariter, & per cassiam, & per ea quæ huius sunt classis medicamenta. A quibus totum, & vtile erit ad ea, quæ respiciunt affectum in vesica existentem opportuna pharmaca deuenire.

Quod dicit Auicenna de *frumento cocto*, Græci dicunt de similagine. Similago autem, quæ est pars frumenti magis pura, erit opportunior frumento integro; cum hoc sit crassius, & magis excrementitium, & concoctu difficilius; quæ omnia mala vitanda sunt in vesicæ affectibus.

Cap.

Cap. XIX. Licet Galenus meminerit tantum animi defectus; non tamen excludit syncopen, vt facere videtur Auicenna, qui ad sanguinis grumos, dicit accidere *approximationem, & propinquitatem syncopis*. Sed non tantum his syncope succedit, vt apparet ex dictis Galeni, cum inquit Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 4. *Et laborans ipse cum anxietate resoluitur*. Et Lib. de Cibis Mali, ac Boni succi, cum ait. *Ac pene exanimatur*; sed etiam, vt apparet ex concomitantibus symptomatibus, quæ non tantum syncopen, sed etiam mortem attestari queunt.

Quoad pulsum, inquit Auicenna. *Et pulsus cum frequentia*. At non solum pulsus est frequens; sed est etiam parvus; nam dicebat Galenus Lib. de Cibis Boni, & Mali succi, *pulsus imminuitur*. Et loc. cit. Lib. de Loc. Aff. dicebat. *Pulsus verò parvus, obscurus, & frequens apparet*. Quare, ad rectum intellectum, verbum illud *paruitas* referendum est ad anhelitum, & ad pulsum; ita vt dicat. *Et paruitas anhelitus, & paruitas pulsus, cum frequentia*.

Cap. XX. Exhibet Auicenna *syrupum acetosum*, & propriè *scylliticum*, ad prouocandũ vomitum. Sed quid iuvat prouocare vomitum in hoc casu; cum ex hoc nulla revulsio possit fieri à loco affecto, nec per concussionem corporis possint grumi dissolui? Quare exhibeantur ista; at non ad prouocandum vomitum; sed ad dissoluendos grumos; nam & Græci ipsi exhibent ad hæc, oxymel scylliticum, & ea quæ recipiunt cinerem caprifici, quæ consulit Auicenna danda esse ad prouocandum vomitum. Sed forsan Textus est corruptus, & legendum est, *Et vt dissoluat cum eo*; vel vt per *vomitum* intelligat dissolutionem, & excretionem grumi; alias non ita probanda est eius sententia.

Cap. XXI. *Quoad mollificationem vesicæ*, monet Auic. *succedere quandoque vrinæ difficultatem; quandoque autem inuoluntarium exitum*. Quò autem pacto hæc duo opposita symptomata contingant, nec declarauit, nec etiam animaduertit; quod fecit & Paulus, qui Lib. 3. Cap. 45. confusè, non explicatis causis, dicebat. *Vesicæ resolutionem, nunc vrinæ difficultas, nunc spontanea ipsius emissio comitatur*. At causæ horum diuersorum symptomatum erant cognoscendæ, ac declarandæ, si recta curatio aggredienda erat. Quæ à me ita explicabuntur. Vesicæ duo neruorum genera inseruiunt; alterum quod ad vesicam à spina exortum in eius substantiam, ad deferendum sensum inseritur; alterum verò, quod ad musculum sphincterem, collum eius ambientem perueniens, confert ei vna cum sensu, motum, per quem possit, & laxari, & constringi. Si primum neruorum genus, quod ad vesicam pertinet, resoluitur, sequitur vrinæ suppressio; quoniam cum naturalium partium (vt habet Lib. 1. de Loc. Aff. Gal.) virtus expultrix non excitetur, nisi ea irritata ab excrementis, si eius sensus tollatur, nec proinde excrementorum molestiam sentiat, non excitabitur facultas naturalis expultrix, ad expulsionẽ, sequitur, quod facta paralysi neruorum in vesicã insertorum, ad ipsius vsũ, & inde eius sensu deperdito, non amplius excitetur facultas naturalis ad expellendum lotium, licet eo sit repleta, vnde etiam magis ipsa vis expultrix labefactetur, prout fit in his qui negotijs distenti, diu lotio retento, non possunt postea id excernere, læsa iam ipsius vesicæ facultate constrictiua,

propter immodicam tensionem. Si autem alterum neruorum genus, quod ad sphincterem pertinet, paralysin patiatur, cum eius sit munus, complecti, & constringere collum vesicæ, ne continuò, sed ad libitum hominis excernatur lotium, hinc sequitur inuoluntarius vrinæ exitus, non amplius eo musculo suo munere fungente. Quæ omnia sunt Galeni Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 4. Ex quibus clarè liquet, quando ex mollificatione illorum neruorũ, modo meiendi impotentia, modò vrinæ inuoluntarius effluxus sequatur.

Cap. XXII. Auic. in curatione *mollificationis vesicæ*, expendit, an hæc sit cum inuoluntario vrinæ fluxu, an non; & hinc diuersam curandi formam tradit. At mihi sufficiat consideratio diuersitatis loci affecti, à qua si quid immutandum sit, indicationes desumendæ erunt: nam idem videtur affectus, cum nerui in vtroque casu sit paralysis. Quare & eadem conueniet curatio; licet pro diuersitate loci affecti aliquantisper sit varianda.

Cap. XXIII. Superius dixi, scabiem in vesica esse potius affectum dolentem, quàm pruriginosum; quod idem hic confirmatur ab Auicenna, dum inter causas doloris vesicæ enumerat scabiem.

Cap. XXIV. Debilitas in vesica est duplex. Altera ad expellendum; altera ad retinendum. Prima, cuius non meminit Auic. succedit paralysi neruorum in vesicam insertorum, & his qui negotijs detenti, diutius lotium, quàm debuerint, continuerunt. Secunda est cuius causæ hic explicantur ab Auicenna; qui tamen de vtrisque nomine imbecillitatis agere tenebatur.

Præter iam dicta de debilitate vesicæ, agit etiam de debilitate musculi ambientis vesicæ collum; quæ debilitas patet in nonnullis, qui excitati ad meiendum non ita prompti sunt ad laxandum hunc musculum; & ideo tardi sunt ad hoc munus obeundum, & à quacunque causa externa, etiam leui ab hoc opere prohibentur; vnde videntur aliquam meiendi difficultatem habere; quæ tamen non est vera difficultas; sed potius debilitas illius musculi, non ad amplectendum, sed ad laxandum, ob quam patientes sunt tardi ad mictionem, & ab ea impediuntur, si externa aliqua causa, vel verecundiam, vel timorem inducens, quæ duo accidentia magis laxant, eis superueniat. Ideo moneo, hunc Auic. locum esse aduertendum, potissimum verò, cum à nullo alio Auctore de hoc actum sit.

Cap. XXV. Hic flatus, *ventositas* ab Auicenna dictus, aut in cauitate vesicæ continetur; aut intra eius membranas. Primus casus facilè soluitur; quia hic facile discuti potest; secundus est difficilis; quia membranæ resolutioni obstant; sed longe difficilior est, si præter flatum, adsit etiam materia; quoniam vtriusque discussionem non ita facile consequi possumus, & præcipuè per calidiora; cum ab ea materia magis in flatus resoluatur; quo casu de materiæ peccantis euacuatione cogitandum erit.

Cap. XXVI. Si flatus sit absque materia, proculdubio nulla aderit grauitas. At rarò contingit, quod flatus perdurent, nec adsit materia; quo casu omnino aliquis grauitatis sensus aderit.

Cap. XXVII. Si adsint flatus sine materia, quodlibet medicamentorum calefacientium genus opportunum erit, ad eius discussionem; at si adsit materia, & præcipuè flatus, & materia simul concludãtur intra membranas vesicæ,

ficæ, non ita indiſcriminatim erit agendum; ſed ſecundum Gal. traditam normam Lib. 12. Meth. Cap. 8. in cura doloris alui, cum materia, & flatus ſunt incluſi intra tunicas inteſtinorum, abſtinendum eſt à calidioribus; quoniam iſta flatus agitando materiam augent; tuncque hanc præparari, attenuari,& educi conueniet, medicamentis, anodynis, & parum diſcutientibus, donec materia attenuata diſcuſſioni parata fuerit.

Fen Decima Nona Tractatus I. Cap. II.

Cap. I. CONſentit Auicenna Galeno, quod veſicæ munus ſit vrinæ expulſio, facta *quia conſtringit ſe ſupra vrinam*, vnde aperto meatu eã expellit. Id tamen auſi ſunt negare Recentiores, argumento, quod ab ijs, qui ob calculum ſecti ſunt, quod ſcil. vrina in his, nullo propellente, aut excernente elabitur, & ſuopte impetu foras excidit. Quare cenſent, veſicæ ad hoc nullum eſſe vſum. At quis negauerit, ventriculum conſtringi circa cibum, vel inteſtina circa excrementa contenta; quia his vulneratis, excidat cibus, & excrementa. Argumentum verò illud nullius eſt roboris, nec Galenum oppugnat, qui hoc opus dicit eſſe naturale, & proprium veſicæ; hoc confirmans ex hiſtorijs patentibus, ex quibus conſtat, læſa facultate contractrice, ob immodicam tenſionem, ex diuturna copioſæ vrinæ retentione, vel quia ſenſu caruerit veſica, vel patiens negotijs detentus, ad excernendum lotium non ſurrexerit, non potuiſſe poſtea lotium à veſica excerni, licet patiens laxato muſculo ſphinctere hoc tentauerit.

Cap. III. Verba illa. *Et iterum ægritudines eliquantes corpus non referuntur ad cauſas ardoris vrinæ; ſed ad cauſas conſumentes illas humiditates, à quibus generatis in carnibus glandoſis, lotij acredo remittitur*, mutuatus eſt ex Gal. Lib. 14. de Vſu Partium Cap. 11.

Cap. IV. Mirum quomodo Auicenna non meminerit, in cura ardoris, ex acredine lotij prouenientis, potus lactis; quod ab alijs commendatur, & quod contempetando valde vtile eſſe poteſt. Mirum etiam, quomodo non diſtinxerit ardoris, ex bilioſis humoribus, curationem ab ea quæ conuenit ei, quæ fit ratione pituitæ ſalſæ. Mirandum item, quod cum lotium acre reddatur ratione intemperiei alicuius membri, non docuerit, contemperandum eſſe membrum illud, vt inde lotij acrimonia remittatur; quæ omnia aduertenda ſunt ab his, qui recta methodo curare ſibi proponunt.

Cap. V. *Parcitas lotij*, præter ea quæ ab Auicenna propoſita ſunt, fit à febribus ardentibus, dum corporis humiditates, tum naturales, tum excrementitias aliquando abſumunt. Atque adeo habemus, in huiuſmodi febribus paucitatem lotij pravum eſſe ſignum; quoniam hoc eſt indicium caliditatis humiditates abſumentis.

Cap. VI. Inter cauſas debilitatis veſicæ, recenſet frigiditatem, aut calorem externum. At Galenus Lib. 3. Aph. Com. 16. docuit, ab omni intemperie poſſe reddi imbecillam veſicam. Quare addantur etiam qualitates paſſiuæ.

Recenſens *cauſas retentionis vrinæ, ex parte meatus*, enumerat *conſtrictionem meatus, factam ex vehementi calore; ſicut accidit in febribus adurentibus*. At quoniam

niam calor febrilis ad hanc retentionem inducendam, non tanquam morbus; sed tanquam causa antecedens concurrit vti, sciant Medici, in curatione huius affectus, à quibus curatiuæ indicationes, vt opportuna adhibeantur medicamenta, desumi debeant, declarabo, qua ratione in febribus adurentibus, ex violentia caloris intensi inducatur affectus, retentionis lotij causa. Sciendum igitur, quod cum febres ardentes, vi caloris vehementioris corpus nostrum tabefaciunt, duplici ratione lotij suppressionem inducere aptæ sunt. Prima est, quia nimis corpus exiccantes, nimis etiam meatum vrinarium, & collum ipsius vesicæ exiccant, ex qua immodica siccitate, cum conniueat collum ipsum, est causa vt lotium supprimatur. Et de hac Galenus Lib. 3. de Symptom. Cauſ. Cap. 2. egit. Secunda ratio est, quoniam quandoque à febrium ardentium immoderato calore ita superatur, & euincitur calor naturalis vesicæ, quem ob innatam temperiem, minimum alias habet, ac proinde ad extinctionem satis paratum, vt inde refrigeratio vesicæ sequatur, discusso, & expirante ab eo, qui præter naturam est, naturali eiusdem calore; ex qua refrigeratione, vel quia ex huiusmodi intemperie, expultrix vesicæ facultas facta sit imbecillis; vel quia non sentiat molestiam, sensu priuata, ob refrigeratum nervum, succedit vrinæ suppressio; quam docuit ita fieri Galenus Lib. 2. Prorrh. Com. 16. explicans sententiam Auctoris, dicentis. *Vrinarum in morbis acutis, ex refrigeratione interceptiones, pessimæ.* Hæc igitur aduertantur, vt occasione data, noscat Medicus, non à calore, qui concurrit vt causa præcedens, sed à proximis, & immediatis prauis dispositionibus desumendas esse curatiuas indicationes.

Inter causas *oppilationis meatus, per communitatem,* enumerat *repletionem recti intestini, ex plurima fæce sicca.* At hoc non respondet experimento, vt videmus in his, qui per plures dies nihil egerentes, non tamen in lotij retentionem incidunt; nec etiam hoc rationi consentit, cum fæces illæ possint quidem comprimere vesicam, sed non collum vesicæ.

Quod *dolor hæmorrhoidum, vel rhagadiæ dolorosæ*, possint esse causa suppressionis lotij, est purum mendacium; nisi dolor sit ex inflammatione, vel alio tumore simili, communicato collo vesicæ.

Casus ille *retractionis testiculi ad mirach* est purè imaginarius; nam cum retrahitur ad mirach, retrahitur supra os pubis, nec potest attingere collum vesicæ, vt inde illud occludat. Atque ego vidi maximas testium retractiones, nec tamen inde factam lotij suppressionem.

Obseruatio

Quod *dolor, propter vlcera in meatu, sine eius oppilatione,* possit *suppressionis lotij esse causa, refugiente ægro à dolore*, est admodum absurdum; cum ex hac causa possit quidem retardari quandoque mictio; sed non supprimi: licet enim ad mictionem concurrat, parte aliqua voluntas, non tamen mictio est purè opus voluntarium; vt docebat Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 4. declarans, lotij excretionem, nec totam esse voluntariam, nec totam naturalem, sed partim naturalem, & partim voluntariam, vnde licet voluntas, *refugiente ægro à dolore*, declinet ad retinendum lotium; tamen vrgente vrina, insurgit necessario virtus naturalis ad excretionem, cui etiam necessario voluntas obtemperat, laxans sphincterem, licet non sine dolore; quoniam hæc omnino

no naturæ excernenti reluctari nequit.

Docens, quomodo ex parte sphincteris musculi fieri possit vrinæ retentio, inquit, hoc contingere, *aut propter intemperiem, aut apostema, aut paralysim, quomodocunque causatam*. At scimus ex Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. intemperiem, & paralysim huius musculi facere ad lotij, non suppresionem, sed inuoluntarium fluxum. Quo autem ad apostema, si ab hoc comprimatur vesicæ collum, casus contingere potest.

Quomodo *ex parte membri mittentis* retineri possit lotium, docens, monet fieri hoc posse, *tum ratione renum; tum ratione hepatis*. Quo pacto fiat hæc retentio, ratione renum, alias declaratum est; at quomodo hoc contingere queat ratione hepatis, nondum patet; cum mala hepatis dispositio, ad hydropem inclinans, possit quidem esse causa vt minori quantitate quàm par sit, lotium excernatur; sed quod inde supprimatur, nequaquam.

Cap. VII. *Signum mollificationis lacerti*, proponit *debilitatem prouocationis, absque impetuoso exitu vrinæ, & vt sentiat, quod res intrinseca non est obediens expressioni, & compresio educit eam.* At si per *mollificationem*, intelligit Auicenna, pro ipsius more, paralysim, hanc, vt dictum est ex Galen. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 4. sequitur inuoluntarius vrinæ fluxus, non debilitas prouocationis. Sed cum huic musculo aliquando non paralysis; sed quædam imbecillitas accidat, de qua etiam superius verba feci, tunc duplex eius munus propriè labefactatur. Primum quidem, vt ad lubitum laxaretur; secundum, vt quod in Cole, ex mictione vrinæ relinquitur, ab eo cum impetu protrudatur; quod duplex munus, cum redditur imbecillis hic musculus, deprauatur; nam non facile ad lubitum, sed cum aliqua difficultate, & resistentia laxatur; nec peracta mictione amplius potest, si quid superest vrinæ in meatu vrinario, exprimere. Quæ duo symptomata cum proponantur ab Auicenna, pro indicijs *mollificationis* huius lacerti; ideo per *mollificationem*, non paralysim, sed imbecillitatem dictam intelligere debemus. Dicebat enim, quoad primam, quod huius *mollificationis primum indicium est debilitas prouocationis, absque impetuoso exitu vrinæ*, idest, quod tarde laxatur, vbi fuerit prouocatus à lotio irritante, nec cùm impetu ad suum opus producendum insurgit. Quoad secundam dicebat, *eum sentire, quod res intrinseca non est obediens expresioni*, idest, quod non potest exprimere reliquias vrinæ; & ideo subiungebat, quod *compresio*, idest, quæ fit manu, *educit eam*.

Docens, quomodo ratione renum retineatur vrina, inter cætera dicit. *Et si illic est grauitas vehemens, tunc illic est vrina retenta*. Sed quando sit grauitas, & quando absit in hac vrinæ suppræsione, nunc non differam, cum de hoc argumento alias exquisitè scripserim.

Cap. VIII. *Si causa nocumenti sit humor, aut sanies*, tunc inquit Auicenna, *oportet vt curetur cum aperitiuis, & diureticis fortibus*, &c. At per hæc non absoluitur curatio ista; nam licet motus hic naturæ iuuandus, aperitiuis, & diureticis esset; attamen quoniam sanies semper quid mordacitatis habet, & humores etiam possent esse acres; ideo mea sententia, illa non sufficiunt; quoniam Medicus etiam debet prospicere ne materiæ illæ delabentes per interna illa vasa, vel corrodendo, vel exasperando, quid mali inducant.

Quare, prȩter prædicta, Medicus etiam contemperantia administrare debet, & vt materiam permeantẽ temperet, & vt vias, per quas ea delabitur, muniat. Nisi forsan, vrgente casu, ad validiora, tum aperientia, tum vrinam prouocantia sit deueniendum.

Cap. IX. Animaduertendum est, medicamenta, & modos ad vrinam prolectandam, ab Auic. proposita, solum facere, & conuenire, si lotium in vesica contineatur. Quod si supra vesicam supprimatur, alijs modis, & medicamentis, de quibus alias scripsi, agendum erit.

Cap. X. In causis stranguriæ, conuenit Auicennæ cum Galeno, ratione acrimoniæ lotij. At quod multitudo eiusdem possit stillicidium vrinæ inducere, solus docuit Auicenna, existimans scil. quod sicut multa vrina diu retenta facere potest ad integram vrinæ suppressionem; pariter possit etiam ab illa guttatim lotium excerni; si videlicet, non omnino, sed aliqua parte labefactata sit virtus vesicæ contractrix; potissimum verò, cum non perfectè hinc meatus comprimatur, & musculus aliqua parte laxari possit. Sed difficile est hæc omnia simul conuenire, cum si vel parum aperiatur meatus, omnis vrina facile excludi queat, non omnino ablata virtute contractrice, nec integrè clauso meatu.

Quod ratione vesicæ fiat *stranguria ex eius potentiæ retentiuæ imbecillitate*, satis constat ex Galeno. At, quod fieri possit *ex debilitate virtutis expulsiuæ*; solus docuit Auicenna; qui tamen in hoc veritatem offuscat: cum expulsiua irritata, in stranguria, sit fortis; debilis autem sit contentiua; & ideo nusquam huius meminit Galenus.

Cap. XII. Si Auicenna proprium caput de inuoluntario vrinæ exitu non tradidisset, dicendum forsan esset, quod in hoc capite eius curationem, vna cum curatione stillicidij vrinæ proponeret; cum dicat, quod *hæc ægritudo accidat causa frigoris, & causa paralysis*; quia paralysis est propria, & præcipua causa inuoluntarij vrinæ exitus; non autem stillicidij. Quare puto, vel Text. esse corruptum; vel pro, *paralysi*, intelligendam esse vesicæ imbecillitatem, propter quam retentiua eius virtus labefactatur.

Cap. XIII. Vnica est causa inuoluntarij exitus vrinæ, secundum Gal. scilicet resolutio musculi sphincteris. At Auicenna plures, præter dictam, alias addit, scilicet, *debilitatem vesicæ, non potentis continere diureticorum superfluum vsum, caliditatem plurimam attrahentem ad vesicam humiditates à reliquo corpore, nimiam coarctationem vesicæ, factam, vel à pluribus fæcibus, in intestinis contentis, vel ab vtero amplum fætum continente.* Ex quibus omnibus causis monet Auicenna, inuoluntarium vrinæ fluxum fieri. At vel impropriè sumpsit Auicenna, inuoluntarium fluxum lotij, per hunc intelligens omnem vrinæ fluxionem, quæ non fiat naturaliter, idest, quæ fiat, quia vesica non possit vrinam multam continere, & ideo *inuoluntariè*, idest, præter firmam patientis voluntatem, ad tempus debitum eam continere possit. Vel si propriè locutus est, in hoc errauit, prædictas causas enumerans; cum illæ tantum efficiant, vt patiens multam continere non possit vrinam, sed sæpius proritatur, & insurgit ad eam excernendam, præter eius voluntatem; non autem, quod inuoluntariè effluat; aliud enim est dicere, præter voluntatem;

aliud

aliud inuoluntariè: illud enim includit quidem voluntatem; sed abhorrentem, vel reluctantem, hoc autem nullam admittit. Quare, propriè loquendo, cum Gal. vnica est causa inuoluntariæ mictionis. Causæ autem relatæ ab Auicen. solum faciunt ad lotij excretionem, reluctante voluntate.

Cap. XIV. Inuoluntarium vrinæ fluxum, propriè dictum curans Medicus, an hoc factum sit ex nerui, vel musculi resolutione consideret, si enim ex nerui affectu hoc sit factum, spinæ potius, quàm ad sumen; si autem musculi ratione, ad sumen potius, quam ad spinam administranda sunt medicamenta. Quam curandi rationem negligens Auicenna, imperfectam docuit curationem.

Cap. XV. *Causam mictus in lecto* assignat *mollificationem lacerti*. Per quam *mollificationem*, si intelligit resolutionis aliquem modum, falsa eius sententia; quoniam hæc dispositio tum vigilando, tum dormiendo noxia est. At hic quæritur de his, qui vigilando nihil patiuntur circa lotium; cum tamen dormientes meiant in lecto. Cuius symptomatis nulla alia est causa, nisi debilitas virtutis contentiuæ musculi sphincteris, quæ prouenit ex nimia humiditate. Hæc enim virtus ab humiditate propriè labefactatur; & ideo pueri, qui humidiores sunt, facilè huic symptomati succumbunt. Somnus autem profundus, & imaginatio non concurrunt vt causæ; quia qui profunde dormiunt, & imaginantur se meiere, nisi humidiorem habeant partem hanc, & inde virtus contentiua sit languidior, non verè meiunt, sed concurrunt tantum ad hoc, vt qui hoc patiuntur facilius meiant in somno. Quare, curatio potissimum debet dirigi ad exiccationem huius partis; secundario autem ad prohibendam somni profunditatem.

Cap. XVI. Sicut Auic. non benè satis explicauit causas huius symptomatis, ita nec ètiam exquisitè docuit huius curationem, dicens, *curandos hos esse curatione mollificationis vesicæ, & destillationis vrinæ, & inuoluntarij eius fluxus*; cum vnico verbo potuisset ea explicare, monens exiccandum esse musculum istum.

Laudantur plura ab Auicenna, & à Græcis ad hunc affectum, maximè oportuna; tamen vnum solum ego proponam, cuius pulcherrimam noui experientiam, dignam quæ alijs palam fiat. Vesica porcina, vel ouilla exiccata, & puluerizata, exhibita laudatur ad eos, qui se permeiūt in somno, ab Aetio, & ab Archigene. Attamen experientia mihi constat, non tantum vesicas dictas, & dicto modo paratas; sed etiam bubulas elixatas ad idem valere; & præter id, ad eos etiam, qui de die, ob laxitatem musculi sphincteris vrinam continere nequeunt. Harum vesicarum optimè elixatarum, & coctarum datum decoctum, seu ius, ad quantitatem ℥. v. summo mane, forma syrupi, quinque, aut paulo plures dies, ad hoc valet, & optime confert.

Observatio.

Cap. XVII. Galenus, & cæteri Græci cum eo, vnicam tantum Diabetis causam assignauerunt, scilicet, nimiam renum excalefactionem, cuius ratione, validè, & citissimè attrahentes potulentam materiam, eam incoctam, & immutatam attrahunt; sed quoniam ex eadem intemperie languent, nec continere eam possunt, ideo etiam validissimè eandem excernunt. At Auic.

qui

qui ſæpè cauſas morborum nulla neceſſitate multiplicare ſolitus eſt, addit, Diabetem etiam fieri duplici alia ratione. *Primò ratione aperitionis viarum renum*; nam apertis his vijs, facile attrahitur materia, quæ attracta, ratione eiuſdem aperitionis, nō poteſt contineri, & ideo ſuccedit Diabetes. Secundò *ratione refrigerationis renum*; quia his refrigeratis, debilitatur virtus contentiua, cuius cauſa poſtea ſequitur iſte fluxus. At aduertendum eſt, Græcos in hac re abſolutam tradidiſſe doctrinam; & ideo Auic. fuiſſe ſuperfluū, nam quoad primam cauſam, clarè apparet, raritatem illarum viarum non poſſe eſſe cauſam Diabetis; quoniam hæc raritas facit tantum vt vrina non diutius contineatur in renibus. At in Diabete requiritur, præter incontinentiam, quod etiam attrahatur id, quod nondum eſt confectum, nec immutatum, quod fieri ratione *apertionis viarum* nequaquam poteſt. Quò autem ad ſecundum, liquet etiam Diabetem non poſſe fieri ratione frigiditatis renum; quoniam in Diabete adeſt virtutis attractricis robur magnum, à quo poteſt fieri attractio eius, quod nondum eſt confectum; at virtus attractrix maximè debilitatur à frigiditate; quæ licet poſſit labefactare renes, quo ad virtutem contentiuam; non tamen poteſt vim attractricem augere; quin potius, imminuere. Quare ſupereſt, vt ad mentem Galeni, & Græcorum, vnica tantum Diabetis cauſa aſſignanda ſit, videlicet ipſorum renum nimia caliditas.

Cap. XVIII. Laudatur ab Auicenna, *ſedere in tina aquæ frigidæ, tandiu, donec vehementer infrigidetur corpus*. At mea ſententia, periculoſum eſt hoc balneum; cum enim in Diabete, poſt principium, vires non admodum valeant, periculum fuerit ne tentantes remittere caliditatem extraneam, & præter naturalem renum, calorem innatum totius corporis extinguamus. Præterea, omnes conſulunt, vt materia deriuetur ad cutem, per ſudorem prouocantia. At frigidæ aquæ inſeſſus, & balneum, cutem conſtipantia, viam ſudori præcludunt. Quare mihi potius probatur balneum aquæ dulcis tepidæ, quod ſimul poterit caliditatem præter naturalem remittere, humores contemperare, & ſudorem prouocare.

Auicenna proponens curationem Diabetis à frigiditate, teſtatur ſe cum nunquam vidiſſe. Quibus verbis licet huius curam à Rhaſi exſcriptam adducat; tamen videtur fateri hanc rem eſſe parum probabilem, & parum experientiæ reſpondentem.

Cap. XIX. Multitudinis lotij quinque ſunt cauſæ. Prima eſt, quando per alias vias excrementa non excernuntur, vt fit hyeme. Secunda plurimus potus. Tertia renum caliditas. Quarta colliquatio ſuccorum, cum per vias vrinæ expurgātur. Quinta tandem, cum per vrinam motus criticus ſuperuenit. Auicenna vero addit *ardorem, & acuitatem lotij*, præterea *frigus*. At lotium ardens, & acre poteſt quidem præſtare vt ſæpius meiant patientes; ſed non ut plurimū lotij excernatur; niſi contingat, vt ex debilitate loci ad eum plurima confluant excrementa. Quoad *frigus* autem, ſi frigiditatem veſicæ intelligit, hæc non ad copiam lotij; ſed ad vrinæ incontinentiam facit; ſi autem intelligit frigiditatem totius corporis ex intemperie præter naturam, hæc potius facit ad paucitatem, quàm ad vrinæ multitudinem;

cum

cum hinc cruditates, membrorum calor, & viarum angustiæ inducantur. Quare superest, vt frigiditas, ratione ambientis, possit hoc facere.

Cap. XX. Locutus Auicenna de Capillitio, in quo simul cum vrina exeunt veluti capilli, incertus, an talis passio sit, vel renum, vel venarum, inquit. *Nam fortasse est causa eius debilitas digestionis venarum*. In qua sententia fuit etiam anceps, & dubius Galenus, immo inconstans; nam Lib. 4. Aph. 76. monebat, materiam pituitosam, & lentam, à venis transmissam ad renes, in ipsis capillorum formam adipisci, hæc habens. *Tali igitur humore in renibus aliquo modo vsto, capillis similes substantiæ generantur*. Lib. autem 6. de Loc. Aff. Cap. 3. aliter sentiens, adscripsit talem generationem venis, censens, non posse materiam dictam talem formam in renibus suscipere, his verbis, *Vt mirarer quomodo in renum spatio talia possent consistere; perinde probabilius mihi videbatur, in venis huiusmodi res procreari*. Et paulo inferius dicebat. *At vbi pilos meiendo excretos vidi, tum ex colore, tum ex mole, credidi dicentibus eos ex crassa lentaque materia, quam calor calefacit, exiccauitque in venis consistere*. Quare, sicut Auicenna fuit in reddenda hac causa anceps; ita & Gal. Sed Auicenna in vno lapsus est, quod à Galeno traditum, vel neglexit, vel ignorauit: vbi enim gignuntur hi capilli ex calore, vel in venis calefaciente, & exiccante; vel in renibus adurente, vt rectissime docuit Galenus, cum talis concretio à solo calore fieri queat, dixit Auicenna fieri hoc ex debilitate digestionis, vel venarum, vel renum. At hęc debilitas potius ab intemperie frigida, quàm calida dependet.

Cum inquit Auicenna, quòd *in mictu materiarum dictarum capillos repræsentatium, non est de timore, secundum quod terretur corpatientium*, vt cunque verum dicit; quoniam exiens illa materia nihil mali infert, vel portendit. Attamen casus non est omnino tutus; quoniam præsente ea materia crassa, & lenta in venis, quæ habet motum ad renes, possunt facillimè renum obstructiones, quæ ex se sunt periculosissimæ, vt alias docui, succedere. Quare, si non ratione læsionis essent curandæ, saltem ratione morbi, qui succedere possit, non sunt negligendæ.

Cap. XXI. Tenuitatis sanguinis nullum habet indicium quàm *ex aspectu sanguinis per phlebotomiam extracti*. At multæ sunt coniecturæ tenuitatis sanguinis intra venas existentis: qui enim habent viscera obstructa, & debilia, solent aggregare sanguinem ichorosum, & tenuem; qui etiam in cachexiam sunt proni, & qui plurimo vtuntur potu aquoso, & cibarijs humidioribus, solent eiusdem generis sanguinem accumulare, qui præter tenuitatem, ad frigidum declinat. Alij autem habent sanguinem calidiorem, & tenuem simul, qui cum intemperie calida hepatis humidioribus, tum potibus, tum cibis, non frigidis tamen indulgent.

Distinguens sanguinem per lotium excretum, ob debilitatem renum, à sanguinolentis excrementis eductis ob debilitatem hepatis, inquit, quod *illa excretio, quæ est à renibus, est vehementioris albedinis; hepatica vero est magis trahens ad rubedinem*. At Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap 3. oppositum habet, dicens. *Est etiam alius renum affectus, quo, tenuis sanguinis sanies meitur, similis excrementis, quæ in hepaticorum affectuum initio exernuntur, nisi quod magis*

vide-

videtur cruenta. Hæc Galen. Si autem hæc sanies est magis cruenta, quàm excrementa ab hepaticis excreta; Si igitur hęc non erit vehementiori albedinis, vt inquit Auicenna. Sed præter Gal. testimonium, hoc idem quotidiana comprobat experientia; nam in huiusmodi renum debilitate conspiciuntur lotia magis cruenta, quàm excrementa hepaticorum; licet in hepaticis quandoque rubor sit clarior, qui alioquin in nephriticis solet esse coloris magis saturati, & ad intensiorem, non ad clariorem rubedinem declinantis; cum etiam quandoque sanguinolentum lotium soleat apparere fuscum. Quod signum aduertant iuniores, ne ex Auic. sententia decepti, in his signis indagandis aberrent.

Cap. XXII. In cura motus critici, per vrinam facti, si sit secanda vena, monet *secandam esse saphenam*. At cur non potius basilicam; nisi fluxus ille sit adiuvandus, & fouendus?

Curans mictum sanguinis, ad revulsionem, monet esse *faciendam ex basilica phlebotomiam subtilem*. Per hanc, intelligens sectionem venæ factam, vix ea aperta, vt subtiliter inde exeat sanguis, quo longiori tempore effluens, revulsio maior ad partes superiores fiat; quod præceptum obseruandum est, si non sit accelerandum; prout si fluxio non impetu irruat; nam vbi dat inducias, phlebotomia subtilis Auicennæ ex vsu quidem est; at si impetu irruat, quàm primum copiosa sanguinis missio est facienda; & quidem potissimum, si ad sanguinis mictum excitandum, plenitudo corporis concurrat.

Ad *mictum sanguinis ex vesica*, monet *medicamenta debere esse fortiora his, quæ exhibentur ad sanguinem è renibus exeuntem*. Et quidem iure; cum locus affectus in hoc casu magis, quàm in priori sit distans; sed cum addit. *Et diuretica in ea fortiora*, iterum posset esse dubia eius sententia: cum diuretica sint potius apta aperire, quàm claudere venas; immo omni sanguinis fluxioni sint, ob eius tenuitatem, & caliditatem, maximè infesta. Sed cum hæc laudat Auicenna, non ea sola assumpta commendat; verum adstringentibus admista, vt ea facile ad locum affectum deuehant, alias hæc affectioni non conducerent.

Fen Vigesima Tractatus Primus Caput I.

Cap. I. Sicuti Auicenna diminutus est in descriptione tunicarum testes circundantium; nam sunt illæ quatuor, duæ externæ, duæ internæ. Ex externis, prima ex cuticula, & cute efformata, dicitur scrotum. Secunda à panniculo carnoso ortum ducens à Rufo, Ephes. & Paulo Ægin. appellatur dartos, vel darton. Ex internis, prima elythroides, à Galeno Rufo, & Paulo, tanquam sit vaginale quoddam inuolucrum dicitur. Secunda quæ testiculum contingit, à Galeno albuginea dicitur. Ita etiam in descriptione vasorum seminalium valde est imminutus; cum vasorum eorum, in quibus reseruatur semen, ad vesicæ ceruicem vtrinque positorum, nullam mentionem fecerit, quæ vocauit Antiquitas Cyrsoides parastatas.

Auicenna Peripateticos secutus, per ea verba, in fine Cap. adducta. *Et desiderium naturale quandoque fit ei per cõmunitatem renum, & apud me principium*

eius est ex corde. Discrepat à Platone, & Galeno, qui pluribus locis, sed præcipuè Lib. de Placitis Hippocratis, & Platonis, hoc ex professo demonstrans, sensit, concupiscibilis animæ sedem esse in hepate, non in corde.

Cap. II. *Per ventositatem fortem,* si intelligeret Auicenna propriè dictam ventositatem, magis apti essent ad Venerem senes, quàm iuvenes, & magis feminæ quàm viri, & omnes qui debiliorem calorem innatum, quàm qui vegetiorem habent; quoniam in illis flatus sunt copiosiores, & validiores, quam in his, quod falsum est. Quare per *ventositatem fortem,* ad mentem Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. Vlt. intelligamus copiam spirituum, qui dilatato pene, & apertis vasis, ad ipsum ex arterijs copiosi effunduntur; quæ copia licet generetur à cibis, & medicamentis flatuosis, non propterea tamen in generatis inde flatibus consistunt illi spiritus; nam vbi ætas sit apta, nec corpus ex aliquo morbo langueat, sine vsu rerum flatulentarum, talis excretio sequitur, ratione copiæ spirituum naturalium, nulla concurrente portione nonnaturalium.

Quod quis ingenti desiderio feratur in Venerem, duplicem assignat causam. Alteram *quidem externam; alteram verò internam.* Per externam, intelligo eam, quàm ipse appellat *meditatiuam,* quæ ad hoc concurrit, cum imaginatio ab obiecto, vel præsente, vel remoto, sed imaginato accenditur, & excitatur. Per *internam* vero, intelligo sanguinem, qui concurrit pro materia seminis. Hic autem sanguis inquit ipse, huiusce desiderij est causa, cum plurimam ventositatem in se habet; tum quia ex eo generatur semen; tum quia ex eo nutritur instrumentum virgæ. Sed pro his aduertendum, quod quoad *ventositatem,* iam declarauimus quid per eam intelligere debeamus, & quod licet flatuosus sanguis multum faciat ad hoc opus, cuius ratione melancholici valde libidinosi sunt; tamen ad naturale desiderium facit copia spirituum naturalium optimè, dispositorum, & nulla inquinatione affectorum. Quod autem ex tali sanguine, ex quo generatur semen, nutriatur penis, falsum est; cum per alia vasa propriam habeat alimoniam, quàm per seminalia. Præterea, in quacunque ætate penis nutritur; non tamen quacunque ætate fit seminis generatio.

Cap. III. Quo loco effundant mulieres semen proprium non ita constat; cum Galenus dicat, vasa seminalia in feminis terminari ad cornua vteri, & inde in eius fundum ferri. Ad cuius mentem forsan illa Auicennæ verba, de hac re debent intelligi. *Et sperma quidem mulieris expellitur intra matricem eius, in vasis, & venis ad locum conceptionis.* Sed cum constet, mulierem vtero gerentem, dum Venere vtitur, etiam semen emittere foras, quo tempore adeo clauditur os vteri interius, vt nihil nec exire, nec ingredi permittat, clare apparet, feminam non ad fundum vteri, in quem locum etiam, vtero gerente muliere, effusum, potius damno, quàm vsui esset, semen emittere; sed potius ad ceruicem, extra os internum, ad quod plerique Anatomici iudicarunt vasa seminalia in mulieribus terminari; & ideo forsan est præferendus alter Auicennæ Text. qui habet. *Et sperma quidem mulieris expellitur ab interiori matrice, ex vasis, & venis, ad locum conceptionis.* Qui Text. licet videatur præcedenti similis; non tamen idem est; & videtur alludere ad id,

quod

quod in cauitatem vteri semen non emittatur.

In explicatione sententiæ philosophantium, quoad facultates seminis masculini, & feminini, declinat Auicenna in opinionem Peripateticorum, in hac re eis potius, quàm Medicis assentiens. Videtur enim cum eis, à femina excludere semen, & à mare non tribui semen ad corporis materiam, & formationem; quæ duo, non dixerim ratione, sed sensu falsa deprehenduntur.

Quoad sententiam Hipp. Lib. de Aere, Aquis, & Loc. quod *sectis venis post aures, steriles reddantur homines*, quæ fuit & Polybij Lib. de seminis genitalis natura; cuius ratione alias dubitaui, an hic esset genuinus Hippocratis, credo experientia facta hoc comprobatum fuisse; non enim alioquin celebres viri in re adeo manifesta, suam ita propalassent sententiam. Quo autem ad rationem, quòd sterilitas inducatur, quia cerebro per venas ipsas post aures, ad dorsum, & medullam spinalem, & inde ad penem perueniat semen, nullus ambigat hoc falsum esse; primò, quia à solo cerebro non transmittitur semen, sed ab vniuerso corpore reliquiæ vltimi alimenti transmittuntur, simulque attrahuntur à vasis semini dicatis, quo loco extremam suscipiunt manum; & formam. Præterea si à solo cerebro transmitteretur, potius censendum esset, per vasa interna, tum ad maiorem tutelam; tum ad maiorem perfectionem, cum in internis calor innatus magis vigeat, quàm per externa transmitti. Vnde autem hoc fiat, cum ratio ab Auctoribus dictis proposita non probetur, dixerim ego, hoc facile potuisse succedere, ob duas causas. Prima est, cum viri illi, sectis his venis sinerent sanguinem spõte fluere, ob nimiam copiam totus refrigerabatur habitus, resoluto fere omnino calore innato. Secunda est, quia in frigidioribus illis regionibus, ratione frigidi morbi, missus sanguis non poterat non esse valde noxius; hinc nimium refrigerato corpore, exhaustis spiritibus, & ferè extincto calore innato, cuius ratione, sæpius monuit Galenus, sub frigidissimo cælo, & in constitutione frigidiore abstinendum esse à venæ sectione, qua admissa, & refrigerato totius ambitu, non mirum fuit, si sterilitas succederet; cum ad fœcunditatem requiratur robur caloris innati, & sanguinis, ac spirituum vbertas. Quare, si præstantissimis illis viris, quoad hanc historiam, quid credendum sit, censeo illis, quoad esse assentiendum, non autem quoad propter quid.

Cap. IV. Præter signa ab Auicenna enarrata, adsunt alia calidæ temperaturæ testium à Gal. explicata, scilicet, fœcunditas, & masculorum generatio, atque in Venerem procliuitas, quorum opposita debent etiam addi signis frigidæ temperaturæ.

Cap. VI. Quod simpliciter dixit Auicenna, his verbis. *Et læditur à dimissione coitus superflua*, hac conditione expressit Galenus dicens. *Quod si satis excreuerint, & caliditas, & humiditas adfuerint, non sine detrimento à Venereis abstinent.*

Cap. VII. His signis, ex Galeno, addendum est, quod præterquam tardè rem Veneream exercere incipiunt; nec etiam procliues ad hunc actum sunt. Insuper, præter signum de *paucitate impragnationis*, addendum est ex Galen.

quod

quod in hac temperatura, ſemen, vel eſt infœcundum, vel ſi ex eo fit generatio, eſt potius feminarum, quam marium.

Cap. X. *Coitus bonus eſt ille, qui fit in hora, qua ſuperfluitatum ſequitur euacuatio*, inquit Auicenna. At ratio dictat, ſuperfluitatum excretionem potius præcedere debere, quàm ſubſequi coitum; nam coitus, præſentibus excrementis, noxius, & malus eſt: cuius ratione, Oribaſius Lib. 6. Collect. Med. Cap. 38. ex Rufo exſcribens, *damnabat eos coitus, qui ſub aurora fiunt; quia neque excrementa, neque vrinas homines emiſerint, neque aluus deiecerit*; ac ſubiungens dicebat. *Ac concumbere cum excrementis malum*. Quare ſuſpicor Textum eſſe corruptum, & loco vocis, ſequitur, debere legi, præcedit, ita vt hæc ſit vera lectio. *Coitus ille eſt bonus, qui fit in hora, quam ſuperfluitatum præcedit euacuatio*.

Monet Auicenna, *plurimorum, quorum complexio requirit coitum, cum ipſum dimittunt, infrigidari corpus, & in eis fieri malignas diſpoſitiones, & cibi appetentiam cadere, ita vt cibum aſſumendo, etiam ipſum euomant*. Quæ ſententia exſcripta eſt ex Galeno Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. quo habet, *ex ſeminis retentione, & ex abſtinentia Veneris, nonnullos, qui ſemine abundantes, Veneri plurimam operam dare aſſueti erant, capitis grauitate tentari, cibos faſtidire, febribus obnoxios reddi, torpidos, pigroſque fieri, mæſtos, & melancholicos euadere, concoctionem vitiatam habere, vbi cogentes ſe plus cibi ingerant, protinus ad vomitum excitari*. Quæ omnia Galenus docet ibidem, non ex copia ſeminis retenti; ſed ex eius corruptione, & quia vitiatur, prouenire. Cuius ratione apparet, cur in aliquibus hæc ſymptomata contingant; in aliquibus autem nequaquam; nam in quibus ſola adeſt copia, nec vllum vitium in ſemine, his non conflictantur accidentibus; ſed ij tantum, in quibus ſemen corrumpitur, & vitiatur. Cur autem potius in his vitietur ſemen, quàm in illis, innuit Galenus, dicẽs, hoc præſertim fieri in his, qui ſuapte natura vitioſis abundant humoribus; quales enim ſunt ſucci, tale eſt ſemen; cum ſemen ex ſanguine producatur; vnde facile corrumpitur ſemen retentum in his, qui vitioſis ſcatent humoribus; quoniam ex mala ſuccorum diſpoſitione facile corrumpitur, & inde alienam à naturali concipit naturam, ob quam tanquam à venenata materia, virtutes naturales, & animales in his labefactantur, non quia, vt forſan in hoc caſu intellexit Auicenna, à pura intemperie frigida refrigeretur; ſed quia à mala, & praua ſeminis ex corruptione concepta qualitate, quæ naturam veneni ferè ſapiat, infectum corpus, prædicta patiatur mala: quod etiam inferius Auicen. affirmans, ex hoc ſemine poſſe eleuari vaporem venenatum ad membra principalia fatetur.

Cap. XI. Inter ſigna mala, conſequentia immoderatam Venerem, enumerat *prominentiam oculorum ad exteriora, ſicut accidit in ſeparatione animæ à corpore*. At ſicuti ex Hippoc. Lib. 1. Progn. Tex. 10. potius apparent in morientibus caui oculi, quàm prominentes; tum ob conſumptionem partium carnoſarum; tum ob debilitatem caloris natiui, non ſe effundentis ad exteriora; quæ duo cum pariter conſueuerint ſuccedere ex plurimo, & immodico coitu; pariter in his potius caui oculi, quàm prominentes apparere debent. Exemplo etiam illud de morientibus hoc addatur, quod in his tantum, qui præfocantur, vt docet experientia, ſolent apparere oculi prominentes;

cum in cæteris potius sint caui.

Monet, *Mulieres, quæ abortum patiuntur, vitare coitum*. Quæ sententia vera est de superfluo coitu, & de eo, qui fit vltimis mensibus conceptionis; reliquis enim temporibus, si moderatus sit, non consueuit esse ita noxius.

Cap. XII. Ea verba, *quod sit vitandus coitus apud motum vrinæ, & stercoris*, confirmant Text. in principio capitis decimi, esse corruptam.

Cap. XIII. *Et sperma habentis membra læsa, raro generat sanum*, inquit Auic. At Lib. de Seminis genitalis natura, habetur oppositum, videlicet, quod mutilati, sæpius corpora sana, & integra generent, vbi hæc habentur. *Quod vero ex mutilatis integri, saniue semper fere nascantur; quoniam mutilatus omnia numero, vi, & facultate habet, quæ sanus, & integer, ea causa est.* Vbi autem generans membrum aliquod læsum habeat, affirmat posse ea parte, qua parens læsus sit, mutilum nasci fœtum; non tamen affirmat hoc vt plurimum accidere; immo si quotidianam experientiam spectemus, videbimus oppositum contingere; nam parentes, vel lusci, vel claudi, vel quid simile patientes, si plures filios generent, si vnus mutilus, vel læsus, ad similitudinem patris nascatur, multo plures sunt integri, & sani; quinimo sæpius videmus ex mutilis, & læsa membra habentibus oriri filios, qui nullum paternæ offensæ seruent vestigium, cum integri, & sani perfectè nascantur. Quare licet Auicennæ sententia aliquando; non tamen quoad eam conditionem, quod raro hoc contingat, vera est.

Cap. XIV. Quod *vrina habens fila, & ramos permista ad inuicem, sit indicium hominem Venere vsum fuisse*, est signum dubium, & incertum; quoniam in his, qui perfectè semen eiaculantur, nihil huiusmodi apparet; licet in his, qui patiuntur gonorrhæam, hoc obseruetur, nullo præcedente coitu; quod sæpe videre est in his, qui semine abundant, & vasa seminaria debilia habent.

Cap. XV. Si per *diminutionem coitus*, intelligit Auicen. vel ablatam, vel imminutam operationem, non est quod constituat diminutionis coitus causam, solam intemperiem siccam; quoniam hæc facit quidem ad paucitatem, & crassitiem seminis; non tamen ad ablatam, vel imminutam coitus operationem, licet quoad numerum, ob seminis paucitatem, frequentes coitus non admittat.

Ex parte vicinanti membrorum, inquit, *coitus diminutionem succedere ex hæmorrhoidum sectione, & ex ano doloroso, ob communionem neruorum communium inter anum, & lacertos eius, & virgam*. At ista communio neruorum, licet omnes ab osse sacro emanent, non est tanta, vt hoc læso, ille lædatur; cum differant inuicem. Præterea constat experientia, illa duo læsionem non inferre, nisi præsente dolore; quoniam contrahuntur illæ partes.

Cap. XVI. Verba illa. *Et quandoque est sperma exuberans facilis egressionis*, referuntur ad affectum virgæ tantum, non affectis vasis seminalibus, quorum adhuc viribus constantibus, generatur semen; cuius ratione irritatur patiẽs ad Venerem; sed eam exercere, ob pudendi mollitiem non potest; semen tamen si exuberet, aliquando facile egreditur. Cum autem subiungit. *Et quandoque descendit sine erectione*, vexilla, *quandoque*, refertur ad descensum, non ad erectionem; quoniam illud semen exuberans quandoque descendit, & quidem

quidem sine erectione. Quæ notasse volui, vt facile discernant Medici, quando Veneris impotentia procedat ex sola virgæ mollitie; nam in quibusdam mollitiem hanc patientibus aliquando leuiter erigitur penis; sed flaccidus admodum, qui tamen non emittit semen cum erectione; & ideo prudentissimè dixit Auicenna, *descendit*; quia non emittitur à facultate penis; sed spontè dilabitur, atque eo non erecto.

Tradens signa diminutionis coitus, causa testium, & membrorum seminalium, *si fuerit ob siccitatem*, inquit, *plurimum eius est cum extenuatione corporis, & paucitate carnis, & sanguinis.* Ex quibus verbis non est eliciendum, quod corporis habitus sequatur naturam testium, & vasorum seminalium; quoniam hoc falsum est; cum in habitu extenuato, & exucco possint prædicta membra humidæ esse temperaturæ; & contra in humido habitu possint esse siccæ complexionis, vt experientia testatur; licet illa inuicem plurimum se consequantur; & ideo iure dixit Auicenna, *plurimum eius est cum extenuatione corporis, & paucitate carnis, & sanguinis.*

Cap. XVII. Inter prouocantia, & iuvantia Venerem, enumerans *Mentham*, videtur contradicere Hipp. qui Lib. 2. de Diæta, siue Vict. Rat. loquens de Mentha, dicebat; quod *si eam quis sæpè comedat, semen genitale colliquefacit, vt diffluat, & arrigere prohibet, corpusque debilitat.* At hæc contradictio ex Gal. Lib. 6. de Simpl. Med. Fac. Cap. de Edyosmo, idest mentha facilè tolli potest, qui eo loco docet, mentham hortensem, ex cultura quandam acquirere humiditatem, qua ad Venerem mediocriter excitare potest; cum omnia, quæ humiditatem semicoctam, & flatuosam obtinent, talem habeant facultatem. Quare dicendum erit, Mentham hortensem, cum Auicenna, facere ad Venerem; syluestrem autem, cum Hipp. semen absumere & exhaurire, atque adeo Venerem prohibere; & quidem iure; cum calida in tertio gradu, & valde sicca existat.

Inter *coitum diminuentia, & impedientia*, recenset *vsum narcoticorum*; cuius experientiam, & ego vidi in Viro 35 annorum, qui cum in immani crurum dolore, nullo alio iuvante medicamento, deuenisset ad vsum opij sinceri, ex eo doloris quidem leuamen sensit; ea tamen obseruatione, vt quo die opium non assumeret, vehementissimè à doloribus infestaretur, ac proinde quotidie opium ad scrupuli mensuram assumeret; tandem obstupescentibus membris genitalibus, & seminalibus, adeo euiratus est, vt ne quidem imaginationem Veneris haberet: integris tamen reliquis facultatibus omnibus, præter quã ventriculi, qui malè appetens, malè etiam concoquebat. Vnum hoc addimus, quod mirũ videri potest, videlicet quod peruigil factus, somnũ breuissimum, & leuissimum habuit; quod forsan ratione siccitatis opij potuit contingere; cum tamen frigiditas haudquaquam cerebrum affecerit. Hanc historiam narrare volui, non tantum in confirmationem dictorum ab Auicennæ; sed etiam, vt rarior hic casus omnibus pateat, & vt homines admirari desinant, si nonnulli alicui vehementi medicamento assueti, ab eo non ita manifestè lædantur. Verum oppositum sententiæ Auicennæ habemus, Turcas scil. sumere opium ad excitandam, & multiplicandam Venerem; si autem ad Venerem facit, quomodo impedimento ei esse potest? At forsan

Obseruatio. *Obseruatio.*

ſub calidiori cælo, & in calidiori habitu hoc poteſt facere; atque adeo Turcæ, & Mauritani ad hanc rem poſſunt vti opio, & quod calidiores ſint, & quod ſub calidiori cælo degant.

Cap. XVIII. Inter prouocantia ſemen enumerat *ſemina caulium.* Quæ tamen ſunt ſuſpecta; cum naturæ ſint ſiccioris, & amari ſaporis, atque abſtergentem habeant, & diſcutientem facultatem; quinimò ex ipſo Auicenna, habẽt quandam contrarietatem ſemini humano; in proprio enim cap. de caule, inquit, quod *ſi ſemen caulis poſt coitum ſupponatur, corrumpit ſperma.*

Verba illa. *Et menthaſtrum hortulanum*, quod eſt Mentha, indicãt, Auicennam ſuperius, per *Mentham*, intellexiſſe hortenſem, non ſylueſtrem, vt ſuperius declarabam.

Cap. XIX. Vnguentorum calidorum, ad Venerem facientium, docet vſum Auic. Verum quoniam hæc omnia ſummè calida ſunt, non promiſcuus ſit eorum vſus, alias inflammationes, & eryſipelata prouocantur; vt comperi experientia. Quare vel temperentur, vt ipſe docet, in fine capitis; vel eorum rarior ſit vſus, non continuus. Quæ nouerit Medicus determinare, ſi ſubiecti materiam, & habitum conſiderauerit, & cognouerit.

Obſeruatio.

Cap. XX. *Suppoſitorium illud ex adipe Aſini*, quod *mirabile* teſtatur, Auicenna, ſuſpectum eſſe poteſt; cum natura Aſini ſit frigida, & inde eius pinguedo frigidior, cuius ratione, non viuunt Aſini ſub frigidiori cælo. Quod teſtatur Ariſt. Lib. 8. de Animalib. Cap. 25. dicens. *Impatiens frigoris maxime hoc animal eſt; quapropter Pontica, & Scythica terra Aſinis caret.* Si autem frigida eſt pinguedo hęc, quæ etiam ſicca, cum animal hoc ſit maximè terreſtre, & craſſiſſimo ſanguine abundet, quomodo ad Venerem facere poterit; cum talia debeant eſſe potius calida, & humida.

Cap. XXI. Damnat in principio capitis *frixa, quia prohibent confortationem carnis, & multitudinem nutrimenti eius.* Et hoc quidem iure; quoniam in frixis abſumitur humiditas nutritiua, quæ potiſſimum ad Venerem requiritur. At in fine capitis, laudat *piſces aſſatos, calidos*; cum tamen ex aſſatione pariter, ac frixura deperdatur humiditas. Quare, forſan erit aptior piſcium præparatio elixatione, quàm aſſatione.

Cap. XXIV. Inter potus facientes ad Venerem, laudat *aquam ferream, & aquam, in qua extinguitur ferrum; quia confortatiua eſt*; quas aquas etiam ſuperius cap. 18. probauerat. At ex Aetio, Lib. 11. Cap. 34. inter ſemen extinguentia, enumeratur *aqua fabrorum ferrariorum, in qua ferrum ſæpè extinctum ſit*; nec immerito, cum vim exiccandi, & adſtringendi obtineat.

Cap. XXV. Sicut *multitudinem deſiderij coitus*, quam omnia ſecundum naturam exiſtentia conſequuntur, *frangere non debet Medicus, nec ei reſiſtendum eſt à viro id habente*, vti monet Auicenna; ita illa appetentia, & immoderata ad Venerem procliuitas, quàm accidentia non naturalia conſequuntur, & quæ non ex naturali, ſed aduentitia cauſa procedit, frangenda eſt, & ei reſiſtere vir, & Medicus reluctari debent; licet hoc expreſsè non dicat Auicenna. Quoniam oppoſitorum oppoſitæ ſunt indicationes; & ideo paulò poſt huius curationem exponit.

Cap. XXVI. Vbi ratione *flatuum abundantium multiplicetur deſiderium coitus*,

cum

cum est caliditas vehemens, infrigidantia tandiu administrari iubet, donec caliditas extinguatur vna cum fortibus exiccantibus: si autem causa flatus sit frigiditas vehemens, monet *resolutiua ventositatum adhibenda esse.* At ingens calor non excitat flatus, nisi multa adsit copia materiæ frigidæ, à qua possint eleuari. Quare, potior foret curatio, vt prius educta materia flatulenta, postea remitteretur caliditas; nam à remisso calore cum præsentia materiæ, facilius generantur flatus, quàm ab exuperante. Quod etiam inflationis possit esse causa vehemens frigiditas, est contra Galenum, & Aristotelem, qui flatus à mediocri calore, non ab intenso, sicuti nec ab insigni frigiditate eleuari docuerunt. Vnde si à frigiditate excitetur hæc inflatio, hoc erit ratione remissi caloris, non puræ frigiditatis.

Cap. XXVIII. *Lentes* enumerantur ab Auicenna inter *frigida exiccantia.* At Gal. licet vbique sentiat, lentes exiccare; non tamen eas refrigerare simpliciter fatetur. Vnde Lib. 8. de Simpl. Med. Fac. Cap. proprio, ipsas exiccare in secundo ordine, medium tamen frigiditatis, & caliditatis possidere fatetur. At Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 33. paulo aliter de lentibus agens, eas nullo modo refrigerare censet; nam cum dixisset, hordeum, & milium certissime refrigerare, subdit. *Contrario autem pacto lens se habet; nullam enim refrigerationem præ se fert, aut statim comesta in superiore ventre, aut posterius in tenuia intestina, vel in crassiora delapsa.* Verum quoniam lentes habent partes quasdam terrestres, quarum vi astringere, & coercere fluxiones sunt aptæ, posset quis hinc arguere, lentes refrigerare. Galenus proposita hac difficultate, & examinans naturam lentium, post quàm hàs ex dissimilaribus partibus constitutas esse supponit, concludens hoc quæsitum, hæc habet. *Quocirca siccum quidem cibarium est lens, frigidum vero non, sicut neque calidum, sed ex vtroque mistum, ac medium, aut parum admodum à medio ad calidius abiens.* Ex quibus patet, lentes inter refrigerantia non recensendas esse, licet quidem inter exiccantia connumerari debeant; cuius facultatis ratione, ad absumendum semen assumi poterunt. Nec est, quòd oppositam adducas sententiam Hippocratis loco citato Lib. 6. Epid. Sect. 5. Tex. 33. propositam, qua numerantur inter frigidissima alimenta, lentes; quoniam Hipp. per *frigidissimum alimentum,* id intelligit, quod minimum nutrimenti præstat, paucissimumque sanguinem generat; qualia sunt, lentes, milium, & cucurbita ab eo enumerata; sicuti contra calidissimum intelligere debemus id, quod plurimum alimenti corpori præstat, ex quo copiosa sanguinis portio generatur. Non enim respexit Hippocrates eo loco, ad primas qualitates, sed ad alimentum, quod à cibo corpori subministratur.

Cap. XXIX. Inter *medicamenta calida, semen extinguentia,* enumerat *semen agni casti,* tanquam calidum, ad mentem Galeni Lib. 6. de Simpl. Med. Fac. Cap. proprio docentis, id semen calidum esse in tertio gradu. At Galenus sibi in hac re contradicere videtur; cum Lib. 1. de Alimentis Cap. proprio dicat, *semen viticis alimentum corpori præbere refrigerans.* Si autem refrigerans alimentum præbet, facultatis etiam erit refrigerantis, cum tale sit nutrimentum, qualis est cibus nutriens. At forsan Galen. Lib. de Alimentis, intellexit semen viride, cui, ratione viriditatis, multæ insunt partes crudio-

res, quod proinde pro cibo assumptum potest alimentum refrigerans præbere. In Lib. autem de Simpl. Med. Fac. loquitur de sicco, quod ad vsum medicamenti assumptum, omnino acre, & calidum existit. Sed de Viticis semine aliud notandum est; quoniam Galenus Lib. de Alimentis, cum docuerit, *semen cannabis, loco tragematis sumptum, post cœnam, caput ferire, vaporem sursum ad ipsum mittens, calidum simul, ac medicamentosum*; postea subiungit, de semine viticis locutus, quod *hoc caput non ferit; prout cannabis semen*. At Lib. cit. de Simpl. Med. Fac. docebat Galenus *semen viticis caput ferire*; immo docens modum, quo caput ferit, dicebat. *Nam quod caput tentat, non magis à multitudine vaporum, ab eo generatorum, quàm à caliditate eius, ac subtilitate partium fieri rationabile est*. Sed pro solutione huius dubij, sciendum est, Gal. Lib. de Alim. Fac. per ea verba. *Cæterum caput non ferit, quomodo cannabis*, non negare, semen viticis ferire caput, prout ferit cannabis; sed dicere, quòd semen viticis non tantum feriat, quantum facit cannabis semen. Verum de vitice aliam inter Galeni dicta apparentem contradictionem notare volo: nam Lib. de Simpl. Med. Fac. loco citato, scribit, folia viticis insigniter calida, & sicca esse. At Lib. 2. de Comp. Med. secundum loca, in examine medicamenti Archigenis, ex folijs lauri, populi albæ, & viticis, cum oleo, & aceto, scribit ipsa esse refrigerantia, dicens. *Et hoc pharmacum ex simplicibus facultatibus differentibus componit; lauri enim folia calidissima, viticis vero moderatè refrigerantia sunt, in medio vtrorumque populi folia sunt*. Sed idem, quod dixi de semine, dicendum est de folijs, videlicet, quod sicca sint calida admodum, vt gustus, & experientia testantur; at viridia, ob succum crudum, & humiditatem exuberantem, & præcipuè cum in his abundet pars terrea, vt apparet ex adstrictione, potius declinant ad frigiditatem; & ideo à Gal. dicuntur moderatè refrigerantia. Cuius ratione, etiam probantur ab eo Lib. Cit. ad refrigerandum caput calidius, dum medicamenta Apollonij examinaret, manifeste explicans, ea ad hunc vsum assumenda esse viridia, dicens. *Quod si & ab arboribus, & fruticibus auxilia ad caput præter naturam calidius petere oporteat, vitex conuenientior ad hoc existit, & Vitis, & lentiscus, & platanus, si quis eorum teneris germinibus acceptis, deinde tritis, ab ipsis succum exprimat*. Ex quibus patet, viticis folia viridia, sicuti etiam dixi de viridi semine, habere quandam vim refrigerandi moderatam, quam sicca amittunt, euaporata, & absumpta humiditate, & viriditate.

Cap. XXX. Titulus huius capitis duo comprehendit. Alterum quidem *multitudinem exuberantiæ spermatis*; quo nomine GonorrhϾ omnis causæ, signa, & curatio traduntur; alterum, copiam humoris, qui præcedit coitum, & qui vrinam, vel antecedit, vel subsequitur; sub quo intelligatur ille humor, qui ex adenoide parastate, idest, ex glanduloso corpore resudat, tum ad humectandas illas partes, & vrinarium meatum; tum ad easdem contemperandas. Cuius humoris sicuti hoc titulo meminit; ita eius causas expressas, & signa differentiarum, & curam particularem docere debuit; quod tamen neglexit, forsitan vel quia hæc cura coincidit cum cura GonorrhϾ; vel quia eam, cum hinc pauca humoris copia resudet, neglexit. Talis autem affectio in iunioribus, & qui ad Venerem sunt proni, sæpius appareT

paret

paret non quidem copia, sed sorditie molesta.

Cap. XXXII. Hic laudat *Mentham*, tanquam medicamentum nobile ad incrassandum semen,& ad roboranda vasa eius; in quem vsum tum syluestris, tum domestica valet. Nam cum semen est valde tenue, præferenda est syluestris; quoniam magis exiccat. Verum eius parcus sit vsus; quoniam vt dicebat Hipp. Lib. 2. de Ratione Victus, *frequens eius comestio facit ad tabescentiam seminis, & maxime naturalis*. Si autem semen non sit admodum tenue, sufficiet hortensis.

Cap. XXXIII. Causas *pollutionis nocturnæ* assignat *seminis exuberantiam, & eius motum in somno*. Aetius autem Lib. 11. Cap. 34. ex Philumeno, multo plures recenset, scilicet, vel vitiati humoris materiam, vel materiæ copiam, vel partium seminalium robur, vel in quibusdam, mœstitiam, aut inediam insuetam, quę causa eadem ac prima est; cũ ex his acrius redditum semen, ad excretionem, non ob vasorum robur proritetur. His omnibus censeo ego addendam esse vasorum seminalium imbecillitatem, & laxationem, analogia sumpta à iuuene illo Milesio, cuius meminit ex Rufo Ephesio Orib. Lib. 6. Collectaneorum Med. Cap. vlt. sub finem, qui vigilando, ad Venerem erat impotens, cum in somno multam seminis copiam profunderet; quod fieri docebat, *quoniam in somno interiora incalescunt, exteriora autem perfrigerantur, cuius oppositum in vigilia euenit*. Quapropter, in somno, calefactis partibus internis, facile poterat dormiens emittere semen, quod vigilans, refrigeratis partibus ijsdem, cum ad exteriora tunc temporis calor recurreret, id facere non esset aptus. Pari ratione igitur dico, in nonnullis fieri pollutiones nocturnas, ex debilitate vasorum seminalium, quæ quamprimum ex somno, concentrato calore, calefiunt, statim semen effundunt; cũ vim continendi imbecillem habeant, adeoque sint laxa, vt leui occasione proprium excrementum excernant; quemadmodum his contingit, qui habent ventriculum imbecillum, & relaxatum, quibus ex leui causa vomitus succedit. Hanc autem pollutionis causam, sicuti ex analogia dicta deprehendi; ita pariter id experientia fieri quandoque obseruaui.

Obseruatio.

Cap. XXXV. Quod *his, qui ex vsu Veneris læduntur, administrari debeant in potu refrigerantia, quæ semen disperdere apta sint*, non ita rationi consentit; cum ex læsionibus à Venere, præcipuè ventriculus labefactetur, & corpus refrigeretur. Quare ista non sint pure refrigerantia; sed temperata potius; qualia ex calidis, & frigidis componi queunt.

Cap. XXXVI. *Tremore superueniente*, monet, *vbi multa sit materia, euacuandum esse corpus, cum colocynthidis pulpa, ac cucumere asinino, & centaurea*. Sed mirum, quomodo Auicenna in accidentibus ex superfluo coitu superueniẽtibus audeat deuenire ad pharmaca validissima, & quæ prauæ sint qualitatis; cum in his, qui immodicè Veneri operam dederint, omnes vehementes euacuationes sint vitandæ, omniaq; valida pharmaca, & medicamenta sint ableganda; quoniam in his vires sunt dissolutæ, & membra principalia labefactata. Quare consulo ab his abstinendum esse; & si materia multa adsit, potius leuioribus repetendas esse purgationes, quàm validioribus.

Cap. XXXVII. Loquens de causis priapismi, inquit. *Et materia quidem huius vento-*

ventositatis est humiditas plurima, & efficiens ipsam est caliditas pauca. At sciendum est ex Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. Vlt. Cum priapismus ex duplici fiat causa, scilicet vel ob arteriarum oscula immodicè patentia, ex quibus spiritus ad penem confluunt; vel ob spiritum flatuosum, in neruo fistuloso excitatum, primi affectus, quoad causam efficientem, est calidior intemperies; secundi autem est caliditas imminuta.

Cap. XXXIX. In *curatione priapismi*, monet euacuandum esse per vomitum, & per sectionem venæ, & omnino abstinendum esse ab euacuatione per pharmacum, dicens. *Canon vero curationis priapismi, est euacuatio cum vomitu, & phlebotomia, absque ventris solutione omnino; propterea quod timetur, quod ventris solutio faciat descendere materias.* Quam sententiam exscripsit ex Gal. Lib. 10. de Comp. Med. secundum Loca sub finem, vbi hæc habet. *Quod si euacuatione vti libeat, per vomitum id fiat; quæ enim per inferiorem ventrem fiunt euacuationes, sæpenumero vicinas partes fluxione infestant.* Galenus tamen paulo aliter videtur locutus Lib. 4. Meth. Cap. 7. priapismi curationem explicans; nam cum enumerasset euacuantia auxilia, inter quæ & purgationem per alvum inferiorem, & per superiorem, scilicet per vomitoria recensebat, subiunxit. *Ergo quicquid horum sustinere cubans aptissime potest, eo est euacuandus.* Ex quibus verbis, in priapismo, si æger purgationem per alvum inferiorem sustinere queat, videtur eam probare Galenus; cuius tamen oppositum Lib. 10. de Comp. Med. secundum Loca statuerat. At illud verbũ, *aptissimè*, propositum à Gal. tollit omnem contradictionem; quoniam in priapismo cubantes purgationem per alvum inferiorem aptissimè sustinere nequeunt; quia procliuitas humorum ad partes inferiores sæpènumero vicinas fluxione infestat. Quapropter, cum hoc discrimine patientes aptissimè talem euacuationem tolerare nequeunt; & ideo hac ratione ibi potest dici talis euacuatio reiecta; sicut & reijcitur in priapismo euacuatio facta per balneum digerens, per acria medicamenta digerentia, per multam frictionem, & multum motum; quæ omnia licet vniuersum corpus apta sint euacuare, nihilominus in priapismo non admittuntur; quia hi patientes huiusmodi euacuationum genera, ratione morbi, aptè tolerare nõ possunt, licet ratione virium ea perferre queant; & ideo inferius Cap. 8. dicebat. *Quod autem in priapismo vomitorijs medicamentis potius, quam subducentibus alvum sit vtendum, in linguæ vitio, contra id, ex partium situ indicare manifestum est.* Ex quibus patet, Galenum vomitoria tantum probasse, deiectoria autem reiecisse.

Hæc Auicen. sententia. *Et oportet vt dimittat coitum omnino, & cogitationem in eo, & considerationem ad illud, quod mouet desiderium, nisi ille, cui accidit priapismus, propter dimissionem coitus,* omnino exscripta est à Galen. Lib. 6. de Loc. Aff. sub finem, vbi dõcens, quomodo nonnunquam ex abstinentia cõcubitus superueniat priapismus, narrat se amico, cui ex Veneris abstinentia penis rigidus, & tumidus admodum factus erat, consuluisse, vt collectũ iam genitale semen excerneret; postea ab his quæ libidinem prouocare possunt, abstineret. Quam eandem sententiam mutuatus Paulus à Galeno dicebat. *Nulli prædictorum Venus prodest, nisi quibus ex huius abstinentia semen*

abun-

abundare conijcimus. At cum priapiſmus, ex Gal. Lib. 3. de Sympt. Cauſ. Cap. 4. *ſit pudendi inuoluntaria tenſio*. Et Lib. 10. de Comp. Med. ſecundum loca, *ſit pudendi auctio ſtabilis, citra rei Venereæ appetentiam*; quod item affirmarunt Paulus, & Aetius, quomodo in abſtinentibus à coitu, rigido, & tento pene, poteſt dici priapiſmus? cum ex ſeminis abundantia excitetur appetentia ad Venerem; immo dicat Gal. ipſe, quod in his, qui plurimo ſemine abundantes, & præter conſuetudinem à coitu abſtinentes, nondum à libidinis cogitatione liberi euaſerunt, ſi ſanguinis copiam multa exercitatione non diſſipauerint, ſolet ſuccedere priapiſmus; & ideo conſulebat, vt amicus ille primo ſemen genitale collectum excerneret; ſecundo, vt à narrationibus, ſpectaculis, meditationibus, libidinem ſuſcitare valentibus ſummoperè caueret. Ex quibus clare liquet, in hoc caſu non excludi rei Venereæ appetentiam, quam alioquin omnino à priapiſmo Gal. Paul. & Aet. excludi docuerunt. Ad tollendam hanc difficultatem, ſciendum eſt, priapiſmum eſſe affectum, qui vnicam non habet formam: nam alius eſt cum dolore, alius ſine dolore; alius cum Veneris deſiderio, alius citra omnem rei Venereæ appetentiam; alius eſt morbus acutus, alius eſt longus; alius eſt propriè dictus, alius impropriè dictus. Priapiſmus ille proprie dictus eſt, qui nulla concurrente cauſa naturali, ſolum producitur à cauſis præter naturam, ſicuti, qui fit vel arteriarum, & vaſorum orificijs nimium ex cauſa præter naturam apertis, vel vaporoſo ſpiritu in fiſtuloſo neruo genito, vel palpitante pene, ex phlogoſi vaſorum ſeminalium, & ex eo rigente. De hoc tertio egit Paulus Lib. 3. Cap. 56. nomine ſatyriaſis. De duobus primis Galenus Lib. de Comp. Med. ſecundum Loca, ſub finem. & Lib. 14. Meth. Cap. 7. & Aetius Lib. 11. Cap. 32. & Paulus loc. cit. Cap. 57. Et hic priapiſmus eſt cum dolore. Vnde dicebat Paulus, quod *hoc affectu inualeſcente, in conuulſionem delabuntur, ac vt hi, qui conuulſi fuerint, celeriter intereunt*. Aetius vero dicebat. *Dolores eis, contingunt, quales tetanici habent, & hi, qui reliquis membris diſtenduntur. Inflatum enim, & diſtentum pudendum conuulſionis modo afficitur*. Gal. autem Lib. 3. de Sympt. Cauſ. Cap. 4. dicebat. *Tenſo vero quodammodo pudendo, quaſi cum conuulſione quid ſimile inſtrumenta patiuntur, euenit*. Hic autem priapiſmus eſt morbus acutus; vt apparet ex Paulo, cum inquit. *Iſti, vt hi, qui conuulſi ſunt, celeriter intereunt*. Et ex Aetio, cum ait. *Et ex præcipiti, hoc modo affecti pereunt*. Hic autem priapiſmus, qui proprie dictus, à cauſis præter naturam dependens, eſt cum dolore, & acutus, & ex Gal. Aetij, & Pauli ſententia, fieri citra libidinis appetentiam dicitur. Quæ ſententia an ſit ſimpliciter recipienda, dubium; quoniam ex Cælio Aurel. Lib. 3. Acut. Morb. Cap. 18. quo loco, nomine ſatyriaſis, de hoc affectu agit, de priapiſmo habemus, in hoc ingentem eſſe Veneris concupiſcentiam: inquit enim. *Sequitur autem ægrotantes vehemens genitalium tentigo, cum dolore, atque incendio, cum quodam pruritu immodico in Veneream libidinem vrgente*. Quod & experientia comprobauit, in viro quodam, qui ex aſſumptis medicamentis, Venerem prouitantibus, in priapiſmum incidens, Veneris concupiſcentiam, ſimul cum tenſione, dolore, & prauis alijs ſymptomatibus paſſus eſt. Quare cenſeo, Græcorum ſententiam non ſimpliciter, ſed

Obſeruatio.

vt

vt plurimum; Cælij autem Aurel. vtcunque veram esse; at forsan Græci, huius; Cælius autem Aurel. illius experientiam non habuere; atque adeo vniuersalem sententiam pro sua quisque opinione proposuit. Veritas tamen in hoc consistit, quod priapismus propriè dictus, sit morbus acutus, cum dolore, à causis omnino præter naturam dependens, qui plurimum contingit citra vllam Veneris appetentiam, aliquando tamen cum immodico ad Veneream libidinem impellente desiderio; in cuius causis recensendis omnes conueniunt; vel saltem non discordant. Priapismus autem impropriè dictus, ille est, in quo tumens, & rigidus factus penis, concurrente causa naturali cum his quæ sunt præter naturam, non succedit dolor, concomitante libidinis imaginatione; qui morbus potest esse longus, & ideo de hoc Cælius Aurelianus, tanquam de morbo diuturno egit, Lib. 5. Tard. Pass. Cap. 7. dicens. *Sine vllo dolore, vel consensu, tentigo veretri fit, & appellatur priapismus.* Dicitur autem, *sine dolore*, non quia simpliciter omnino hi non doleant; adest enim molestia, & quædam deprauata sensatio, ex nimia tensione, sed quia non adeo immani dolore, qui impropriè dicto priapismo contingit, affliguntur. Ad hunc autem inducendum concurrit quidem spiritus halituosi præter naturam nimia copia, & arteriarum oscula nimis aperta, concurrit tamen seminis etiam præter consuetudinem retenti exuberantia, quod ex retentione acrimoniam, & malam acquirens qualitatem, est causa, vt oscula arteriarum, præter naturæ præscriptum aperiantur, cuius causa, si præsens sit materia, ex qua flatus copiosi eleuari possint, maior fit morbus, & diutius durans, ita vt Cæl. Aurel. memoret, ex Demetrio, quendam pluribus mensibus priapismum passum fuisse, qui nullo medico remedio adhibito cedens, tardè, ac longo tempore tandem cessit. Eiusdem autem cōditionis fuit, quem passus est Amicus Galeni, qui rigidum, & tumidum penem, nec dolentem habuit, qui si adfuisset, eius certe meminisset Galenus. Demetrius autem dicebat, in eo sene fuisse priapismum, cum quodam dolore, quia non aderat insignis, & cum periculo. Hunc etiam priapismum libidinis cogitatio, & desiderium comitantur, quoniam adest seminis copia, hæc inducere apta. Ideo iure consuluit Galenus, in huiusmodi priapismo, primo excernendum esse genitale semen collectum; postea abstinendum ab omnibus his, quæ libidinem suscitare possunt. Quam sententiam suscipientes, Paulus, & Auicenna, præceptum illud tradiderunt, videlicet, quod in hoc tantum casu, videlicet, si priapismus sequatur intermissionem coitus, Veneris vsus conueniat, non animaduertentes tamen, hunc non esse verè, & propriè dictum priapismum cum impropriè dicto priapismo; Venus admodum noxia sit; vt docet Cæl. Aurel. loc. cit. & monet Paulus, hac animaduersione præter casum prædictum, & vt ratio suadet, quæ membra ægra ab exercitio quolibet, & præcipuè validiori abstinere iubet, ne ad ea inde maior fiat attractio materiæ, & ne eorundem insitus calor magis dissipetur, & resoluatur.

Obseruatio.

Obseruatio. Cap. XL. Hunc casum non tantum vidimus in maribus, sed etiam in feminis contigisse. Causam huius excretionis assignat Auicenna, *ingentem delectationem ex coitu; ob quam, facta spirituum resolutione, mollificetur sphincter, & inde*

inde exeant faces. At hæc causa est quidem sine qua non; quoniam absque præcedente delectatione non succederet hæc excretio; vnde in cæteris functionibus peragendis hoc illis non euenit; sed non est causa positiua huius affectus; qui fit propriè ex praua, & propria sphincteris dispositione; in his enim, qui humidiores habent has partes, & exquisiti sensus, cùm ob humiditatem magis laxentur; ratione autem sensationis, magis proritentur, admissa Venere, ex qua totum resoluitur corpus, laxatur etiam hic musculus, quo laxato, præsens materia facile ad excretionem, ob sensum eximium eius partis, ad exitum succedit; & ideo spirituum resolutio ex ingenti delectatione contingens facit quidem ad relaxationem totius corporis; sed ad hanc particularem euacuationem concurrit particularis illius musculi dispositio, quæ consistit tantum in laxitate, ex nimia humiditate proueniente; cuius ratione, forsan addit Auicenna ea verba. *Et plurimi ipsorum sunt mollium corporum*; alludens ad corporis humiditatem. Quæ tamen sententia non est simpliciter vera; quoniam plura sunt corpora sicca, quoad totum, quæ membrum aliquod particulare humidissimum habere possunt.

Cap. XLI. Ex his, quæ à me notata sunt, apparet, indicationem curatiuam eam esse, vt musculus ille exiccetur; quod si humiditati accesserit alia intemperies, illi etiam occurrendum, exiccando; quod non ita distinctè docens Auicenna, dicebat generatim, *administranda esse vnguenta, & emplastra styptica confortantia lacertos*.

Cap. XLII. Quæ tractantur in hoc capite adeo obscœna sunt, & abominanda, vt ne quidem Medicus ea, vt nec de quibus Cælius Aurel. Lib. 4. Chron. Pass. Cap. Vlt. egit, non dixerim legere; sed nec de his cogitare debeat. Quare, censerem hæc esse obducenda prout, & finem Cap. 11. ne doctrinæ ita corruptæ apud Artis nostræ Auctores prostent.

Cap. XLIII. Hermaphroditi, qui paria habent vtraque pudenda, parum Veneri apti sunt; quoniam virtus dispartita vni sufficere non potest; sed qui vnum validius habent, pro illius ratione possunt Venere vti. Vnde obseruati sunt, qui pudendum virile minimum habentes ex coitu conceperũt. Et hi sunt, qui præcipue curari possunt, abscisso pene, aut genitalibus; vt docet Paulus Lib. 6. Cap. 69. Qui autem opposito modo se habent, non ita curationi cedunt. *Obseruatio.*

Cap. XLIV. Si ad filiorum generationem tantum dirigantur à Medico curationes in infrascriptis capitibus traditæ, erũt quidem laudabiles, & Medico, qui hominum propagationem, & prolis successionem præ oculis habeat digna. At si in alium vsum conuertantur, res erit scelesta, & Medico, qui prout decet Medica opera exerceat, indigna.

Cap. XLVI. Notandum, quod hæc curatio in adolescentibus, & his qui consistentem ætatem nondum attigerunt, possit esse vsui; non verò in adultis, ætatis consistentis, vel ab ea declinantibus.

Fen Vigesima Tractatus Secundus Cap. I.

Cap. I. MOnet Auicenna, *apostemata testiculorum deleri per superuenientem tussim; quoniam materia à testibus permutatur ad Thoracem.* At licet inter membra spiritalia, & testes sit consensus manifestus; vt docet Gal. Lib. I. Epid. Sect. I. Com. 15. indeque fiat vt aliquando abscessus in testiculis subortus tussim sanet; vt habetur ex Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 2. Com. 14. non tamen ita admitti videtur casus oppositus, videlicet, quod materia abscessum in testibus producens ascendat ad pulmonem, & inde tussim excitet; nam in illo materia est in motu, & sui natura potest in decliuiorem partem delabi; at in hoc materia est conculcata, nec facile recurrere potest, & ascendere ad superiores partes. At Hipp. id comprobante experientia, fieri quandoque, recurrente materia à testibus ad thoracem, affirmauit Lib. 2. Epid. Sect. I. Tex. II. dicens. *Neque tusses diuturnæ; quoniam vbi testis intumuit, cessant, & testis tumor à tussi cessat, & subleuatur.* Ex quo loco potuit forsan hæc exscribere Auicenna.

Cap. II. Secandam esse venam in apostematibus testiculorum docet, hoc animaduertens, *quandoque necessarium esse, post phlebotomiam venæ manus, vt secundo mittatur sanguis ex saphena.* Paulus autem Lib. 3. Cap. 54. monet, *ex Talo*, ad mentem Galeni, qui affectis partibus infra renes existentibus secat venas inferiores, sanguinem mittendum esse docet. At Aetius Lib. 14. Cap. 31. multo melius, ex Leonida docet, sanguine abundante, cubiti venam secandam esse; vbi autem multus non fuerit, tali. Vnde præsente plenitudine, cubiti secetur vena; ea autem absente, tali. Quod si secta vena cubiti, ratione plethoræ, adhuc supersit morbus, si vrgeat, eo casu, post sectionem dictam, etiam secanda erit vena in talo. Atque hic est casus, ad quem alludit Auicennæ sententia, licet ab eo, nec fuerit expressus, nec distinctus.

Præter venæ sectionem, probat *euacuandum esse, & propriè cum his, quæ desubtus administrantur, qualia sunt, suppositoria.* Quasi ex his speret deriuationem à testibus ad anum. Sed cum hæc duo loca adeo sibi inuicem proxima sint, & ferè contigua, vt locum habeat ratio deducta à Galeno, quoad solutionem ventris, in priapismo, mihi hæc videntur suspecta.

Si fuerit in his apostematibus *caliditas, & dolor superfluus, addaturque durities*, monet, *transeundum esse ad maturantia.* At hic, per *maturantia*, intelligantur lenientia, non propriè suppurantia; quoniam in testium inflammationibus, prius omnia tentanda sunt, quàm suppuratio ipsa, quæ non ita est tuta in casu isto. Dicuntur autem maturantia; quia concoquunt aliquo modo materiam, & resolutioni eam disponunt.

Cap. III. Apostemata frigida, & œdematosa, quæ sequuntur cachexiam, & hydropem, non sunt apostemata testiculorum, sed scroti, in quo colligitur pituita serosior, & aquosa; cuius ratione sunt lucidi, nec duri, nisi cum ex nimia copia distenduntur.

Cap. IV. Apostemata dura possunt in scroto tantum, vel in testibus tantum excitari; vel etiam in vtrisque communiter; quæ apostemata sunt duorum

gene-

generum; alia enim sunt veri scirrhi; alia autem naturam cancri sapiunt. Quæ omnia sunt distinguenda à se inuicem; quoniam ad horum curationem diuersæ desumuntur indicationes, pro ratione diuersitatis affectus, & loci affecti.

Cap. V. Alludit ad palpitationem, quæ alicui seminalium vasorum inflammatoriæ affectioni superuenit. De qua Paulus Lib. 3. Cap. 56. eam satyriasis causam proponens; & iure quidem, cum *hanc affectionem, subsequatur*, vt ait Paulus *tentiopenis*; cuius ratione, à capite de priapismo non debuit excludi.

Cap. VI. *Phlebotomiam* Auicenna, secutus Paulum, monet *administrandam esse*. At ex qua vena, non explicat. Quare, basilica est intelligenda; verum in hoc casu obseruetur, quod monui ex Aetio, in cura apostematum testiculorum.

Cap. VII. Præter doloris testium, & virgæ causas, ab Auicenna enarratas, supersunt vlcera, quæ sæpè admodum molesta sunt.

Cap. X. Testiculorum magnitudo superflua consideranda est, an sit à natura, an superueniens affectio; quoniam primus casus negligendus est à Medico, vtpotè qui scire debeat, hunc affectum insanabilem esse, si virtus generatiua conseruari debet; secundus autem curandus veniet, vtpotè magis morbosus, & omninò præter naturam.

Cap. XI. Curatio per pura refrigerantia procedens mihi valde suspecta est, potissimum si hæc sint eiusdem naturæ, qualis *hyoscyamus*, ab Auic. propositus; quoniam hæc apta sunt genituram extinguere, & tentiginem auferre; ac proinde sterilitatem inducere. Quare potior mihi videtur ille curandi modus, qui per refrigerantia, moderatè admistis siccantibus, & discutientibus administraretur.

Cap. XIII. Ad *occultationem testiculi*, inquit, *quosdam docuisse, insufflandum esse in virgam, vt inde inflatis illis partibus, descendat testiculus*. At hic modus est suspectus; tum propter flatum immissum, qui dolorem inferre posset; tum, quoniam ad tollendam hanc affectionem, tollenda est causa, quæ cum consueuerit esse quidam conuulsiuus motus, huic obsistendum erit, si testiculus in proprium locum reduci debet.

Cap. XIV. Non tantum *super oscheum fiunt varices*; sed etiam intus, cum vasa illa interna dilatantur, cuius ratione fit hernia, varicosa appellata.

Apostema durum sequens varices, potest esse vel simplex scirrhus; vel durities cancerosa; quæ duo sicuti distincta sunt; ita etiam distinctam requirunt curationem.

Cap. XV. Curatio apostematum durorum est duplex; sicuti duplicia sunt apostemata dura. Quapropter ad simplicem curationem non est relegandus Medicus.

Cap. XVI. Duplex est mollificatio, & prolongatio scroti; altera fit ex pura, & simplici imbecillitate, cuius ratione, dicebat Galen. Lib. 1. de Sem. Cap. 12. *pendulos, & laxos habere testes, esse proprium infirmorum, & senum*. Altera gignitur ex cutis scroti excrescentia, & magnitudine, dicta à Græcis Racosis; de qua Paulus Lib. 6. Cap. 77. De hac agit Auicenna, non de Prima.

Cap. XVII. Laxitas testium in ægrotantibus,& debilibus tollitur,cum pristinę vires restituuntur;in senibus est insanabilis;in his verò,qui excrescentiam habent scroti, sanatur potius chirurgia, quàm medicamentis, quam Paulus docet loco citato, exscriptam hoc loco ab Auicenna.

Cap. XX. Vlcera testium, & virgæ, licet ratione loci, sint suspecta, ne fiant mala, *& ambulatiua*, vt Auicenna docet; non tamen semper sunt talia, & ideo Aetius Lib. 14. Cap. 17. egit de Nomis in pudendis. Et Cap. 18. de Carbunculis; cum tamen prius egerit de simplicibus vlceribus Cap. 15. Quare, causa nulla fuit cur Auicenna huiusmodi vlcera omnia mala esse censeret.

Cap. XXIII. Pruritus in pudendis aliquando est molestissimus affectus;qui duplici ratione fieri solet, scilicet, vel vlceratis partibus illis, vel genitis squamosis excrementis, vt docet Aetius Lib. 14. Cap. 20. Quæ differentia procedit ex diuersitate humorum inflammationis auctorum; nam si sint copiosi, & acriores, cutem exulcerant, si vero pauciores, & crassiores, squamas generant.

Cap. XXIV. Quoniam ad excitandum hunc pruritum,non vnica,nec vnius qualitatis est materia; ideo huius ratione,diuersa etiam requiritur curatio, prout & ratione diuersitatis affectus; nam si adsint exulcerationes, cum pruritu, medicamenta debent esse mitiora; sed magis siccantia; si verò sint squamæ, magis discutientia conuenient; & ideo inter proposita medicamenta, adhibeantur quæ vtranque indicationem impleant.

Cap. XXV. Tantum localium meminit Auicenna; non tamen etiam vniuersalia in hac curatione, se morbus sit insignis, prout in testiculorum apostematibus, requiruntur.

Cap. XXVI. Apostemata frigida, quæ si succedunt cachexiæ, & hydropi, sunt potius cutanea, quam in substantia virgæ; quorum curatio erit eadem ac cachexiæ, & hydropis; sed si fiant in substantia, alia erit dispositio, in qua requiritur purgatio excrementorum pituitosorum, antequam possit resolutio perfici.

Cap. XXIX. Verrucas curat Auicenna, *per incisionem solum.* At Aetius plura localia remedia, & valde opportuna docet Lib. 14. Cap. 4. & Hipp. Lib. de Vulneribus, dicebat. *Quædam etiam herba est, pusillis folijs, cui nomen est parthenion, quæ de præputio fistulas, thymosve tollit.* Hanc verò herbam credo ego esse Heliotropium Dioscoridis, cum ad idem valeat, si pusilla habet folia.

Cap. XXXI. Incuruatur virga, vel ex conuulsiuo affectu; vel ex tumore aliquo, & præcipuè existente in vicinis partibus; vel ex ligamento glandis nimis breui. Quare recurrendum erit ad dictarum causarum ablationem, si incuruatio virgæ debet tolli, ita vt in conuulsiuo affectu, conuulsio tollatur; in tumore eius, discussio tentetur, in breuitate ligamenti, sectio administretur. Medicamenta autem Auicennæ videntur directa esse ad conuulsivum affectum.

FEN

Fen Vigesima Prima Tractatus I. Cap. I.

Cap. I. LOquens Auicenna de partibus Matricis, inquit. *Et Matrix quidem creata est habens plurimas venas, ramificatas ex venis, quas diximus, vt sit illic sustentatio Embryonis, & sit superfluitatibus menstruis præcipitatio.* Per quæ monet, venarum vteri duplicem esse vsum; scilicet, & ad fœtus, seu conceptus nutritionem; & ad mensium expurgationem. At tertium vsum, qui est ad ipsiusmet vteri nutritionem, non explicauit Auicenna; cujus tamen habenda est, & ratio, & cognitio à Medico, qui curatiuas indicationes à re ipsa desumere debet. Nam sciendum est, per *vasa ea, quæ fœtui ad nutritionem, & mensibus ad purgationem* destinata sunt, non nutriri vterum; cum nutritio fiat, præcedente appositione; appositio autem per transmissionem sanguinis à magnis vasis ad minores, à minoribus ad capillares, à capillaribus ad exiles partium similarium nutriendarum meatus. Quare, cum hæc vteri vasa sint ampla, & desinentia in cauitatem vteri, per ea non nutrietur vterus. Quapropter opus fuit, vt donatus esset vterus alijs venis, quæ in capillarem tenuitatem desinentes, possint ad vteri substantiam conuenientem alimenti quantitatem transfundere, & apponere, vt inde nutriatur. Quæ vasa licet ortum habeant à vasis illis, quæ à vena caua, & arteria magna inseruntur in vterum, ad primos duos vsus; attamen, & substantia, & vsu differunt ab illis; substantia quidem, quia tenuiora sunt, & in substantiam vteri disseminantur, & obliterantur; vsu vero, quia ad nutritionem tantum destinata sunt; cuius perpetua est necessitas; cum illorum duorum sit ad tempus; nam vterus omni ætate, & toto vitæ curriculo continuò nutritur; cum nutritio fœtus, & mensium purgatio, sit tantum ad determinatum tempus, & in determinatis ætatibus. Præterea, cum nutritio fiat, per ea vasa attrahente vtero ab ipsis; purgationes autem menstruæ fiant tantum transmittente toto corpore ad vterum, non autem attrahente vtero ipso, qui pariter nihil attrahit, dum conceptum continet, sed tantum fœtus. Quæ omnia diligenter à Medico sunt inuestiganda, vt rectam curandi rationem in vterinis affectibus, possit ratione, & arte perscrutari.

Cum inquit, *vterum habere duas concauitates*, non intelligatur, quod sint per medium corpus ab inuicem distinctæ; quoniam communicant inter se; sed dicuntur duæ concauitates; quia duas cauitates repræsentant, quæ differunt tantum per dextrum, & sinistrum.

Loquens de magnitudine, seu paruitate, & crassitie seu tenuitate vteri, ad mentem Gal. qui Lib. de Sect. Vuluæ scribit, vterum maiorem esse tempore conceptus; tenuiorem tamen, absumpta crassitie in amplitudinem, inquit. *Et ipse iterum attenuatur, cum magnitudine embryonis.* At qui viderit vterum concipientis, nouerit etiam, vterum esse tunc temporis crassiorem; nam id sensu apparet, saltem ad digiti vnius quantitatem, esse magis crassum, quàm eius, quæ non concepit. Et ratio etiam hoc dictat; quoniam absumente fœtu tantum sanguinis partem tenuiorem, & puriorem, refunditur in vterum pars eius crassior, & impurior, quæ postea in puerperis expurgatur;

purgatur; quo crasso,& impuro sanguine imbutus vterus,tumet, & crassior redditur. Cur autem Gal. dixerit, vterum in conceptu tenuiorem reddi, absumpta amplitudine in tenuitatem, forsan hæc fuerit causa; quoniam nerueam substantiam,quæ à conceptu continuò in maiorem magnitudinem augescente distenditur, solum considerauit; & quoniam vidit tantum vteros bestiarum concipientium, in quibus non seruatur, cum purgationes in illis non sint adeo copiosæ, vt in mulieribus, tanta illius crassi, & impuri sanguinis quantitas, vt possint inde intumescere. At si vidisset vterum feminæ prægnantis, in quo imbuta vteri nervea substantia reliquijs sanguinis, qui ad puerperium, ad expurgatione seruatur, admodum tumet, forsan non affirmasset, vteri substantiam tempore conceptus tenuiorem reddi. Nec eius rei ratio forsan admodum refragatur; cum infarcta substantia in membrana tenui, eam crassiorem reddat. Nisi forsan partes solidas vteri extenuari per extensionem; tumere autem propter materiam additam, vt fit in pleura, dum inflammatur, dicamus, quæ tenuissima existens, propria natura, in pleuritide, ob materiam fluentem, in tumorem insignem excrescit.

Cap. II. Quoad principale membrum, primo generatum in fœtu Auic. discrepat à Galeno; immo ipsum, qui primo Lib. de Semine docuerit, primo generari hepar, cum prima corporis operatio sit nutritio, arguit, dicens. *quod nutrimentum nulla pars, quæ non habeat vitam recipit*. Quare præmittendum est principium vitæ principio nutritionis; cuius ratione, Cor primo generari debet. At cum vita, & nutritio se consequantur; tandiu enim viuimus, quandiu nutrimur, principium vitale, & naturale simul necessario generabuntur; & ideò puto hanc difficultatem de primo principio generato vanam esse, & potissimum, cum vnica sit anima, à qua simul omnes virtutes, tum vitales, tum naturales emanant.

Cap. III. *Cum multiplicantur*, inquit Auicenna, *ægritudines in matrice, debilitatur hepar, & præparatur ad hoc, vt generetur ex eo hydropisis*. Quæ sententia non locum habet, nisi de ægritudinibus frigidis, & quæ possunt ducere in consensum hepar; nam vlceribus, inflammationibus, & immodicis calefactionibus, pluribusque alijs similibus non superuenit hydrops. Quare non vniuersaliter fuit hoc explicandum.

Cap. IV. Quod *vniuersi corporis habitus sæpius sequatur naturam vteri*, experiẽtia docet; quæ tamen docet etiam, sæpè corporis temperaturam ab vteri temperamento differre. Quot enim mulieres vidimus, quæ habitum sicciorem habentes, plurimo semine abundarunt; quot etiam obseruauimus calidioris habitus, quæ minus erant salaces quibusdam alijs, quæ frigidioris erant temperaturæ? Quare, non est quod ex toto ambitu ad membrum particulare, nec quod à membro particulari ad totum habitum arguamus, vti etiam docet Galenus Lib. de Temperamentis.

Obseruatio.

Docens cognoscere caliditatem menstruorum ex colore, inquit, *colorem rubeum, aut citrinum hanc indicare; colorem autem nigrum, oppositum*, videlicet frigiditatem. At cum niger color in sanguine fiat, vel propter admistos humores adustos; vel ob admistos pure melancholicos, illi caliditatem, hi frigiditatem indicabunt. Distinctio autem tradita, quod *color niger, cum fœtore putrido*,

putrido, significat caliditatem quandam, vera quidem est; quoniam hæc à putredine, ex qua calor ortum habet, non tamen hæc includit sanguinem nigrum ex adustione; quoniam cum hoc, exclusa putredine, non est fœtor.

Cap. V. Inter *signa frigiditatis*, recenset *nigredinem mensium vehementem*. At hoc verum tantum est in sanguine nigro, ex subsidentia humoris melancholici: qui enim est niger ex adustione, calorem, non frigus significat.

Cap. VI. & VII. Quæ dicuntur de signis humiditatis, & siccitatis vteri, intelligantur de vtero naturaliter, quoad proprium statum, se habente; nam in sicco vtero, ad eundem serosis, & frigidioribus ab vniuerso corpore demandatis excrementis, videmus menses tenuiores, & plures, & in humido, retentis excrementis, pauca, nec admodum aquosa excreta fuisse vidimus. Præterea sciendum est, signa hæc purè coniecturalia esse; quoniam qualitas menstruorum, non ab vteri temperie, sed à sanguinis in iecore, & in reliquo corpore abundantis natura productionem habet. Vnde videmus, in siccis vteris aliquando menstrua plura, in humidis autem, pauciora fieri.

Obseruatio.

Cap. VIII. Referens causas sterilitatis, ex semine, inquit, *quandoque hoc fieri ex malitia complexionis frigidæ*; quæ duplex solet esse; alia ex frigore naturali; alia ex frigore, accidente ex longa mora, & retentione seminis. Quæ sententia consentit Galeno, qui Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. & 6. docuit, ex huius seminis retentione quandoque mulieres præfocari, & quandoque viros appetentiam amittere, vel melancholicos euadere. Attamen sciendum est, quod ad hanc qualitatem frigidam non deuenit semen, vt eodem loco habetur, ex Galeno, nisi vbi corruptionem subierit. Quare, si semen corruptum haudquaquam existit, non concipit talem frigiditatem; immo calidior euadit; nam conculcatum in vasis, incalescit, & inde quandam salsedinem acquirit, cuius ratione, postea emissum, cum non leui molestia eijcitur, in primo vsu Veneris mordicans, & acrimonia vasa illa stimulans.

Inter *semina non generantia* enumerat *semen ebrij, & senis*. At experientia oppositum testatur, ebrios, & senes generare. Nisi forsan intelligat Auic. actu ebrios; quia stolidi sunt, & senes valde decrepitos; nam qui non sunt in extrema ætate constituti, tantum non sunt steriles, sed etiam facile concipiunt, si vxores iuniores duxerint.

Explicans causas sterilitatis ex vtero, inquit. *Hanc quandoque fieri, propter abscessionem materiei, quæ est sanguis menstruus, cum matrix deficit in attrahendo ipsum*; censens scil. sanguinis menstrui attractionem esse opus vteri. Quæ sententia falsa est; cum mensium materia, & sanguis in muliere superfluus, tempore quo non concipit, non attrahatur ab vtero, sed transmittatur ab vniuerso corpore; tempore autem conceptus, nec attrahatur etiam ab vtero, sed à fœtu, vt clarè probat Gal. Lib. 14. de Vsu Partium Cap. 8. dicens. *Cæterum ante conceptum, in muliere ætate florente, quicquid sanguinis superflui colligitur, natura singulis mensibus per venas ad vterum pertinentes excernit; cum autem iam conceperit, ex ijsdem vasis fœtus trahit alimentum.* Quod & docebat Lib. 5. de Simpl. Med. Fac. Cap. 22. dum loquens de prouocantibus lac, & menses, dicebat. *Quanquam hactenus differant, quod calidioribus, & magis incidenti-*

bus purgatio menstruorum nonnunquam indigeat; quippe cum ea in parte sita, magis aperiri debeant, quàm quæ tendunt in mammas, & sanguinem fluxum magis requirant, cum scil. vterus ad eius motum nihil conferat; mittuntur enim in venas, quæ in illum inseruntur, haud attrahuntur, menses.

Quoad eam sterilitatis causam, quæ ab Hippocrate exscribitur Lib. de Sterilibus, & de Feminarum morbis, scilicet *oris, & colli vteri conuersionem, & distorsionem, ob quam non potis recta semen recipere, nequaquam concipit*. Sciendum est duplicem esse distorsionem, & obliquitatem colli vteri. Alteram naturalem, alteram præternaturalem. Naturalis est, quæ comitatur statum mulieris naturalem, nec conceptum impedit, & hæc ea est, quæ naturaliter in mulieribus etiam fœcundissimis reperitur; nam vt docet Galen. Lib. 14. de Vsu Partium Cap. 3. ex Herophilo, inter Anatomicos celebratissimo, collum matricis omni tempore obliquum, & contortum manet, præterquam cum semen intrò fertur, vel embryon extra; his enim duobus casibus tantum dirigitur, nec reluctatur, aut ad seminis susceptionem, aut ad fœtus excretionem. Quæ vteri distorsio naturalis fit ex propria colli substantia, & natura, adeò ex mollitie, & duritie temperata, vt facile in se ipsam concidat, & distorqueatur. Præter naturalis autem ea est, quæ causam præter naturam sequitur, videl. nimiam ex vno latere repletionem, vel affectum conuulsioni similem, vel cicatricem in alterutra parte, vel similem alium affectum; ex quibus adeo læditur vteri collum, vt nequaquam ad seminis *susceptionem* dirigi possit; quæ distorsio, & obliquitas sterilitatem inducit, curandam à Medico, non prima, quæ naturalis cum sit, naturalem affectum consequitur.

Ex parte mulieris assignat sterilitatis causam aliquando *vehementiam extenuationis in corpore toto, aut in matrice*. At cum habeamus ex Hipp. Lib. Aph. 44. *Quæcunque præter naturam tenues existentes vtero gerunt, abortiunt, prius quàm crassescant*, clarè patet, extenuationem corporis non prohibere conceptum. Præterea, experientia hoc testatur; vidimus enim plures mulieres extenuatas, & emaciatas concepisse. Nisi forsan, per *vehementiam extenuationis*, intelligat Auicenna summum illum gradum maciei, quo non constant vires; vel *naturalem extenuationem*; in his enim quæ naturaliter admodum sunt emaciatæ, & extenuatæ, adeo calor innatus languet, & quia non fouetur à carnosis partibus, adeo dissoluitur, vt semen fœcundum, resolutis, & exhaustis spiritibus generari nequeat; nec masculinum semen vterus sufficienter fouere possit. Casus autem Hippocratis est earum quæ præter naturam extenuatæ sunt; atque experientia testatur hoc tantum contingere in malè dispositis, non autem naturalibus habitibus.

Observa-tio.

Quoad sterilitatis causas, ex membris generationis, præter debilitatem, & malam complexionem, & læsionem à lapide vesicæ, & alias eius causas, possumus aliam assignare, scilicet ratione vasorum, & meatuum seminalium; nam dicebat Galenus Lib. de Ludo paruæ pilæ, *equitationes non nunquam meatibus seminarijs noxam intulisse*. Hæc autem noxa non ex intemperie aliqua procedit; sed ex distorsione, vel disruptione, vel distractione dictorum meatuum, cuius ratione sequitur sterilitas, læsa seminis generatione, vel emissione.

sione. Quæ sterilitatis causa est consideranda; quoniam experientia testata est, nonnullos ex vehementi equitatione, vel casu ex alto super dorsum, steriles redditos fuisse.

Suscepto semine intra vterum, & facta eius comprehensione, inquit, errorem in conceptu succedere *ex saltu, aut percussione, aut casu, aut ex simili causa externa*. Sed mirum est, quomodo de sterilitate agens, inter eius causas recenseat causas abortus. Aliud autem est, sterilem esse; aliud verò non concipere: quæ enim non concipit, potest esse fœcunda. Quare non est quod inter sterilitatis causas veniant hæ causæ recensendæ, quæ non sterilitatis, sed non concipientis sunt.

Cap. IX. Ea sententia in fine capitis proposita. *Et illa cuius est Matrix habens declinationem, & conuersionem, sentit dolorem apud coitum*; non vera est, nisi in obliquitate colli vteri, inducta ex affectu phlegmonoso, vel convulsiuo.

Cap. X. Pro curatione sterilitatis, dependentis ex intemperie calida vteri, monet, *euacuandum esse corpus ab humoribus calidis, & alterandum ad frigidum, cum potibus, & cibis refrigerantibus; & insuper supra matricem apponenda esse cerata ex succis, mucilag. & oleis frigidis*. In qua curatione hoc vnum moneo, vt nunquam immodicè refrigerandum sit; sed potius intra limites persistendum; tum quoniam nil magis conceptioni nocet, quàm frigus ipsum; tum quoniam vterus neruosæ est substantiæ, & exanguis, cuius ratione facilè patitur à frigido.

Cap. XI. Quod *post conceptum mulieres abhorreant à coitu, & odio illum habeant*, experimento non respondet. Quare tutius fuerat dicere, quod minus appetant coitum, quàm prius; non autem, quod ab illo abhorreant; hoc enim falsum esse testimonio mulierum deprehenditur.

Quod *mulieres non emittant semen in coitu, dum vtero gerunt*, testimonio etiã mulierum ipsarum falsum esse conuincitur, prout & testimonio virorum fide dignorum, qui Venere cum iisdem vtuntur. Sed hoc dixit Auicenna, secutus Galenum, qui arbitratus est mulierem semen em ittere intra vteri cauitatem, per eius cornua. At iam notum est, semen ad vteri collum emitti, indeque intra vterum, vna cum masculino attrahi, vbi conceptura est mulier; facto autem conceptu, licet in eundem eijciatur, non tamen amplius attrahitur. Præterea si ex naturæ præscripto mulier semine non caret, idque in coitu effundit, cur vtero gerens non idem in Venere excernit. At dices, excernit quidem, sed non extra, cum in cauitatem vteri illa desinant vasa; & cum concipiente muliere os vteri ita claudatur, vt exitum, & egressum nulli rei præbeat. Sed, quæ potest esse utilitas seminis intra vterum eiecti, & ibi hærentis, nulla sane, immo noxium esset, cum sua mora inibi, conculcatum, ex conceptui potius corruptioni, quàm resolutioni aptum sit. Sed quod uerbis, & contentione in hac re egemus, cum sensum oppositum probantem habeamus.

Inter signa conceptus, enumerat succedentia symptomata, scilicet, *angustiam, pigritiam, grauitatem corporis, malitiam animæ, nauseam, picam, & cætera subsequentia*. Quæ signa licet ut plurimum conceptum sequi experientia testetur, non tamen, ut inseparabilia constitui possunt, cum etiam plures

repe-

reperiantur mulieres, quæ vtero gerentes nihil horum accidentium vnquam persentiunt. Cur autem aliquæ mulieres dicta accidentia patiantur, aliquæ ab his immunes sint, causa hæc est; quod cum vtero gerentes non amplius à superfluo sanguine expurgentur, hic retentus, si impurus sit, & prauis succis abundet, pro ratione variæ impuritatis, & prauitatis succorum, diuersa etiam parit symptomata, quoad tempore, & euacuatione hæc tollantur, vt docet Galenus Lib. 1. de Sympt. Cauf. Cap. 7. vbi locutus speciatim de pica, monebat, hanc fieri in mulieribus, quæ sunt praui succi. Ex quibus habemus, quod si mulieres sanguine puriori, & benigniori abundent, licet concipiant, in his prædicta non subsequi accidentia; quoniam horum causa, & fomes abest. Sed cur ex illis quæ prædicta symptomata patiuntur, nonnullæ deterius, nonnullæ autem mitius affliguntur? Hoc equidem fieri ex duplici causa potest. Prima est, quod hæ prauis succis minus abundant, quàm illæ; & ideo hæ illis minus patiuntur. Secunda est, quod cum mulieres concipiant, vel desinentibus, vel incipientibus mensibus; quæ concipiunt apparentibus mensibus, deterius habent, quoniam retinentur intra corpus excrementa, iam ex præterito mense congesta; quæ autem desinentibus menstruis purgationibus concipiunt, minus affliguntur; quoniam iam maiori parte expurgato corpore à prædictis prauis succis, minorem horum symptomatum fomitem intra vterum habent. Et hinc fit, quod quæ mulieres nullum horum accidentium concipientes persentiunt, non apparentibus, sed desinentibus menstruis, & iam corpore exuperante sanguine expurgato, concepisse censendum sit; quoniam, licet hæ benigno sanguine abundent, si tamen incipientibus mensibus concepissent, cum hic sanguis conculcatus aliquam prauitatem adipiscatur, non possunt non subsequi aliqua mala symptomata, ex eiusdem retentione.

Illa signa conceptus, desumpta à *lotio*, sciant iuniores esse incerta, & indigna quibus Medicus fidem adhibeat; cum ex mensium retentione, & pluribus alijs affectibus similes vrinæ produci possint; nec ex his audeat mulieribus quid pro certo affirmare; quoniam hinc potius ludibrij, quàm laudis ansam captaret.

Et quandoque, inquit Auicenna, *impragnatio sedat dolorem dorsi, & anchaturum; propterea quod calefacit ea matrix, & cum parit, redeunt*. Quæ sententia exscripta est ab Hipp. Lib. 2. Epid. Sect. 2. Tex. 19. quo loco hæc habentur; *Quædam coxam dolebat, antequam conciperet; post quam autem concepit, non amplius doluit; postquam autem peperit, vigesima die rursum doluit.* Similem huic sententiam habemus Lib. de Superfœtatione, vbi hæc leguntur. *Si cui dolores in coxendice, aut in capite, aut in manibus, aut aliqua alia corporis parte fuerint, cum vtero pragnans est, desinunt; post conceptum autē fœtu ab vtero excreto rursum insunt; odorata, & bibere, & ad vteri os apponere conducit.* At cur hoc fiat, videlicet, quod pars ante conceptum dolens, immunis à dolore, tempore conceptus maneat, post conceptum autem rursus doleat, non ita liquet. Auicenna inquit *dolorem cessare conceptionis tempore; quoniam tunc matrix calefacit partes dolentes*. Sed quæ est hæc ratio? num vterus dum conceptum retinet, calidior ex conceptione redditus, partes dolentes, cum ex frigiditate doleant, calefaciens,

ciens, dolorem soluit. At si hæc est ratio; igitur hic dolor post partum inualescere nequaquam deberet; cum diuturnitate temporis, frigida loci dolentis intemperies, nouem scil. mensibus, ad calidum alteratur, sublata, & remota esse deberet. Quamobrem in aliam ego sententiam feror, scil. quod pars dolens ante conceptum, & post conceptum doleat; in partu autem nequaquam, ob excrementa ad eas partes demandata, quæ tempore conceptus absumantur; ante autem, & post iterum abundent. Quod potissimum probatur in dolore coxendico; cuius expressa mentio fit ab Auicenna; quoniam ea excrementa, absente conceptu, recipiuntur in ore vteri, quod à materię copia distorsionem patiens, illabitur ad coxam, in qua dolorem, & cruciatum inuehit. Dum autem adest conceptus, materia non in vterum ipsum, sed in fœtum absumitur, & inde coxæ dolor cessat. Quoniam autem magis ex conceptu masculino, quàm ex feminino, cum ille calidior, hic frigidior existat, absumuntur excrementitiæ superfluitates; ideo iure subiunxit Hipp. loc. cit. Lib. 2. Epid. *peperit igitur masculum*; quoniam si feminam concepisset, forsan dolor non cessasset, cum fœtus femininus sit frigidior, nec ita aptus ac masculinus illam materiam absumere.

Cap. XII. Illis verbis. *Et similiter ætas adolescentia, absque pueritia, & senectute*, videtur alludere, ad id, quod pueri etiam habeant semen fœcundum; cum comparatiuè locutus, velit, quod ætas adolescentiæ potius generet mares, quàm ætas pueritiæ. Sed sciendum est, quod Auicenna hic impropriè locutus sit, per *pueritiam*, puberem ætatem incipientem intelligens, ad mentem scil. Arist. Lib. 4. de Generatione Animal. Cap. 2. dicentis. *Nouella enim, & senescens ætas, magis quam florens feminas generat; in altera enim calor nondum perfectus est; in altera deficit.* Quibus verbis Aristot. vult, primo pubertatem, & ætatem senilem potius feminas, quàm mares generare; è contrario autem florentem magis mares, quàm feminas procreare.

Cap. XIII. Ea mala, quæ dicuntur attestari conceptum femineum, sunt signa incerta, nec vera, nisi vt plurimum: nam concipiens marem potest pluribus malis succis abundare, & inde plurima pati mala; prout ex opposito, concipiens feminam potest abundare puriori, & benigniori sanguine, & inde immunis esse ab enarratis malis. Nec hoc refragatur his, quæ dicuntur de causis generationis masculinę, & femininę; quoniam hæc sequuntur sanguinis temperiem; illa autem puritatem, & impuritatem, seu eius benignitatem, vel malitiam.

Cap. XIV. Hoc regimen competit naturis intra terminos caliditatis existentibus, & ad frigiditatem declinantibus; nam calidiores ab his læderentur, absumpta, & exiccata genitura.

Cap. XVII. Signum illud desumptum à *rugis*, seu à *nodis vmbilici*, vidi obseruatum ab obstetricibus antiquis, quæ ex his prædicebant numerum filiorum nascendorum, & quidem cum maxima mulierum, & adstantium admiratione.

Cap. XIX. In signis debilitatis fœtus, non meminit Auicenna gracilitatis mammarum; de qua Hipp. Lib. 5. Aph. 37. & 55.

Fen Vigesima Prima Tractatus Secundus Cap. I.

Cap. I. Mirum, cum Auicenna dixerit, in quibusdam regionibus non viuere octimestres partus, non etiam obseruauerit in quibusdam regionibus esse vitales; prout in Ægypto, vt testatur Arist. Lib. 7. de Animal. Gener. Cap. 4.

Cap. II. Inrer vitanda à muliere prægnante, recenset Auicenna *coitum propriè*. Cuius sententiæ videtur eriam fuisse Auctor Lib. de Superfœtatione, dum inquit, quod *si mulier grauida non coit, partu facilius liberatur*. Quasi dicat, mulierem vtero gerentem debere abstinere à Venere, vt à partu facilius, & tutius se expediat. Quæ sententia intelligi debet de tempore præcedente tempus partus; nam cum hoc appropinquat, tantum non noxius Veneris vsus, quinimò & vtilis existit; nam cum primis mensibus, & vsque ad vltimum, Venus agitans pudenda, ac proinde vterum, possit esse causa, vel relaxationis vreri, vel eius descensus, vt inde fiat abortus, est noxia; quod idem efficiens in vltimo mense, propè partum, eum potius facilem reddit, ac proinde est vtilis. Ideo dicebat Aristot. Lib. 7. de Animal. Gener. Cap. 4. *Quæ paulò ante partum concumbunt, facilius pariunt*.

Ex Hippocrate monet, vt mulieres à conceptione cibum desiderantes, sumant *sauich in aqua*, idest, polentam ex hordeo, *quæ licet sit flatuosa, est tamen velocis nutrimenti*. At Hippoc. nequaquam hoc dixit, nec polenta est admodum opportuna, cum sit cibus refrigerans, & pauci nurrimenti, vt habet Galenus Lib. 1. de Alimentis Cap. proprio. Cum autem sit frigidæ temperaturæ, quomodo potest esse velocis nutrimenti?

Electuarium illud *de margaritis* penes me suspectum est in vtero gerente, cum plurima recipiat medicamenta calidiora, apta, & venas aperire, & menses prouocare.

Cap. III. Crassa alimenta suspecta habet in puerperis; quoniam ex his timet *debilitatem virtutis alteratiuæ in hepate, & sitis multiplicationem*; quorum ratione dubitat *mulierem hydropicam* euadere posse. Sed hæc suspicio hydropis in puerpera est satis remota à casu enixæ; nec forsan, hunc vidit Auicenna; consulo tamen abstinendum esse à cibis crassis; quoniam hi obstructiones inducentes possunt esse causa retentionis mensium, & febrium putridarum, ijs succedenrium.

Cap. IV. Licet satis distinctè doceat Auicenna curationem nauseæ, vomitus, & prauæ appetenriæ in prægnantibus; curationem attamen per proprias indicationes non distinxit; quæ in his tribus consistunr, scilicet in euacuatione humorum peccantium; in remotione eorundem ab ore ventriculi; necnon eorum contemperatione, nam cum hæc symptomata accidant ex prauitate humorum, ad os ventriculi, & ventriculum ipsum decumbentium, primò hi erunt euacuandi, vel vomitu, vel alia via; quod si non possint euacuari, vel sint euacuati maiori parte, remouendi sunt ab ore ventriculi, per abstergentia, & aliqua leuia deiectoria; quod si nec his excernantur, ad contemperantia descendendum erit; his enim contemperatis, facile sedabuntur

buntur omnia. Ad quam intentionem præscribit Auicenna, *amylum, in his mulieribus, quæ lutum appetunt*; quod medicamentum optimum est in hoc casu, & cum patientes picam, appetunt terram, & gypsum etiam; quo medicamento non tantum in mulieribus; sed etiam in pueris picam patientibus feliciter vsus sum; quod exscripsit Auicenna ab Aetio Lib. 16. Cap. 10. Obseruatio.

Cap. V. Per hoc verbum, *casachan*, intelligit Auicenna cardialgiam, idest, oris ventriculi morsum, quod exemplo Græcorum vocat cor; quoniam ab eo cor facillime compatitur; & ideo, inquit, quod *hic affectus prouenit propter communitatem oris stomachi, & causa humoris in eo existentis*. Cuius curatio, inquit, *est multoties sorbere aquam calidam, & exercitium leue, præcipitans illud, quod est in ore stomachi*; idest, remouens humorem peccantem ab ore ventriculi. Quæ curatio exscripta est ab Aetio, loco citato, quo hæc habet. *Morsus enim, & stomachi puncturas mitigat, præterea calidam aquam, non tamen feruidam assiduè absorbere, & sensim assiduè obambulare, &c.*

Cap. VI. In superfluo mensium fluxu, in vtero gerente, docet, quæ adstringentia sint in vsum localium medicamentorum reuocanda; quæ tamen irruente fluxione non sufficiunt, nisi revulsiones, & cætera vniuersalia opportunè administrentur.

Cap. VII. Medicamenta tradita ab Auicenna, satis opportuna sunt, pro discussione materiæ fluxæ, huiusmodi tumorum causæ; sed conuenientior curatio fuerit, si Medicus dirigat scopum ad curandam in prægnante alimenti, & humorum perfectam coctionem; nam hi tumores non fiunt nisi ex crudioribus humoribus, qui in his mulieribus, propter vitiatam coctionem, congeruntur.

Cap. VIII. Inter causas primitiuas abortus, enumerat Auicenna *passiones animales*; quas primitiuas vocat, quia loquitur de his, quæ à causis extrinsecis proueniunt. Has autem inquit esse, *vel iram vehementem, vel timorem, vel tristitiam*. Galenus autem Lib. de Theriaca ad Pisonem, testatur, *mulieres grauidas ex solo tonitruo audito, & horribili quodam spectaculo viso, infantes eiecisse*. qui etiam Lib. 3. Epid. Sect. 2. Com. 8. dixit, quod *si subito horrendi quid conspicatæ timuerint mulieres, abortum consueuisse pati*. Quod non alia fit ratione, nisi quia ex subito timore, facta omnium humorum, & spirituum subita, & vehementi intro concentratione, à nimia copia, vel suffocatur fœtus, vel vasa nimium repleta disrumpuntur.

Inter causas abortus, recenset *repletionem vehementem*. Per quam, tum cibi, tum humorum intelligenda venit; quoniam vtraque ad hoc apta est. Ventriculus enim à plurima ciborum copia nimis extensus, facit compressionē supra vterum, quod maximè contingit in vltimis mensibus, quando fœtus est maior, & ampliorem locum desiderat. Quod testatur etiam Hipp. Lib. 1. de Mul. Morbis 114. dicens. *Nam cibus, potusque multus crebro causa est, vt fœtus perdatur*. Nimia autem humorum copia, vt in his, quæ menstruis abundare solent, apta est suffocare fœtum, potissimum primis mensibus; cuius ratione alias scripsi me nonnullas præseruasse ab abortu, per solam sanguinis missionem.

Cum addit, *nauseatiuam satietatem posse abortum causare; quoniam hæc corrum-*

pit

pit nutrimentum *fœtus*, casus est clarus, & ad mentem Gal. qui loco citato Lib. 3. Epid. dicebat, *quandoque mulieres abortire, non ex causa externa, sed ex vitio corporis*; addebatque, *ex insigni cruditate posse abortum subsequi*.

Vt plurimum, inquit Auicenna, *abortus, qui contingunt secundo, vel tertio mense, fiunt, aut ex ventositate*, scilicet cruciante, & ligamenta disrumpente; *aut ex humiditatibus super orificia venarum matricis existentibus, & inde ea mollificantibus*. Et quidem ad mentem Hipp. Lib. 5. Aph. 45. dicentis: *Quæcunque mediocriter corpora habentes abortiunt, secundo, aut tertio mense, sine occasione manifesta, ijs acetabula vteri plena mucoris sunt, nec possunt præ pondere fœtum continere, sed disrumpuntur*. Quam eandem sententiam admittit Galenus. At præter has causas, addit Hippoc. alteram, scilicet angustiam, & paruitatem vteri; de qua Lib. de Superfœtatione dicebat. *Si mulier concipiat quidem, sed bimestrem, aut trimestrem, aut quadrimestrem fœtum perdat*, hoc inde fieri, *quod vterus minor est, quàm quod conceptum maiorem continere queat*. Hoc idem scripsit Lib. de Mul. natura, & Lib. 1. de Morbis Mul. affirmabat *vterum paruum facere ad abortum*. Qui Auctor non solum hanc assignauit causam; sed etiam docuit modum, quo huiusmodi vteri curari deberent. Veruntamen hæc causa, cum eius nec Galenus, qui operum Hippocratis diligens est perscrutator, nec Auicenna, nec Aetius, nec Græcorum vllus meminerint, videtur forsan suspecta, & reijcienda, potissimum verò, cum contrarium ratio suadeat, paruitatem scil. vteri facere quidem ad paruitatem fœtus; quoniam locatum loco proportione respondere debet, sed non posse tollere vitam; quoniam parui fœtus diu viuere possunt; & quoniam paruitas arte curata, vitam non tollit: nam exemplo patet, catellis paruis vasis inclusis, magnitudinem, non vitam auferri, & fructus intra parua vasa immissos, non augeri quidem, conseruari tamen in multum tempus. Si tamen hanc rem diligentiùs perscrutabimur, nouerimus verè ad mentem Hippoc. vteri paruitatem facere ad abortum. Nulli siquidem dubium est, corpora magna, si optimè conformata sint, membra etiam singula magna; corpora autem parua, parua habere. Veruntamen aliquando contrarium contingit, videlicet, vt corpus ad paruitatem declinans, magnum aliquod singulare membrum habeat. Vnde vidimus pusillos, qui caput magnum, & ingens habebant; è contrario, corpus ad magnitudinem vergens quandoque habet aliquod singulare membrum satis parvum; quales erant illi, de quibus Galenus Lib. Artis Med. quorum alter habebat ventriculum parvum; alter vero vesicam paruam. Paruitas igitur alicuius membri particularis duplex erit; altera proportionata corpori; altera verò improportionata. Proportionata, vel est in corpore satis exili, & paruo; vel in corpore, paruo quidem, verum intra terminos naturales, & iustæ magnitudinis. Quæ autem improportionata, vel insignis paruitas, vel mediocris existit. His suppositis, dico quod paruitas vteri, si improportionata quidem corpori, sed mediocris sit, facere ad paruitatem tantum fœtus; quod item assero de proportionata, in corpore intra terminos naturalis magnitudinis existente; quoniam huiusmodi vteri possunt quidem concipere, sed non possunt fœtum ampliorem nutrire, aut producere; cum enim locatum loco necessariò proportione respondeat.

Obseruatio.

deat. Si vterus parvus est, parvum nutriet fœtum; cum magnum continere nequeat. In tanta autem paruitate vteri solet ferè esse perpetuum, vt fętus languidi, & imbecilli, ac graciles edantur; vt habemus sub finem Lib. de Genitura Pueri: nam cum fœtus non habeat locum satis amplum ad incrementum, nec carnosus, nec validus esse potest. Si autem paruitas vteri sit proportionata, sed in corpore satis exili; vel proportionata quidem, sed satis insignis, talis paruitas necessario erit causa abortus; quoniam in hoc casu tanta est paruitas, vt dum crescit fœtus vltra secundum, aut tertium, vel ad summum quartum mensem, non possit contineri ab vtero; quo ex distensione male affecto, & inde dolente, insurgit virtus expulsiua ad eum expellendum, vnde abortus sequitur; nam cum vterus exciterur ad eijciendũ fœtum, vt habetur ex Gal. Lib. 3. de Naturalibus Fac. Cap. 12. docente, *vterum excitari ex tribus causis, scilicet, à mole, à pondere, & à morsu*. A mole, & magnitudine conceptus; quoniam eum amplius distendi vterus nequit, succedit partus, si vterus sit parvus, vt dictum est, nec amplius tertio, aut quarto, aut quinto mense, ob eius paruitatem extendi queat, necessario eijcit fœtum. Nec valet, si dicatur, quod vterus conformatus est eius naturæ, vt extendi possit vsque ad perfectionem fœtus; quoniam hæc extensio fieri tantum potest in naturali, & bene formato vtero. At in paruo admodum, non potest fieri huiusmodi extensio; quoniam prius dilaceratur totus vterus, quàm possit peruenire ad tantam extensionem, vt eius ope possit continere fętum iustę magnitudinis; immo propter lacerationem, insurgit intempestiue ad eijciendum fętum; quod exemplo videmus in animalibus pusillis, nam catellæ minimæ dum concipiunt, frequentius perdunt fętus, vel si non perdunt, ante statum tempus saltem emittunt, vt inde sine pilis fętus plurimum nascantur. Quare ex his, censeo eum Hipp. locis citatis, paruitatem vteri facere ad abortum; non tamen cum eo censeo talem paruitatem curationem absolutam suscipere; cum sit defectus ex principijs naturæ, qui errores plurimum tunc inemendabiles. Tales autem abortus, ex hac causa procedentes, solent fieri statis mensibus, & aliquando diebus; quoniam paruitas est etiam vniformis; quam tamen paruitatem non arguat Medicus ex vnico euentu; sed si pluries hoc contigerit, & eisdem mensibus, nulla præcedente manifesta causa, vel interna, vel externa.

Cap. IX. *Mortuo fœtu*, inquit Auicenna, *infrigidatur sumen*. Quam sententiam exscripsit ab Hipp. Lib. de Superfętatione, vbi inter alia signa, distinguentia fętum vivum à mortuo, hoc recensebat, dicens. *Si mortuus est, postea frigescit; si vivus calescit*. At quoad hoc frigus, duo notabo, quæ maximè aduertenda sunt; alterum quidem, quod fętu mortuo, non semper refrigeratur imus venter; nam primis diebus mortis infantis, adhuc calidus permanet; hoc autem solum contingit in progressu, cum infecerit propria qualitate partes circunstantes; alterum, quod viuo existente fœtu, non semper calescit venter; immo aliquando ita refrigeratur in quibusdam, vt tactu corpus mortuum repræsentet; quinimo ob tantam frigiditatem, aliquando vocatus ad curationem harum mulierum, persensi frigidissimum ventrem, nullo apparente motu fœtus; qui tamen viuebat, & has curans per calidissima, *Observatio.*

medicamenta, ita vt ad olea, admisto castoreo, euphorbio, pyrethro, & similibus medicamentis, addita aqua ardenti deuenerim, vix potui pristinam restituere caliditatem, qua reuocata, simul & fœtus motus deprehensus est, qui viuens, postea tempore partus naturalis prodijt vitalis. Quare dico, sententiam illam Hippoc. & Auicennæ, de frigiditate ventris, non vniuersaliter veram esse, sed vt in pluribus. Quapropter Medicus, sentiens in vtero gerente ventrem frigidum, non arguat necessario fœtus mortem, ne inde importuna administrans medicamenta vivum fœtum interficiat, & abortum inducat; sed omnia circumspiciat, præsentiaque, ac præterita optimè animaduertat; ab his enim certiorem coniecturam, quàm à calore, aut frigiditate ventris capiet.

Cap. X. Inquit Auicenna. *Ex temporibus magis timendis de abortu super embryonem, est illud, quod est apud principium conceptionis*. Sed duo circa hoc notanda sunt; alterum, quod abortus proprie non dicitur de his, qui ante quadraginta dies perduntur, vt habetur Lib. de Septimestri fętu; in quo hæc scribuntur. *Nam abortus, & quidem plurimi, per hos dies fiunt, quæ effluxiones dicuntur, non abortus*. Alterum est, quod propriè non dicitur embryo, ante secundum mensem; vt docet Gal. Lib. 1. de Sympt. Cauſ. Cap. 7. vbi hæc habet. *A primis duobus mensibus, parum sanguinis in fœtum attrahitur, vtpote adhuc minimum; cum scilicet, quod in vtero est hoc tempore, nec embryon gracè vocetur, sed cicma adhuc*, scilicet, vteri gestatio.

Cum docet Auicenna, pro conceptu, *mundificandum esse sanguinem, & vterum per suppositoria supponenda, non ad os, sed intra collum vteri*; si hoc agendum monet ante conceptionem, documentum alienum est ab hoc capite; si autem tempore cōceptionis id faciendum præcipit, pręceptum hoc est præter omnem rationem; cum per huiusmodi suppositoria, videlicet, quæ apta sunt purgare vterum, & sanguinem, prouocentur etiam menses, quibus fluentibus, necessario abortus succedit.

Cap. XI. Hoc caput inseruit ad præparandam mulierem ad conceptum, expurgando corpus, & vterum, & simul etiam eidem tonum conciliando, nequaquam autem hæc conueniunt, si mulier conceperit.

Cap. XII. Cum inquit Auicenna, *quod quandoque necessarius est abortus in quibusdam horis, de quibus est illa, quæ est cum prægnans est puella parua, supra quam timetur mors ex partu*; intelligendum est, istam necessitatem esse ex parte mulieris concipientis, idest, quod vt saluetur hæc mulier ex partu, necessarium est vt abortum faciat, perdens fętum, ne hic ad debitam magnitudinem excrescens, adueniente naturalis partus tempore, sit causa mortis Matris; non autem intelligendum, quod hæc necessitas sit ex parte Medici, ita vt quandoque sit necessarium Medico, pro salute Matris, perdere fętum, quoniam hoc facinus est impium, scilicet, velle viuentem fętum interficere, abortum curando, quod iureiurando Hippocrates obstrinxit se nunquam facturum; cum tamen gentilis esset, nec Dei præcepta nouisset. At dices, periclitabitur mater ex partu, igitur ad præcauendam mortem Matris, fętus est perdendus. At scimus ex Diuo Paulo, non esse facienda mala, vt eueniant bona. Sed nonnulli, ad tollendum omnem scrupulum, dixere, ante

for-

formationem fętus licere prouocare abortum; quoniam tunc corpus non est organizatum, nec animatum anima rationali. Quæ sententia explodenda est; quoniam qui hoc tollit, tollit hominem, si non actu, saltem in potentia proxima, quæ ferè eadē est ac suus actus. Præterea, ignorat Medicus tēpora illa determinata. Quare consulo, vt nunquam Medicus hoc agat. Quod si Græci, & Arabes descripsere remedia fœtum interficientia, hoc ab illis factum fuit; quia legem nostram, vel non obseruarunt, vel non perfectè cognouerunt.

Cap. XIV. Hoc caput integrum exscripsit Auicen. à Paulo Lib. 6. Cap. 74. Verum cum deuenit ad eam partem, in qua tractatur, quomodo fœtus, vel magni capitis, vel magni thoracis, vel magni ventris sit extrahendus, non ita hac in vltima parte consentit Paulo, qui hæc habet. *Porrò si imus venter, mortuo fætu sit inflatus, vel aquam subter cutem collegerit, eadem ratione, ac viam euacuare, cum ipsis interaneis aggrediemur.* Auicenna autem inquit. *Et si fuerit inferius ventris apostemosum, & fœtus mortuus, aut viuus, oportebit tunc etiam vt euacuetur, sicut narrauimus cum eo, quod est in concauitate eius.* Quæ sententia Auicennæ discrepat à Paulo; quoniam Paulus solum loquitur de fœtu mortuo; Auic. autem vult idem agendum esse, etiam si fœtus viuat; & hoc forsan, ne Mater periclitata in partu pereat, & cū ea pariter fœtus moriatur. At hæc sententia Auicennæ explodenda est; quoniam necaretur infans viuus. At, periclitabitur Mater. Dico, ob periculum matris non esse necandum fętum; sed expectandum, an fœtus arte possit educi, vel an prodeat à seipso; cum enim prodierit, tutà erit tunc operatio. Aliud est animaduertendum circa sententiam Pauli, & Auicennæ, videlicet, quod iubent, aperto ventre educi intestina, & viscera omnia; quæ Paulus vnico nomine, interanea appellauit; quam candem sententiam habemus etiam Lib. de Superfętatione, in quo dum hæc operatio explicatur, hæc habentur. *Deinde in vnum cogens ventriculum perforato, placideque; & sensim intestina extrahito.* At huius oppositum habemus apud Hippocr. Lib. 1. de Morb. Mul. qui cum docet eandem administrationem, prohibet etiam omnino ventrem esse aperiendum; inquit enim. *Ne in ventrem feces, caueto; nam ventriculus cum intestinis, & oleto exiliret; Si quid enim horum excidat, maius negotium facessit.* Cuius sententiæ hæc potest esse ratio; quoniam magis lubricus est fętus ad exitum, si interanea non exierint, quàm si educta sint. Quæ tamen sententia non aduersatur Paulo, nec Auicennæ; cum hi loquantur de fętu ventrem naturali ampliorem, & satis tumentem habente. Hipp. autem sermonem habeat de naturali fętus statu, idest qui habet ventrem reliquo corpori magnitudine proportionatum; qui tamen paulo infra locutus de his fętibus, in quibus venter imus tumidior est, pariter monet, perforandum esse ventrem, non tamen adeo, vt detur exitus interaneis, sed solum inquit, vt quantum possit, vel flatus, vel aqua, quæ fuerit causa tumoris, educi; & ideo inquit. *Nam reliqua post hæc facile prodeunt, nisi venter eius iam tumeat; quod si fiat, melius est fœtus ventrem leuiter forare; nam flatus tantū, tumorue è ventriculo exibit, citiusq; & facilius sic prodibit.* Quæ sententia est maxime aduertenda; quoniam si venter tumeat ex causa morbifica, vel erit flatus, vel aqua;

quorum altetutro, facta leui perforatione, facile exeunte ſubſidebit venter; ex quo facilis etiam patebit exitus fetui; atque in hoc caſu ſat erit leuis perforatio. Si autem non ex his cauſis; ſed quia turgidior ſit venter ex bono nutrimento, vel quia admodum carnoſæ, vel amplæ ſint natura, vel ex apoſtemate, partes illæ ventris inferioris, tunc aperiendus erit venter, & interanea omnia extrahenda erunt, vt detur fetui facilis exitus. Et forſan iuxtà hunc ſenſu locutus eſt, Lib. de Superfetatione. Quæ differentia in fetu eſt aduertenda, vt ſciamus quando leuis perforatio in ventre, & quando maior ſectio ſit facienda.

Cap. XV. Facto abortu, ſuffumigia hæc non veniunt adminiſtranda, niſi in caſu, vel menſium, vel ſecundæ retentæ, alias poſſent, vel vteri deſcenſum, vel ſanguinis menſtrui nimiam euacuationem inducere.

Cap. XVI. Si Chorion retineatur, id primo conſiderandum à Medico fuerit, an os vteri ſit apertum, vel non. Si ſit apertum, leuior erit caſus, & facilius omnia deſcripta à Medicis, ſecundæ extractionem iuvabunt; ſi autem ſit clauſum, caſus eſt difficilior, nec præſcripta ad ſecundæ retentionem poſſunt eſſe iuvamento, antequam os vteri aperiatur, & ideo hunc caſum conſiderans Auicenna, inquit. *Et ſi fuerit retentio eius, propter vehementiam oppilationis, & conſtrictionis oris matricis, ingenietur ad dilatandum ipſum, aut cum digitis, aut cum effuſione vnguentorum calidorum, mollificantium*. Ex quibus habemus duos modos dilatandi os vteri. Alterum per digitos obſtetricis; alterum per infuſionem vnguentorum. Sed ad hanc dilatationem tentandam, notandum, quod ſi recens ſit iſta oris vteri conſtrictio, videlicet ſtatim eiecto fetu, tuta eſt illa per digitos illicò tentanda dilatatio; quoniam nondum facta eſt magna eius conniuentia, & omnes illæ partes adhuc madent; at ſi ſpatio temporis, vel hoc fiat, vel hæc apertio tentetur, fruſtra erit per digitos operatio; quinimo hac lacerarentur illæ partes. Quare, ad alterum auxilij genus ab Auic. propoſitum deſcendendum erit, ſcilicet ad infuſionem vnguentorum calidorum mollificantium. Sed dicam ego, quod conſueui in hoc caſu, maxima facilitate præſtare. Nam ſecunda retenta, cum oris vteri adſtrictione, cum hæc educi non poſſit, niſi eo aperto, non tantum laxantia olea, & vnguenta, quæ omnia odorata ſint appono, tum extra, tum intra eius pudenda; ſed & infundo clyſteres eiuſdem facultatis. At præter hæc, deſcendo ad infuſa intra vterum; nam per ſiphonem iubeo immitti, vel decocta, vel olea, ab obſtetrice perita, quæ ad os vteri pertingens, nouerit intra id cannulam ſiphonis inſinuare; nam hoc me nunquam fruſtratum eſt; cum hinc reſerationem oris vteri, & ſimul etiam ſecundæ eductionem obtinuerim.

Obſeruatio.

Educta ſecunda iam putrefacta, ad contemperandam caliditatem illarum partium, adminiſtrat *oleum roſ.* At hoc, cum ratione adſtrictionis poſſit viã præcludere, ac proinde menſes intercipere, mihi valde ſuſpectum eſt. Quapropter in hoc caſu, ego deuenio ad vſum olei violati.

Cap. XVII. Integrum hoc caput, quoniam valde obſcœnum eſt, & prauos mores inuehit, ac cedit in mulierum dehoneſtamentum; hinc enim non timentes conceptionem, Veneri illicitæ tutius operam darent, indignum eſt,

vt inter Medicæ artis præcepta connumeretur. Quapropter, vel reijciatur ab opere Medico; vel à prudentibus prematur Medicis, eadem ratione, qua modi conficiendi venena celantur.

Cap. XVIII. Sciẽdum est, molam propria significatione sumptam, nil aliud esse, quàm carnem informem, in vtero conceptam; vt habetur à Gal. Lib. 14. Meth. Cap. 17. & ab Arist. Lib. 4. de Generatione Animalium Cap. 7. de qua alias scripsi, & notaui, quomodo dicatur informis; cum tamen semper aliquam habeat formam. De hac tantum in hoc Cap. non agit Auicenna, cum per *molam*, hic non tantum intelligat molam propriè dictam; sed etiam vteri duritiem, conceptum flatuosum, aquosum, ex humoribus conflatum, & sanguineum. De vera mola agit, cum inquit. *Et quandoque est aliquid duritiei in matrice tota.* Et quando inquit. *Et quandoque deponit frustum carnis, cuius est forma quædam, cuius species non comprehenduntur.* De duritie, cum inquit. *Et quandoque est cum hoc durities quædam.* De conceptu flatuoso, his verbis. *Et inflatio ventris.* Et paulò post. *Et quandoque est illud, quod egreditur, tantum ventositas.* De conceptu aquoso, & ex humoribus, ac sanguineo, sic. *Et quandoque sunt superfluitates aggregatæ. Quare egrediuntur cum sanguine plurimo, ex eo qui retinetur.* Qui casus vltimus sæpius mulieribus contingit; vnde putantes se concepisse, cum menses amplius non fluant, tandem vnico effluxa excludunt, vel copiam humorum; vel sanguinis, qui crassior, & conglobatus ferè, dum primo effluit, apparet; vnde manifestè deprehendunt, non verum conceptũ se tulisse, sed collectam illam materiam in vtero præbuisse speciem veri conceptus; quem casum nostræ mulieres vulgò appellant, *la raccolta.* Ex quibus patet, Auicennam, per *molam* varia conceptuum genera intellexisse.

Quo autem ad signa veræ molæ, satis differt Auicen. ab Hipp. cum Hippocrates Lib. 1. de Morb. Mul. & Lib. de Sterilibus, dicat, *in vtero nihil moueri in his, quæ molam gerunt.* Auicenna autem dicit, quod *motu mouetur in hora quadam; deinde post illam non mouetur.* At hæc differentia sensu, non disputationibus tolli debet. Scripsi alias, molam moueri in vtero, & sensu, ac tactu ipso pluries deprehendi; præterea, mola ipsa statim à partu mouetur, saltem motu constrictionis, & dilatationis; vt in quibusdam obseruaui; si *Obseruatio.* autem post partum mouetur, quid prohibet eam moueri in vtero? Quare, non est quod Auicennæ auctoritas explodatur. Ad Hipp. autem, dixi, molam non moueri, ad ipsius mentem, non quod nullo pacto moueatur; sed quia blando illo, ac viuido motu, quo naturalis fœtus, non mouetur. Præterea non mouetur determinato tempore, vt fit in naturali conceptu, qui tertio, & quarto mense, vt plurimum incipit moueri, & inde vsque ad partum; mola autem non habet tempus hoc determinatum; sed ante, & post mouetur. Insuper, fętus sanus, post tertium, aut quartum mensem persentitur à Matre sæpius, & singulo fere die; at Mola raró mouetur. Nam inter eius motus plurium dierum intercedit interuallum; & ideo rectè dicebat Auicenna, *non mouetur nisi hora quadam; deinde post illam non mouetur;* & quidem forsan, quia mola non continuat suum motum, prout fętus naturalis; ideo iure dictum est ab Hippocrate non moueri. Quare ex his liquet, an

mola moueatur, & quomodo dictum sit ab Hippocrate, quod *in habentibus molam, nihil in vtero moueatur*.

Addit aliud signum Hippocrates, de quo nihil Auic. & est, quod *in habentibus molam, lac in mammis non gignitur*. De quo alias notaui, me vidisse in hisce mulieribus lac apparuisse; quod forsan negauit Hippoc. cum potius in his ichorosa, & lacti similis materia appareat, quàm verum lac; sed quid etiam prohibet in his posse verum generari lac? cum testetur Galenus Lib. 5. Aph. Com. 39. *lac posse generari in muliere non grauida*; quod fit, cum mulier similem venarum repletionem, ex menstruorum retentione habuerit, illi, quæ vtero gerenti contingit; si autem lac potest generari ex sola mensium retentione, si adsit plenitudo sufficiens, licet mulier vtero non gerat, potiori ratione, cum adsit similis dispositio, poterit generari in muliere, quæ molam conceperit. His addo, quod in maribus potest etiam lac generari, vt habet Arist. Lib. 4. de Animal. Gener. Cap. 12. & Lib. 3. eiusdem Cap. 20. quod lac verè lac est; nam ex hoc caseus fieri potest, vt narratur ab Aristotele loco citato de illo capro in Lemno, ex quo tantum lactis emulgebatur, vt Colostra inde conficerent; si autem in maribus hoc fieri potest, quod & mihi experientia compertum est, in viro mammas satis turgidas habente, ex quibus pro lubitu emulgebat lac, quid prohibet hoc fieri in muliere hujusmodi mammas, sed magis fungosas habente; & præter hoc, vtero conceptum, licet non naturalem gerente, quem, & retentio mensium, & plenitudo venarum, qualis fit in vtero gerente sequitur? Quare credo, quod & vidi, posse in habentibus molam generari lac; quod forsan negauit Hippocr. vel quia has non viderit, vel quia talis generatio lactis non in omnibus apparet; vel quia existimauit hunc succum non esse verum lac, & aptum nutritioni.

Obseruatio. | Obseruatio. | Obseruatio.

Quoad causas molæ, duas assignat Auicenna; quarum prima est *multitudo materierum effusarum ad vterum, cum caliditate vehementi*. Secunda est, *coitus ille, in quo semen mulieris, absque semine virili, receptum intra vterum, ab eo comprehenditur, & fouetur*. Ex quibus causis putauit Auicenna, deficiente virtute masculina, non fieri quidem conceptum naturalem, sed molam; quoniam natura semper quod melius, agit. At Hippocrates locis citatis, longè veriorem assignat causam, dicens, molā generari in mulieribus, *cum plura menstrua insunt; pauculum vero sit semen, ac morbosum*. Nam cum virtus formatiua pendeat ex semine; semen autem in hoc casu, non solum sit paucum, sed etiam morbosum, idest, intemperatum, nulli dubium, quin hoc semen non sit aptum ad impertiendam vim formatiuam; nam cum in vnoquoque genere detur maximum, & minimum; ita etiam in semine datur determinata quantitas, quæ vel maior, vel minor est extra naturæ limites. Vnde cum paucum sit semen, idest minori quantitate, quàm opus sit fœcundo semini; & præterea hoc sit etiam morbosum, idest, intemperatum, nequaquam erit aptum ad formandum fœtum naturalem. Quo casu, si hoc semen etiam obruatur à nimia materiæ copia, videlicet, à menstrui sanguinis abundantia, eò minus aptum erit ad formationem impertiendam; cum à nimia copia omnes virtutes labefactentur. Quapropter iure quidem succedet conceptus (quoniam

quæ

quæ sunt viri, & mulieris, simul concurrãt quod pro certo supponendũ, quoniam hoc absente, nihil concipi potest) non tamen formabitur fœtus naturalis; quoniam semen, à quo vis formatiua dependet, non sufficit ad formandum hominem, tum quia paucum, tum quia intemperatum, tum quia à nimia copia obrutum; quo casu, natura, quæ semper meliorem, quàm fieri potest è materia educit formam, non amplius hominem, quem non potest; sed rudem, & indigestam efformat carnem; quæ vitalem primo suscipiens spiritum, deinde, & naturalem, & animalem facultatem consequitur; quorum ratione viuit, nutritur, & mouetur. Verum, quoniam non organizatur, ideo non est verum animans, sed inter Zoophyta connumerari potest, cum habeat vitam, & nutritionem, ac motum imperfectum. Ideo non abs re dicebat Arist. Lib. 4. de Generatione Animal. Cap. 7. *in hac molæ formatione naturam certare de vita, nec posse perficere, finemque apponere generationi*. Nam cum prima intentio naturæ sit, ex semine humano hominem formare, nec in hoc casu queat, tentans, & certans natura de vita in hac materia, cum non possit assequi scopum, nec inducere humanam formam, inducit quam potest, atque adeò generat molam. Quare, secundum Hipp. sententiam, molæ vera causa erit semen paucum, & morbosum, cum plurima sanguinis menstrui copia. Nec est quod quis opponat, quod hoc semen, vel est infęcundum, & ideo nihil tale generare potest; vel est fęcundum, & tunc non molam, sed morbosum fętum, naturalem tamen generabit; quoniam, vt habet Hipp. Lib. de Aquis, Aere, & Locis, *ab infirmis, infirmum deciditur semen, & infirmi generantur fœtus*; in casu enim proposito, dicimus, semen esse fœcundum, sed non sufficere ad formandum fętum naturalem, tum quia paucum, tum quia intemperatum, ac proinde debile, tum quia à nimia nutrimenti copia obrutũ prohibetur ab opere proprio, fateor tamen quod, si tot causæ proprium eius finem non frustrarentur, infirmum, & debilem generaturum esse fętum. His suppositis, quid de Auicennæ sententia censendum sit, satis liquet; nam quoad primam causam, quod *multitudo materierum effusarum ad vterum concurrit ad molæ generationem, clarum fit*; cum requiratur menstrui sanguinis plurima copia; sed cum addit, *cum vehementia caliditatis*, falsum dicit; quoniam nec experientia, quæ testetur hanc caliditatem, nec ratio hoc dictat; quoniam cum calor exuperat, virtutes validiores redduntur, & potissimum formatrices, quæ à solo calore hoc habent, quod tales sint. Quo autem ad secundam causam, quod ad generationem molæ non concurrat semen virile; sed tantum femineum, est præter rationem; cum ad omnem conceptum, tum naturalem, tum non naturalem, vt habetur ex Gal. Lib. 16. de Vsu Partium Cap. 17. tum quæ viri sunt, tum quæ mulieris, concurrere debeant; vnde fit, vt & mulieres à Venere abstinentes nihil concipiant, & quæ molam gerunt, omnes virorum concubitu vsæ sint. Si autem semen mulieris esset sufficiens ad molam, virgines, & quæ virum non admittunt, tale quid concipere, ex pollutionibus saltem nocturnis possent; cuius tamen oppositum experientia, & omnes historiæ testantur. Qui vero cum Auicenna arbitrantur, molam generari ex solo calore magno, sanguinem concoquente, & eum in carnis formam, per continuatam, vel halitus, vel roris speciē

appo-

appositionem redigente, primo negant sensum; nam cum mola alligetur vtero, nec à puro sanguine hæc ligamenta fieri possint, sed requiratur materia viscida,& tenax,& quæ spiritum concipere possit, ad formationem meatuum,quos alimentũ permeare debet, ad nutritionẽ molæ;hoc autẽ nequeat quicquã præstare,nisi semen,sensum negant,dicentes molam ex solo sanguine generari, prout etiam caro. Præterea, si à sanguine, sine semine fieri posset mola, mulieres etiam Venere non vtentes hanc possent concipere, cuius contrarium iam statutum est. Nec est quod dicas, muliebria loca magis incalescere ex vsu Veneris; ideo hæc sola esse apta ad molæ generationem; quoniam plures mulieres, sanguine multo, & calore propriâ naturâ abundantes, Venere ad calefaciendum vterum non indigent, in quibus saltem fieri posset mola, sine concubitu viri. Præterea qui hoc dicunt, adducunt quidem causam generationis carnis in mola; sed non causas generationis molæ. Quare superest, meo indicio, sola Hippocratis sententia amplexanda, & pro vera habenda.

Dicebat Arist. Loc. cit. Lib. 4. de Generatione Animalium. *Molam ita obdurescere, vt vix ferro transfigi possit*. Quam sententiam nonnulli considerantes, arbitrati sunt, molam tantam duritiem in vtero habere; ac propterea dixere, in gerentibus molam, in ventre maximam duritiem persentiri. At hi parum in operibus naturæ exercitati sunt; nam molæ, quæ sunt eius conditionis, vt adeò obdurescant (non enim omnes sunt huiusmodi) hoc habent à partu, cum refrigeratæ fuerint; nam dum vtero gestantur, & dum pariuntur, sunt molles; refrigeratæ autem indurantur; id quod docebat Arist. cum inquit. *Quæ autem prodierit*, idest, quæ iam partu exclusa est, *adeo obdurescit, vt vix ferro transfigi possit*. Ex quibus liquet, molam post partum duram euadere; non autem ante partum. Quæ verba Aristotelis si rectè considerata fuissent, molam in vtero durã esse nõ dixissent. Cur autem adeo dura fiat, dicebat Arist. hoc *fieri ratione inquinamenti*; nam cum elixatio opponatur inquinamento, illa inquinari dicuntur, quæ à diminuto calore elixari non possunt. Cum ergo in generatione huius carnis necessaria sit quædam elixatio, & concoctio, & hæc materia, ob imbecillitatem caloris non possit elixari, & perfectè concoqui, sequitur vt acquirat dispositionem similem ei, quam habent, quæ inquinationem passa sunt; hæc autem duriora euadunt, quàm prius; & ideo, huiusmodi molæ, postquam in vtero aliquam coctionem, vel potius inquinamentum passæ sunt, duriores à partu euadunt. Nec est quod dicas, has molas esse duras; quia sanguine crassiori nutriantur, prout & generantur tumores præduri in corpore nostro, à crassis succis; quoniam si hoc foret, ratione solius materię, æquè duræ essent intra vterum, ac extra. At cum solum habeant tantam duritiem à partu, hoc non potest fieri à sola materia, sed etiam requiritur inquinamentum. Non sunt autem duræ in vtero molæ, licet nutriantur sanguine crassiori; quoniam adhuc feruet opus naturæ, elixationi simile, quo cessante, at non perfecto, succedit inquinatio, ex qua res duriores, quàm alias sint propria natura, euadunt.

Declarans Hipp. molas gestari aliquando duos, aliquando tres annos; quo-

quoniam hæ inter se differunt; cum aliquando vna tantum sit caro, aliquando plures. Subiungebat. *Quòd si vna caro fiat, ex ea femina peribit, nec superesse poterit.* Quam sententiam nonnulli explicantes dixere, hanc esse Hippocratis mentem, vt si sit vna mola, & vna caro tantum, mulier eam patiens ex partu peritura sit. At longè aliter interpretandus est Hippocrates; cum experientia constet, mulieres vnicam patientes molam, non necessariò perire; sed superesse posse, vti ego sæpius vidi. Dico autem, Hippocratem dixisse, quod *si vna caro tantum fiat, ex ea mulier peribit, nec superesse poterit*; quia mulier concipiens hanc molam vnicam, plurimum eam, nec parit, nec excludit, quod facit, si plures sint. Molæ enim, quæ per annos gestantur, ex vnica constant; quæ autem pariuntur, plurimum solent esse plures carnes. Ratio autem dictorum Hippoc. hæc est, quod cum vnica est mola, ligamenta sunt validiora; cum autem plures ligamenta sunt imbecilliora; cuius ratione, illa cum difficultate, hæ facile excludi possunt; nam cum virtus vnita sit fortior, quàm dispersa; ideo cum plures sunt molæ, quoniam ligamenta sunt varia, & distincta; ideo hæc imbecilliora erunt; si autem vnica sit caro, quoniam ligamenta vnita sunt, & ad vnum tantum disposita, ideo valentiora erunt. Quare hæc difficulter; illa facile excludi poterit. Quæ difficultas pariendi vnicam molam induxit Hippocratem in eam sententiã, vt censeret, quod *si vna fiat caro, mulier ex ea peribit, nec superesse poterit*, non quod mulier ex partu huius molæ peritura sit; sed quia ob robur, & fortitudinem ligamentorum, non potis eam parere, eam retinebit, nec pariet, ac proinde *cum ea peribit; nec superesse poterit*, idest, cum eam paritura non sit, non poterit eius partui superesse, quia peribit mulier, eam adhuc in vtero gerens; cuius ratione dicebat Arist. Loc. cit. *Quin & tota vita durat hoc vitium, vt & consenescat, & commoriatur.* Consenescit autem, & commoritur; quia mulier hanc molam non parit; & ideo perit cum mola, nec eius partui, cum eam non pariat, superesse potest. Quæ sententia vera est quidem de illis tantum, quæ vna solum carne constant; non tamen è contrariò verum est, quod in omnibus mulieribus vnicam concipientibus molam, semper hæc mulieri consenescit, & commoritur; nam aliquæ ex solis, licet cum maxima difficultate, & maximis torminibus excluduntur, superstitibus tamen mulieribus; vt patet ex Arist. cum narrat eius historiam, quæ dysentericis doloribus superuenientibus molam peperit, cuius, si perijsset, mortem non tacuisset. Quare hæc Hipp. sententia, quod *si vnica fiat mola, pereat ex ea mulier, nec superesse possit*, vera est, vt plurimum; prout in Arte Medica fieri consueuit.

Obseruatio.

His explicatis, ad molam spectantibus, aliud considerandum videtur, quod Auicenna, vel tanquam dubium; vel à se non animaduersum, omisit, scilicet, an mulieres molam concipientes possint fœtum naturalem concipere. Quæ difficultas licet hinc inde multis adductis rationibus agitari possit; tamen cum re ipsa solui possit, nõ est quod disputationibus longius protrahatur. Vidi siquidem ego (quod & ab alijs proprijs oculis conspectum fuisse audiui) nonnullas mulieres, quæ cum fœtu naturali, simul etiam molam excluserunt. Alias noui, quæ à partu naturali, post aliquot dies, molam

Obseruatio. *Alia obs.*

pepe-

peperere. Quare certum est, mulierem posse eodem tempore, & conceptum naturalem, & molam simul vtero gerere. Sed in hac re potest esse difficultas de tempore conceptus, scilicet, an ante conceptum naturalem, an verò vna cum conceptu naturali; an post eundem concepta fuerit mola. Ego certè eius sum sententiæ, omni tempore hanc fieri posse: nam de tempore post conceptum, sicuti potest fieri superfœtatio naturalis, vt Hippocrates, Aristoteles, Galenus, cæterique Auctores, ac experientia ipsa comprobat; pari ratione etiam potest superfœtatio fieri ex mola, concurrentibus ad huius generationem causis iam enarratis; nihil enim prohibet, quominus, vt causæ superfœtationis naturalis possunt adesse, pariter non naturales concurrere queant. De eodem verò tempore conceptus vtriusque simul, idem censeo; quoniam si duo gemelli ex vno coitu procreari, stante copia, & perfectione seminis possunt; pariter præsente eadem copia, ex qua decidat seminis pars aliqua; imperfectio tamen altera perfecta, ex illa partus naturalis; ex hac mola procreari poterit. De tempore ante conceptum naturalem maior potest esse dubitatio; quoniam rationi consentaneum est, vt concepta mola, propter obsessum vterū, & quia male eum afficit, cum sit res præter naturalis, impediat conceptionem naturalem. Attamen huius rei historiam Lib. 5. Epid. historia 11. habemus, in qua narratur, vxorem Gorgiæ in Larissa, quatuor annos molam gestasse, & tamen postea femellam concepisse; à cuius partu, 40. diebus post, eam exclusisse; nec forsan sine ratione; quoniam mola fortasse non erat magna, & vterus potuit esse amplior; vnde locus fuit fetus naturalis capax; non tamen vsquequaque commodus; atque adeo puellā illā, vlcus in coxa, forsan ea parte qua molam attingebat, habentem enixa est. Quapropter existimo, omni tempore conceptionis naturalis, scilicet, & ante, & post, & eodem posse molam concipi, & gestari. Verum quoniam hi casus rari sunt; ideo parum animaduertuntur, quæ forsan causa, cur nec de hoc Auicenna quidquā narrare, aut docere voluit.

Cap. XIX. Sicuti confusè egit Auicenna in superiori capite, de mola; ita confusam tradidit eiusdem curationem in hoc. Ratio est; quoniam partem curationis exscripsit ab his, qui pro mola, intellexerunt, & curarunt vteri scirrhum; alteram verò partem exscripsit ab his, qui propriè dictæ molæ curationem tradiderunt. In cuius curatione tres hi scopi principales attenduntur à Medico. Primus erit laxare ligamenta molæ. Secundus, prouocare menses. Tertius irritare vim expulsiuam vteri.

Cap. XX. Illa verba. *Et moritur fœtus, propter illud, quod aduenit ei de labore, & propter illud, quod accidit ei ex apostematione exterius, cum prolongatur, & non sedatur in tribus diebus*; docent, ex duabus causis fœtum, qui ex difficili partu, ob figurā nō naturalē alterutrius eorū prodeat, mori; quarum prima est, ob nimium laborem, cuius ratione tertia quadragenaria (de qua in Lib. de Septimestri partu) fit magis lethalis, & periculosior. Secunda est; quoniam ex difficili partu intumescit totus fetus, qui tumor nisi tertio die subsideat, lethalis est, prout docet Hippoc. Lib. de Octimestri partu, (ex quo loco exscripsit hanc sententiam Auicenna) his verbis. *Qui autem subito, cum ex ventris angustia prodierunt, crassiores, maioresque quam ratio exposcat, fiunt, plerunque*

runque pereunt; cum non verum incrementum, sed tumor accesserit, nisi statim tumor, vel tertio die, vel paulo diutius subsidat, & demittatur; morbosi enim inde emittuntur.

Cap. XXI. Inter causas difficilis partus, ex Matre, refert Aetius, si ossa pubis arctius coniuncta sint, facere ad difficultatem hanc; quoniam dilatari non possunt. De qua causa quid sentiendum, alias abundè scripsi. Quare hac nunc supersedebo, potissimum cum ab Auicenna non fuerit admissa. Hoc solum tamen circa ossa pubis animaduertam, quod nemo adnotauit, videlicet, quod ossa pubis naturaliter constituta, licet nec faciant ad facilem, nec ad difficilem partum; tamen si nimis depressa sunt, cum ex hac depressione angustiora reddatur via ad exitum fętus, valde difficilem reddunt partum; atque plures inueniũtur mulieres, sic ossa conformata habentes, quæ sicuti in partu, ob hanc depressionem, cæteris magis laborant, ita & in vsu Veneris, si admodum eleuata non teneant crura, & coxas, vel male admittunt virum, vel ægrè concipere possunt; quoniam non ita viro possunt aptare naturalia membra. Quæ aduertenda sunt, tum pro conceptu; tum pro partu.

Inter causas difficilis partus, ex matrice, recenset Auicenna, ad mentem Aetij, *eius paruitatem*; quanquam ex Hipp. Lib. de Pueri natura, consecutione quadam, vteri magnitudinem facere ad difficultatem partus habemus; cum enim in magno vtero possit facile inuerti puer, hinc fit quandoque vt non seruet figuram naturalis partus; & inde, vel in pedes, vel in latus, vel obliquè prodeat; ex quo difficilis succedit partus: dicebat enim Hipp. loco citato. *Sin autem in latus, aut in pedes, quod sæpè cadit. Si verò casus sic tulerit, vel locellis latioribus; vel quia mater cum parturire cæpit, non satis quiescit; quod si fiat, mulier difficilius pariet.*

Cap. XXII. *Dolor declinans ad anteriora, & ad ventrem, & ad pectinem*, inquit Auicenna, *facilem partum prognosticatur; si autem declinat ad posteriora, & ad dorsum, difficilem partum prænunciat.* Quæ sententia licet vt vera sit admittenda à Medicis, tamen sciant, difficilem esse quandoque partum, nullo, nec præuio, nec præsente dolore. Quod licet rarissimum sit, & forsan præter rationem videri possit, tamen non est impossibile, vt mihi compertũ aliquando experientia, qui vidi mulieres quasdam descendentem fętum solo conatu, nullis præsentibus doloribus peperisse, cum tamen aliquot dies in hoc laborassent; cuius ratione Medicum auxilium coactæ sunt implorare. *Obseruatio.*

Cap. XXIII. *Suppositoria aromatica*, non tantum faciunt ad facilitandum partum; sed etiam ad eundem ante tempus prouocandum. Quare mihi hæc valde suspecta sunt ante horam partus. Quare vsurpentur tantum emollientia, & dimittantur aromatica. Quod verò de suppositorijs est obseruatum, obseruetur etiam de suffumigijs, ex moscho, & alijs huiusmodi.

In hora partus, monet Auicenna, vt *mulier aperiat os suum, quantum potest, & intromittat aerem plurimum, attrahendo ipsum naribus, quanto plus potest; hoc enim* inquit *extrahit fætum, & secundinam*. At hoc præceptũ est contra Hippocratem, qui voluit, etiam in expellenda secunda, mulieres retinere spiritum; nisi forsan intelligat Auicenna, plurimum aeris prius esse attrahendum, ante-

quam

quam eum retineat, vt plurimo aere prius attracto possit postea longiori tempore ipsum retinendo, maiori propellere conatu. Sciant autem Iuniores, in parientibus attractionem plurimam aeris esse etiam plurimum noxiam.

Cap. XXIV. *Iucundi, & delectabiles odores,* faciunt potius ad ascensum vteri, qui in partu descendere debet. Quare hi caueantur, & administrentur in virium defectu, odores ciborum tantum; hi enim habent analogiam ad spiritus, nec possunt esse causa vt sursum vterus ascendat.

Quod ad instaurandas, & fouendas vires in parturientibus conueniat *vinum optimum, & generosum,* facile concedendum est; sed quod dare inpotu eis *cados* huius liceat, minimè admittendum; cum omnis repletio in hoc casu vitanda sit, & præcipuè potentioris vini, quod multa mala, agitato corpore, ebibitum inferre potest. Quare, ego potius cyathos, quàm *cados* legerim.

Cap. XXVI. Si non iuuet operatio cum contrectatione manuum, disponendo fętui ad figuram naturalem, ego deueni ad aliud opus; Iussi enim apprehendi mulieris crura, & coxas, ac decliui reliquo corpore cōquassari; ex qua concussione successit quandoque, vt fętus commotus acquireret situm, quo facilius, vel egredi, vel ad exitum, manus opera disponi posset.

Cap. XXXI. Medicamentum illud, ab Antiquis exscriptum, ad facilitandum partum, quod inter cætera recipit *opium,* nullo pacto in vsum reuocandum; quia remittere dolores partus est reddere partum difficiliorem. Ideo iure dicebat Auicenna. *Et quod magis diligendam est vt minoretur opium.* Verum non tantum minuatur, sed penitus excludatur.

Emplastra illa, Epithemata, & suppositoria confecta ex colocynthide, ruta, cucumere asinino, aristolochia, elleboro, & similibus, ableganda sunt; quoniam non tantum prouocare partum, sed etiam interficere fętum apta sunt. Quare, vel nusquam veniant in vsum; vel tantum si fętus perierit.

Cap. XXXII. XXXIII. & XXXIV. Cum *acetum* partibus neruosis, & præcipuè vtero sit infestum, illa applicatio panni infusi in aceto, cum vterus iam ex doloribus partus dilaniatus, & male affectus est, nequaquam admittenda erit; potissimum verò cum copia medicamentorum ad hæc vtilia præsto sit, quæ nihil nocumenti admistum habent.

Cap. XXXV. & XXXVI. Cum omne *granati* genus, facultatem adstringentem habeat, licet plus, vel minus, vt docet Galenus; ideo granata in hoc casu suspecta esse debent; cum adstringentia exhibita apta sint mensium purgationem cohibere.

Cap. XXXVII. & XXXVIII. Cum dolor vteri in puerperis possit vel à flatu, vel à refrigeratione, vel ab immodica calcfactione, vel ab inflammatione fieri, non vnica conuenit curatio, sed varia, pro varietate causarum.

Fen Vigesima Prima Tractatus Tertius.

Cap. I. MEnstrua purgatio est constituta ex præscripto naturæ, singulis mensibus, sanguinis muliebris, qui eius nutritioni superest, eua-

euacuatio. Hic sanguis superest ex mulieris nutritione; quoniam cum mulier non frigida simpliciter, sed comparatione hominis sit, & ideo viro frigidior, idest, minus calida fuerit genita à natura, hinc habuit, vt ratione mediocris caloris, apta sit ex alimento assumpto plurimum sanguinis generare; verum quoniam hic calor est adeo remissus, vt nequeat totum sanguinem, & nutrimentum quod concoxit, ac confecit, vel in corporis alimentum conuertere; vel absumere, ac discutere; ideo in corpore muliebri, cum ad pubertatem deuenerit, & donec ætatem senilem attingat, semper sanguinis aliqua portio superflua singulis, ac continuis diebus aucta, ac congesta, tandem quolibet mense per vterum expurgatur. Hic verò sanguis est eiusdem naturæ, & conditionis, ac ille, qui nutritioni inseruit, nec alia ratione à natura excluditur, nisi quia superfluus est, & quia eo non eget natura ad illum vsum: nam in muliere, non duplex, sed vnus tantum generatur sanguis; vnica enim in ea virtus viget sanguifica, & vnicum est hepar huic sanguificationi dicatum. Quare totius sanguinis massæ vnica erit forma, cuius tamen altera portio nutritioni; altera, quæ ob copiam, superflua est, euacuationi destinatur. Hic verò sanguis qui superest nutritioni in muliere, seruatur in venis, in quibus paulatim singulis diebus congestus, tandem eo vsque accumulatur, vt grauis factus naturæ, eandem stimulet ad excretionem, eadem ratione, qua fiunt à natura crises; in quibus si perfectè hæc materiæ molestæ dominetur, perfecta etiam fit crisis; prout & hic accidit; nam stimulata natura à mole illa sanguinea, si perfectè ei dominatur, transmittit hunc sanguinem ad vteri vasa, ad hoc ab eadem destinata, per quæ euacuat, & educit; cuius ratione fit, vt imminente menstrua purgatione, vterus crassior, ac turgidior appareat; quoniam illa sanguinea humiditate tunc irrigatur, quod alijs non contingit temporibus; quoniam superuacuus sanguis in venis tunc seruatur, nec ante mensium tempus ad vterum transmittitur. Hanc sententiam, contra multorum opinionem, qui non singulis mensibus; sed singulis diebus deponi hanc materiam ad vterum existimarunt, confirmant hæc argumenta. Primò quidem, quia natura copiam materiæ non excludit, priusquam ea grauetur; virtus enim expulsiua ad opus suum obeundum non excitatur, nisi à materia, vel qualitate, vel quantitate molesta irritetur; at grauitatem ex copia sanguinis non persentiunt mulieres, nisi singulo quoque mense, non singulo quoque die; igitur singulis mensibus fit hæc depositio ad vterum, non singulis diebus. Quinimo, cum in plurimis minima sit portio sanguinis, qui quotidie cumulatius generatur, & quæ ob sui molem non potest esse grauis naturæ, liquet, talem depositionem singulo die fieri non posse. Secundò, mulieres ex proprio temperamento, plurimum, ac superfluum benigni alimenti colligunt; hoc verò alimentum benignum est sanguis; igitur nulla qualitate est molestus. Quare iure potest, ac debet reseruari in venis, quoad copia excedat, qui excessus non fit nisi singulo quoque mense, vt patet sensu in mulieribus; cum ante statum purgationis tempus, & ipsæ sibi grauiores videantur, & venas tunc temporis ampliores, & turgidiores habeant; quod singulis diebus non sentiunt. Tertio, lac menstruo proximum dicitur; quoniam ex eadem ma-

 teria,

teria, ideſt, ex ſuperfluo benigni alimenti, quod eſt ſanguis, vtrumque generatur; hac tamen differentia, quòd mammæ hoc à venis tranſmiſſum attrahunt, pro generatione lactis; Vterus autem non attrahit, ſed recipit tantum hoc à venis tranſmiſſum; ex quo fit, vt propter attractionem mammarum, continua fiat generatio lactis, ſuppeditata materia à venis; quæ virtus attractrix cum vtero ſit negata, non eſt quod continua menſium fiat in eo collectio, licet copioſa in dies, ipſius cauſa, in venis cumuletur materia; quoniam hæc non tranſmittitur, niſi cum naturæ, ob copiam exuperantem fuerit grauis. Quarto, mulieres rarius incipientibus, vel deſinentibus menſibus (licet eo tempore facilius, propter vteri, ob vaſa patentia, & expurgata internam aſperitatem, quam quolibet alio tempore concipiunt; nam conſtat, ſingulis diebus, & etiam medio purgationis tempore eas concipere; quo ſuppoſito, ſi ſingulis diebus deponeretur ſanguinis ſuperflui copia ad vterum, ſequeretur neceſſario, fœtum à principio impuriori ſanguine (cuius contrarium conſtat) nutriri, quàm temporis progreſſu, & vltimis diebus; nam poſt primos dies à purgatione, ſi ſit depoſitus ſingulis diebus ſanguis ad venas vteri, ex eodem, quoniam præſtò eſt, nutriri omnino debet; qui tamen, quoniam ibi conculcatus moram trahit, propria benigna qualitate priuatus, imperfectior, & deterior eſt eo, qui in venis propriam naturam conſeruans, aptior eſt ad fœtus alimoniam. Quare ad vitandum hoc incommodum, & detrimentum, iure cenſendum eſt, naturam non tranſmittere ſanguinem ſuperfluum ad vterum ſingulo die; ſed ſingulis mēſibus. Quinto, ſi deficientibus menſibus, ſanguinē ex naribus profluere eſt bonum, vt Lib. 5. Aph. 33. habetur, quia ſcil. ſanguis, qui ſingulis menſibus bene euacuatur, & qui retentus, mulierem neceſſario lædit, per aliam partem euacuatus omnem corporis tollit noxam. Igitur ſuperflua hæc copia ſanguinis in venis retinetur, non autem in vtero ſingulis diebus recipitur: ſi enim in vtero eſſet, per nares fluere non poſſet. Quod idem ex hoc confirmatur; quoniam non his deficiunt menſtrua, quia fluat his ſanguis è naribus; ſed his fluit ſanguis è naribus, quoniam deficiunt menſtrua; & ideo iure dictum eſt, *deficientibus menſibus, ſanguis è naribus fluens bonum*. Concludo igitur ſuperfluum hoc benigni alimenti, quod eſt ſanguis, & in mulieribus præter neceſſitatem pro nutritione generatur, retineri in venis, nec ante menſium tempus, ad vterum tranſmitti; quo tempore, quoniam natura ea copia grauatur, deponitur ad vterum; quod cum ſingulis accidat menſibus, ideo cum ora vaſorum vteri nihil patiuntur, ſingulis menſibus fit hæc menſtrua purgatio. Cur autem quolibet menſe naturaliter purgentur mulieres, non ſola ſanguinis ſuperuacui copia aſſignanda eſt cauſa; quoniam ſiue parcior, ſiue copioſior ſit in muliere ſanguis, dummodo nullum adſit impedimentum, ſemper fit hæc purgatio eodem ordine. Quare altius cauſa inquirenda venit; quæ nulla certè alia fuerit, quàm ſtatus naturæ ordo, quæ ſicuti per certos annorum circuitus, ætates diſtinguit, & terminat; & quæ prout per certos dierum circuitus morbos iudicat, & ſoluit; ita per ſtatos menſium circuitus muliebres purgationes molitur, & perficit. Vnde & ratione huius certi motus, vocatur hæc euacuatio menſtrua; & quæ euacuantur,

tur, menses appellantur. An autem copia ista sanguinis, quæ singulis mensibus naturaliter expurgari debet, si non euacuetur, sed retineatur, etiam debeat menstruum excrementum, seu menses appellari, dubium esse potest; cum enim non habeat periodum per menses, nequaquam videtur mereri nomen menstrui, aut mensium. Præterea, cum non sit semper separatus hic sanguis ab alio, qui nutritioni dicatus est; sed ei in venis permistus retineatur hoc nomine non videtur vocandus, nisi abusiuè, & desumpto nomine, non ab eo, quod est, sed ab eo quod deberet esse, quod nulli cæterorum totius corporis excrementorum competere clarum est. Quare, proprie loquendo, dicendum erit, sanguinem superfluum, eo casu, in muliere abundare; non autem menstruum retineri; quoniam vnus est solum sanguis in muliere, non duo inuicem distincti; ita vt vnus nutritioni, alter excretioni destinatus sit. Nec est quod ex multis symptomatibus, quæ succedunt abũdantiæ huius superflui sanguinis, arguas diuersitatem eiusdem; cum hoc excreto, & eo, qui ad nutritionem destinatur, solum retento, nulla mala; sexcenta autem incommoda, illo suppresso sequantur; quoniam multitudo, & diuersitas hæc symptomatum superuenit, non quia vnus eiusdem conditionis sit in muliere sanguis; sed quia superfluus est, & grauis naturæ; cuius ratione cum huic ponderi succumbat, in plerisque læditur, & pro ratione qualitatis sanguinis, variat læsio. Vnde in muliere, quæ inculpata degit sanitate, sola sanguinis benigni copia, si hæc non purgetur, præter corporis grauitatem, & alia accidentia communia plenitudini quoad vasa, nulla alia symptomata infert. Si autem mulier vitioso scateat sanguine, pro ratione humoris in eo abundantis, & peccantis, diuersa succedunt symptomata, aliquando bilem, aliquando pituitam, aliquando melancholiam, (prout hæc, vel illa magis abundat, & prout magis læditur hoc membrum, quàm aliud) consequentia. Quare hic sanguis, qui in muliere copiosus generatur, quique aliqua sui parte excerni, alia verò ad nutritionem retineri debet, eiusdem formæ erit totus, & vnicam habebit naturam. Si autem hoc, cur ille, qui ad nutriendum corpus retinetur, est benignus, & vtilis; qui autem per vterum excernitur, insigniter adeo prauus est, vt non tantum mulierem ipsam, dum expurgatur, male afficiat; sed etiam plura exteriora lædat? Ab hoc enim fruges, & plantæ, eo tactæ exsiccantur, semina infœcunda redduntur, viri ex coitu circa pudenda exulcerantur, fœtus morbidus, & in lepram, & Elephantiasim pronus generatur, canes in rabiem agũtur, mulieres steriles efficiuntur, homines dementantur, pluraque alia hujusmodi mala inducuntur. Nec est quod dicas, quod hæc fabulosa sint; quoniam non tantum antiqui hæc vera esse testati sunt; sed etiam experientia ipsa hoc idem comprobat; nec quod vulgò accidit, omnino potest esse falsum; vel quod solum vitiosum sit menstruum in illis mulieribus, quæ vitioso sanguine abundant; cum per vterum, simul cum mensibus, etiam alij vitiosi expurgentur humores, qui magis corrumpentes sanguinem iam vitiosum, possunt esse causa, vt huiusmodi menses apti sint inducere innumera mala; in his autem, quæ benignum habent sanguinem, nihil tale accidere possit; quia in his menstruus sanguis est temperatus, nec hæc mala produ-

cere aptus; quoniam ex solis vitiosis succis hæc prouenire nequeunt, vt clarum sit ex eo, quod succi noxij exeuntes, siue sit pura bilis, siue pituita simplex, siue atra bilis, nihil huiusmodi facere apta sunt: propter quod enim vnumquodque est tale, & illud magis. Quare non in prauitatem succorum, & sanguinis hæc mala sunt referenda; sed alia assignanda est ratio, hæc scil. cum adueniente menstruæ purgationis tempore, sanguis à venis ad vterum transmittitur, affatim ad vasa ipsius vteri effunditur, qui postea, ob superfluam copiam (multa enim est, vt apparet ex tumente, & crassiori tunc temporis facto vtero) conculcatur in ijsdem vasis, ob eorum angustiam, respectu molis, ex qua conculcatione cum propius accedat ad naturam sanguinis, in grumos concreti, & inde proprijs spiritibus, qui tunc suffocantur, priuetur propria benigna qualitate, eijcitur, & prauam conditionem consequitur; quæ postea deterior redditur, cum sanguis ille iam conculcatus, & infarctus suscipitur in loco concluso, & humido, idest, in cauitate vteri, in qua etiam aliquantisper moratus, ob loci conditionem, deterior efficitur; quæ prauitas est tanta, vt ferè ad deleteriam naturam accedat. Nec hoc mirum videatur; cum experientia testetur, sanguinem, si præter infarctum etiam concrescat, similia lethali veneno accidentia inferre. Cum autem sanguis in vasis conculcatus parum distet à concreto, licet non adeò lethalis; prauus tamen fuerit, cuius ratione postea malè afficiuntur mulieres, dum purgantur; quoniam in huius sanguinis corrupti euacuatione plurimæ fiunt euaporationes, ad partes superiores exhalantes, mulierem inficiunt, & labefactant. Hinc etiam fit, vt hic sanguis pluribus rebus sit noxius, & plura mala produeat; quoniam ex infarctu, suffocatis spiritibus, & praua natura, antipathiam naturalem ad plures res naturales consecutus est; quam antipathiam, & naturæ corruptionem tum consequitur sanguis temperatus, in temperata muliere; tum vitiosus in intemperata, & cacochyma, licet non pari gradu semper. Si enim maior, & diuturnior est conculcatio, quoniam per hanc sanguis magis distat à propria natura, maior succedit prauitas; prout contrarium contingit, si minor, & breuiori tempore duret. Nec est negandum, sanguinem temperatum in temperata muliere posse huiusmodi naturam consequi; quoniam temperata cum vel corrumpuntur, vel putrescunt, deteriora intemperatis euadunt; hoc autem casu, sanguis ita infarctus quandam corruptionem patitur, vt ex solo huius fœtore patere potest; qui autem nec conculcatus, nec in cauitate aliqua, præter venas, conclusus, ex proprio vase effusus, vbi sit naturalis, nihil tale redolet; quæ corruptio ex infarctu concepta eo maior erit, quo sanguis impurior existit, prauisque succis magis scatet. Hinc eius difficultatis solutio patet, qua quæritur, an fœtus in vtero sanguine menstruo alatur; cum enim primo, & principaliter à natura data sit mulieri copia maior sanguinis, quàm ab ea possit absumi, aut discuti, quò fœtus in vtero sine noxa materni alimenti, possit vberiori nutrimento frui, liquet, quod si per menstruum sanguinem, intelligimus illum, qui in venis vteri conculcatus est, & qui statis temporibus ad vterum transmissus expurgatur, eo non nutriri fœtum, nisi mulier fluentibus mensibus eundem, qui postea in plurima mala pronus, &

per

per omnem ætatem morbidus futurus est, concipiat. Si autem per sanguinem menstruum, intelligamus, non actu transmissum ad vterum, sed qui in corpore mulieris existens, & qui eius nutritioni superstes, tēpore destinato, nisi conciperet, excerni deberet, ex hoc dicimus naturā fœtum bene dispositum nutriri. At hic sanguis vnus est, scilicet, qui nutrit matrem, & fœtum, vetum adeo abundans, vt vtriusq; nutritioni sufficere queat; immo cum primis mensibus sit maiori copia, quàm fętus absumere possit, si fuerit vitiosus, picam, nauseam, inappetentiam, & similia symptomata, cum ad ventriculum potius, quàm ad alia membra confluat, inferet. Si autem fuerit inculpatus sanguis, nihil tale patientur mulieres; sed solam lassitudinem, ob copiam grauantem, vel quid simile patiuntur. Qui sanguis in muliere permistus, & vnus, videlicet, & qui ad fœtus, & qui ad matris nutritionem facit, cum sit copiosus, ex præscripto naturæ, non solam quantum sat est, matrem, & fœtum nutrire poterit, sed etiam eius magna portio adhuc superstes, quæ nec in Matris, nec in fœtus alimentum cedit, quæ sanguinis portio, vitiosior ea est, quæ ad partum expurganda seruatur, cum ob conceptum tunc temporis euacuari nequeat; sed in muliere, non tamen aut ad vsum matris, aut ad vsum fœtus, pro alimento retineatur. Fœtus enim in vtero purissimo sanguine nutritur; attrahens materiam, non in venis conculcatam; sed in proprijs venis naturalem, materque simili, immo quandoque deteriori fruitur; quod autem his superest, scil. quod magis vitiosum, effunditur ad circunstantes vteri partes, & in venis seruatur, vsque ad partum; qui postea nisi in puerperio euacuetur, lethales solet inducere morbos, ob eiusdem prauitatem, tum ex mistione prauorum succorum; tum ex diuturna mora in corpore, & vteri, & vasis acquisitam. Quare superest, vt fœtus non sanguine menstruo alatur; sed eo, qui mulieris nutritioni superest, purissimam eiusdem attrahens partem; impuram autem dimittens, quæ in puerperis euacuanda seruatur, nisi mater adeo vitioso scateat sanguine, vt absumpto puriori, primis mensibus fętus augescens, reliquo tempore cogatur, defectu boni alimenti, etiam quid vitiosum attrahere; vel nisi mater concipiat incipientibus, aut fluentibus mensibus, quo casu, ob præsentiam materiæ, cogitur attrahere vitiosum alimentum. Hic autem sanguis superfluus in muliere, qui tempore conceptus fętus alimoniæ destinatus est, si femina natura benè disposita sit, & iusta ætate, nec vtero gerat, singulis mensibus expurgari debet ea quantitate, quæ ætati, complexioni, habitui, & cæteris conditionibus debetur, modo pluribus, modo paucioribus diebus. Si autem talis purgatio non succedat, hoc triplici euenit ratione. Primò, quia hic sanguis superfluus, vel per alias vias euacuatur, sicuti per hæmorrhoides, per fluxum sanguinis è naribus, per vomitum sanguineum; vel ad alias partes transmittitur, sicuti ad thoracem, ad cerebrum, & ad cæteras corporis partes superiores, præcipuè autem ad mammas. Secundo, quia hic sanguis transmittitur quidem ad vterum; sed intra eius venas non recipitur, vel quia propter earum robur, aut propter vasorum angustiam, aut vteri densitatem, nihil admittunt; vel quia obstructio facta sit in ijsdem venis, quæ à vena caua ortæ ad vterum pertingunt.

Tertiò, quia licet hic sanguis recipiatur in vasis vteri; tamen excerni non potest, quia ora vasorum vteri, ad eius cauitatem desinentia occlusa sunt, vel quia obstructa, vel quia compressa, vel quia angustiora sint. In primo casu, sanguis superfluus non ad vterum, sed ad alias partes transmittitur; in secundo, transmittitur quidem, sed non recipitur, in tertio, vtique recipitur, sed non excernitur. In primo casu, imminuta sanguinis copia, ex euacuatione nullum malum ex vterinis producit præter sterilitatem; nulla autem facta euacuatione, sequitur læsio in membro, ad quod hæc superfluitas demandatur. In secundo nihil peculiare accidit præter sterilitatem, quoniam omnia symptomata consequentia hanc suppressionem possunt hic cōtingere, prout conditio est sanguinis, & prout hanc, vel illam partem lædit; præcipuè verò, quoniam in hoc casu sanguis decumbit ad venam cauā, quæ in vterum admitti non potest, solet molesta esse lumborum grauitas, quam quandoque comitantur dolores dorsi, potius tamen grauantes, quàm alterius conditionis, nisi sanguis fuerit vitiosus; quo casu solent superuenire alia dolorum, & affectionum genera. In tertio, propriè vterini affectus contingunt; hinc enim fiunt vteri dolores, grauitates, distorsiones, contractiones, & summatim etiam hysterica accidentia, & præfocationes: si enim ex suppressa hac menstrua euacuatione fiunt præfocationes, necessario in vasis vteri materia menstrualis recepta est, sed non excreta; quare ibi detenta, & conculcata, & ob diuturnam moram, ibidem corrupta, prauam adeò adipiscitur naturam, vt ex solo eius vapore ad partes principales expirante, mortifera sequantur accidentia, quod nequaquam contingere potest, si hæc materia in vterum non peruaserit; quoniam, nec conculcari, nec eam prauam naturam, quam in vtero concipit, in alijs vasis induere potest. In vterum autem effusa non solum præfocationes, sed etiam replendo vasa vteri, modo grauitatem, modo dolores, distorsiones, & contractiones vteri infert, & per consensum etiam, lumborum, Ilium, coxendicis, & partium circunstantium dolores inducit. Quæ omnia optimè à Medico consideranda, & discernenda sunt, vt sciat scopos curatiuos elicere: non enim in omnibus prædictis casibus eadem curatio requiritur; sed diuersa, pro diuersa causa suppressæ huius euacuationis. Quam diuersitatem non animaduertentes communiter medicinam tum facientes; tum docentes, sæpius importuna docent, & præscribunt medicamenta ad purgationes menstruas; quæ nec ante 14 annum, ex naturæ præscripto; nec post 50 à Medico sunt prouocādæ, in illis, quia copia sanguinis, præter nutritionem, absumitur in corporis augmentum, quod ea ætate, iuxta corporis proportionem maius, quàm in pubertate, & adolescentia existit; in his autem, quia calor innatus, ingrauescente ætate imminuitur, & inde minorem sanguinis copiam generat; quo non exuperante, mensibus materia deficit, dum extremis illis annis accedit tempus, quo desinunt mulieres purgari, quoniam minor sanguinis copia, ob caloris imbecillitatem gignitur, paulatimq; incipit minui mensium copia consueta; qua decrescente, tandem sistitur purgatio, non quod supprimatur, sed quia cessat, deficiente materia. Quæ materia si forte, eo tempore, quo ex præscripto naturæ hæc fieri debet, pur-

purgatio, deficiat, vel quia paucus generetur sanguis; vel quia per alias vias superfluus euacuetur, aut dissipetur, tunc non dicuntur supprimi menses, sed deficere. Quo casu, Medicus non prouocare menses debet; sed intentus generationi copiosi sanguinis, eundem augere tentabit; ac demum illum ad vterum deriuabit, & mouebit, prout & si per alias vias, vel euacuetur, vel dissipetur, firmatis simul hisce euacuationibus.

Cap. II. *Superfluum menstruorum cursum*, intelligit Auic. omnem copiosam euacuationem rubram, siue verè sanguineam, siue sanguinem repræsentantem. Et ideo sub hac comprehendit etiam fluorem rubrum, & sanguineum ab vlceribus emanantem; quæ tamen sunt excretiones diuersæ à cursu menstruorum; cum cursus menstruorum sit eius tantum sanguinis, qui per venas vteri, forma veri sanguinis expurgatur, vel expurgari debet; qui si exuperet, dicitur fluxus menstruorum superfluus; si autem aliud sit excrementum, non ad cursum menstruorum, sed ad vteri profluuium reduci debet.

Cap. III. *Eius euacuationis, quæ facta est secundum semitam expulsionis naturalis, signum est*, inquit, Auicenna, *quod non sequitur eam nocumentum, immo perducit ad iuuamentum eius*. At hoc signum est copiosæ euacuationis, à copia sanguinis dependentis; non autem est superfluæ; ex superflua enim (quæcunq; sit) non iuuamentum, sed nocumentum sequitur, non enim superflua esset, nisi nocumentum inferret; hæc namque euacuatio menstrualis, quæ ex se non est præter naturam, sicuti omnes aliæ sanguinis euacuationes, cum quantitate excedit, dicitur præter naturam; quoniam eius nimia copia naturæ est infensa. Sed forsan Auic. *per superfluum cursum menstruorum*, intelligit tantum eum, qui copiosus est, non superfluus, pro ratione virium naturalium.

Cap. IV. Superfluente sanguinis menstrui cursu, monet *ligaturas non tantum circa ambas manus faciendas esse; sed etiam ligandos esse vtrosque pedes, à radice coxarum vsque ad duo inguina*. At ligamenta infernis partibus adhibita solent potius menses prouocare, quàm eos sistere; quoniam ligamenta, & nexus trahunt materias ad locum alligatum. Qua ratione ductus Gal. Lib. 1. ad Glauc. in cura febris, cum accidentibus, dicebat, in curatione deliquij animi, ex immodica euacuatione. *Sed neque malum, manus, vel pedes alligare, aut nexus fieri plures, ac fortiores circa manus, quando per inferiores partes fiunt euacuationes; quemadmodum quando per ora venarum hæmorrhoidum sanguis superfluit, aut ventris profluuia adsunt, aut cum per vteros exeunt in mulieribus menstrua; nam si tunc crura fortius ligentur, sæpius aliquid ad partes inferiores attrahitur; contra autem fit in fluxibus sanguinis per nares, atque vomitibus, in quibus crura sunt vehementius alliganda*. Ex quibus Galeni verbis patet, in superfluo menstruorum cursu partes superiores; non autem inferiores ligandas esse.

Si quid autem cohibere mensium superfluum cursum est aptum, hoc certe vnicum est, sectio scil. venarum superiorum, cui Galen. Lib. de Cur. per sanguinis missionem, hoc peculiare tribuit, vt mensium fluxum prohibeat, & retrahat. Quod remedium, cum eo sæpius felicissime vsus sim, non existimaui silentio prætereundum, licet de eo Auicenna ne verbum quidem faciat. *Obseruatio.*

Cura-

Curatio sub illa finem capitis tradita *per aquositatis euacuationem, & discussionem*, non competit, nisi cum sanguis fuerit ichorosus. Quare non transferatur ad quemlibet casum; quia si sanguis non sit aquosus, hæc curatio non est opportuna.

Cap. V. Quod *ex percussione, aut casu possint succedere vlcera in vtero*, videtur præter rationem; tum quoniam vterus intra ventrem situs, à pluribus partibus, quæ sunt molliores, est circundatus; tum quoniam nerueæ est substantiæ, quæ facile cedit. Nisi forsan intelligamus, ex percussione, aut casu vlcera succedere; quia percussioni, & casui succedunt inflammationes, quibus suppuratis, vlcera fieri consueuere; vel intelligamus, sinus, cum partibus externis vteri, ex căsu, aut percussione simul vlcerari.

Cap. VI. *Mundificationes vlcerum matricis*, ex Paulo, inquit esse, *si exeat pus crassæ substantiæ, & ad albedinem decliue, sine dolore vehementi, sine fœtore, & mordicatione*. At hoc signum, coctionis, non mundificationis est indicium; vlcera enim tunc sunt munda, quando nullæ sordes ex eis emanant.

Cap. VII. Inquit Auicenna, quod *hoc caput, in quo agitur de putrefactione matricis, est ramus capituli vlcerum matricis*. Ratio huius est; quoniam vlcerum matricis, alia sunt simpliciter Vlcera; & de his egit cap. 5. & 6. alia sunt cum putredine depascente, & hęc nomodea dicuntur; nome enim depascentem putredinem significat, & de his agit in præsenti capite; alia autem sunt corrodentia simpliciter, & de his in sequenti.

Cap. VIII. Inter *signa cancri* proponit *pulsationem longi spatij*. Quod signum suspectum est; quoniam experientia hoc non comprobat, nec ratio; cum pulsatio in affectibus fiat ratione motus arteriarum, ex feruore; at in cancris tanta est durities, vt nulla dilatatio arteriarum fieri possit. Signum autem certissimum, quoad sensum patientis, sunt, punctura, veluti acuum perforantium, potissimum ex compressione, & tactu illarum partium.

Cap. IX. & X. *Deuirginatas*, inquit, *pati dolores magnos, proprie cum collum matricis eius est strictum; tanquam quod pudendum virile in vsu Veneris, ingrediatur collum vteri*. Sed hæc est fabula; cum nec in adultis, nec in his, quæ plurimo vsæ sunt coitu, pudendum virile collum vteri ingrediatur. Sed forsan, per *collum vteri*, intelligit Auicenna impropriè loquendo, pudendum muliebre alias in manifesto errore versaretur.

Vlcera à principio non indigent mundificatione; quoniam sordes à principio non expurgantur; sed egent consolidatione. Quare in his, si quæ vasa disrupta sunt, statim consolidanda, non mundificanda; tum quia mundificantibus tunc non egent; tum quia mundificantia morderent, & lancinarent.

Cap. XI. Licet Auicenna, loquens de Rhagadibus, simpliciter loquatur de Rhagadibus vteri; attamen sciendum est, has & scissuras non propriè fieri in vtero; nec si in eo fierent, possent vlla ratione deprehendi; sed fiunt tantum, vel ad collum vteri, vel in pudendo muliebri; cuius ratione, in vsu Veneris magnam inferunt molestiam, vt plures sic affectæ virum tolerare nequeant; quoniam ex fricatione exasperantur, & dilatantur, & inde maximum inferunt dolorem.

Cap. XIII. Rhagades, quæ sunt in pudendis, facile visu deprehendi possunt; quæ autem ad collum vteri, difficulter; atq; hę forsan sunt, quæ indigerent speculo. At hoc experimentum fallax est; cum non possit interna, & quæ sub oculis non cadunt repræsentare.

Cap. XIV. Quoniam vt plurimum Rhagades ex acrium humorum influxu, locos exulcerante, ac corrodente fieri solent; ideo in hoc casu Medicus, ante localium vsum, deueniat ad remotionem causæ; alias operatio eum frustraretur.

Cap. XV. Licet dicat Auicenna, accidere pruritum in matrice, & inscribat hoc caput, *de pruritu matricis*; sciendum tamen, pruritum esse, non in vtero, sed in pudendis, & ea molestare, vt qui hunc casum viderint testari possunt; vt habetur ex Aetio, Lib. 16. Cap. 72.

Cap. XVI. Quoad sectionem venæ, cum duplex memoretur ab Auicenna, notandum, quoad secundam, quod non cephalica est secanda; sed vena tali, quæ propriè diuertere ab vtero possit; prima enim debet esse iecoraria, tanquam quæ plenitudinem tollat; secunda autem saphena, vt quæ vterum propriè respiciat.

Cap. XVII. Per hæc verba, quæ habentur in hoc capite, alludit Auicenna ad dicta Gal. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. dum docet, quomodo aliquando tumor, aliquando panus efficiatur in vtero, qui panus suppurans ad inguina, sectus à Medicis, aliquando in sinum, vel fistulam desciuit, ac desinit.

Cap. XVIII. Signa fistularum vteri, tradita ab Auicenna, non sunt propria fistulæ; sed differentiarum eius: fistulæ enim Vteri indicium habetur tantum à loco, & situ, non à qualitate exeuntium.

Cap. XIX. Potius pani, quàm fistulæ curationem tradit, cum inquit, *eam esse perforandam; sed periculum ex perforatione imminere; quoniam si sectio perueniret ad vterum, plura mala sequerentur*. Sed forsan Auicenna *per fistulæ curationem*, pani curationem intelligit; cum hic perforandus veniat.

Cap. XX. Per *tollerantiam ægritudinum, siue diuersarum, siue præteritarum*, non intelligit Auicenna, quod vterus tollerauerit plures ægritudines; quoniam tollerantia est signum fortitudinis, non imbecillitatis; sed intelligit, per *tollerantiam*, passionem multarum ægritudinum. Cum enim sæpius vterus diuersas patitur ægritudines, signum est, eum esse imbecillum; membra enim languida sunt, quæ morbos facile, & sæpius incurrunt.

Cap. XXI. Curam raritatis texturæ non exponit Auicenna; quæ licet arte tolli vix possit; attamen multa admittit auxilia, ad fouendum calorem naturalem, ne ex raritate texturæ expirans membrum spiritibus exinanitum relinquat. Quem scopum habeat Medicus præ oculis, si ei hic casus curandus veniat.

Cap. XXII. Inquit Auicenna *idem contingere vtero, quod contingit intestinis de colica*. At erat animaduertendum, quod sicuti dolor colicus à flatu, duplici fit ratione, scilicet, vel in cluso flatu in cauitate intestinorum; vel in eorundem tunicis; vt habetur à Gal. Lib. 12. Meth. Cap. 8. Ita pariter in vtero possunt dolores à flatu duplici fieri ratione, scilicet, vel incluso flatu in cauitate Vteri, ex quo fit vteri tympanites; vel in eius tunicis. Qui casus sicuti

ti sunt diuersi; ita etiam diuersam requirunt curationem.

Cap. XXIII. Per *cursum matricis*, intelligit fluxum muliebrem; de quo Aetius Lib. 16. Cap. 63. & sub quo comprehenduntur, non tantum humiditates plurimæ putridæ, & spermaticæ; sed & rubri fluxus, & omnium aliorum colorum, dummodo non sint verè menstrui sanguinis; quos tamen hic Auicenna complexus est.

Cap. XXIV. Quod *fricatio crurum cum oleis calidis*, *vel acutis*, conueniat in hac cura, ad discussionem humorum peccantium, non est absurdum; sed quod sola crura, forsan est præter rationem; quoniam magis pollent frictiones in reliquo corpore, quam in solis cruribus; immò fricare sola crura, est auocare materiam ad vterum; quod in hoc casu maximè vitandum est. Galenus autem, in vxore Boethi, vsus est totius corporis fricatione, manibus, melle optimè cocto, ad ex siccandum, & discutiendum, inunctis. Quare non hæc, vel illa pars; sed totum corpus fricetur.

Cap. XXV. Distinctissimè processit Auicenna in enarrandis omnibus retentionis mensium causis; non tamen eas differentias exposuit; de quibus superius egi, cum monui, sanguinem superfluum in muliere aliquando non moueri ad vterum, sed ad alias partes; aliquando moueri ad vterum, sed intra vterum non recipi; aliquando autem moueri, & recipi, sed extra vasorum vteri ora non excerni. Nec omnes causas, ratione instrumenti recensuit; cum præter omnes ab eo enarratas, etiam non fluant menses, ob robur vasorum vteri, cuius ratione, cum id, quod influit, non admittant, vt habet Gal. Lib. 5. Aph. Com. 57. nec fluere possunt menses.

Cap. XXVI. Si considerasset Auicenna tres prędictos diuersos modos, quibus diuersimodè retinentur menses, pro qualibet differentia, & modo, consequente eam differentiam, & modum, separatim symptomata, & morbos enarrasset. At cum hanc distinctionem non animaduerterit, ideo confusè admodum hanc congeriem hanc symptomatum, & affectionum, quæ suppressioni mensium succedunt, recensuit.

Auicenna, inter alia præter naturam suppressioni mensium succedentia, recenset *febres ardentes*; hoc exscribens à Galen. Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. Aetius autem, Lib. 16. Cap. 52. dicebat, *febres assiduè concomitantur*, à prædictis discrepans in duobus; tum quod non expresit ardentes, quasi omne febrium genus intelligens; tum quod dixit, has suppressionem mensium assiduè concomitari; cum Galenus, & Auicenna nequaquam tempus descripserint, cum eis sufficiat symptomata enarrare, quæ possint mensium suppressioni succedere. Hæc autem Aetij sententia non videtur admittenda; quoniam experientia docet, plurimas mulieres, quibus supprimuntur menses, nequaquam febricitare. At forsan intellexit Aetius, non quod semper omnes concomitentur; sed quod eas, in quibus accenduntur febres, assiduè concomitentur, idest, quod febres his accedentes sint continuæ. Et ratio esse potest; quoniam cum materia sit intra venas, cum ad putredinē deuenerit, necessariò inducet febres, non intermittentes, sed continuas.

Cap. XXVII. Explicat Auicenna, non signa retentionis mensium; sed signa differentiarum, ratione causarum. Sed nec signa harum omnium recenset;

censet; cum tantum exponat ea, quæ desumuntur ab intemperiebus vteri; cæteras autem, quæ vel ratione virtutis; vel ratione sanguinis, & plures alias, ratione viarum vteri prætermittit. Quare in hoc capite satis diminutus est, cum signa causis respondere debeant.

Cap. XXVIII. Ad prouocandos menses, inter principalia remedia, recenset Auicenna *sectionem venarum inferiorum*, ad mentem Galeni, qui vbique docuit, mensium suppressioni sanguinis missionem ex cruribus, siue facta scarificatione, siue aperta vena, vel poplitis, vel tali, opitulari. Sed de hac venarum inferiorum sectione, tria, quæ maximè faciunt ad curationem, examinanda sunt. Primum est, an in omni mensium suppressione hæc conueniat sectio. Secundum, quo tempore ad prouocandos menses sit vsurpanda. Tertium, an præter hanc sectionem, conueniat etiam aliquando suppressis mensibus, secare venas superiores. Quoad primum, scio apud nonnullos pro axiomate haberi, hanc sectionem in quacunque mensium suppressione indiscriminatim conuenire. Sed isti pauca spectantes, errarunt; quia tantum suppressionem ipsam, non causam eiusdem considerauerunt. Multæ autem sunt causæ, in quibus talis sectio non conuenit; scil. quæ vel non habent materiam sufficientem pro hac euacuatione; vel in quibus corpus materiam ex se non transmittit; vel in quibus vterus, ob robur vasorum, eam non admittit; vel in quibus vterus est adeo occæcatus, vt viam ad materiæ excretionem non præbeat; nam in quam rem iuuat dare motum sanguini, si vel sanguis deficiat, vel moueri nequeat, nec vel recipi in vtero, vel per vterum eundem excerni sic impossibile? Vnde hoc pro comperto habeatur, quod in extenuatis mulieribus, & valde obesis, ac pinguibus, quoniam in illis paucus est admodum sanguis, & in his, quæ ratione validę virtutis concoctricis, & retentiuæ totius corporis non purgatur; quoniam corpus nihil ex se transmittit, in quibus est robur vasorum vteri, vel eadem vasa sunt admodum constricta, vel natura, vel arte, vt fit in his, quæ ex infusis quibusdam, cum sint vitiatæ, volunt apparere virgines; quoniam vterus nihil admittit, in his item, quæ vel sunt imperforatæ, vel habent ora vasorum, ex cicatrice præcedente, occæcata; quoniam non datur exitus materiæ, nusquam huiusmodi conuenit venæ sectio. Quæ tamen, si adsit sufficiens huic euacuationi materia, & corpus ex se redundantiam transmittere aptum sit, & vterus receptioni idoneus, nec imperforatus, nec occæcatus, semper conuenire poterit. Et hæc de primo.

Quoad secundum de tempore, quo ad prouocandos menses hæc sectio sit vsurpanda, duo animaduertenda sunt; alterum numerus dierum; alterum vteri dispositio. Quoad numerum dierum, Galenus clare Lib. de Cur. per sanguinis missionem Cap. 18. docuit, hanc sanguinis missionem tribus, quatuorue diebus ante statum purgationis tempus peragendam esse, vt appropinquante mensium tempore, & concitato sanguinis motu, facilius ad vterum fluat. At Paulus longe aliter sentiens, monet, expectandum esse tempus præfixum purgationis quo si nihil, aut parum expurgetur à muliere, vult tali venam aperiendam esse; inquit enim. *Vbi accesserit iam menstruale tempus, si nihil, aut nulla mentione dignum fuerit excretum, ex talo sanguis*

est

est extrahendus. Sed forsan alia est intentio Galeni, alia Pauli, Galenus enim intendit mittere sanguinem ex inferioribus partibus, vt prouocentur inde menses statuto tempore. Paulus autem, ex hac euacuatione, non tunc temporis prouocare menses; sed eam sanguinis portionem, quæ per vterum expurgari debuisset educere intendit, atque ita euacuationem naturalem supplere, & simul etiam motus sanguinis ad inferiora, statum, & naturale tempus seruare, vt in posterum natura huic motui assueta, facilius hunc statutis temporibus moliatur. Quare hoc in praxi obseruetur, quod ad prouocandos menses, tribus, vel quatuor diebus ante mensium iustum tempus hæc sectio peragatur. Quod si non antea fiat, sed tempus menstrualis purgationis expectetur, nihilque, aut parum mulier expurgetur, ad supplementum naturalis purgationis, & eius conseruandum statuto tempore, ad inferiora sanguinis motum, ad mentem Pauli, vena tali secetur. In qua sectione hoc vnum monendi sunt iuniores, vt nunquam fluentibus mensibus, ad eos facilius prouocandos, secetur hæc vena; quoniam tunc maior fieret ab vtero per hanc sanguinis missionem deriuatio, quàm ad ipsum vterum attractio: vnde ex tali sectione, dum actu fluunt menses, sæpius sistuntur, quàm prouocentur. Quare exspectet Medicus finem menstruæ purgationis, antequam huic sectioni manum admoueat, qua cessante, si parum quid, & nulla consideratione dignum extractum fuerit, tunc per hanc tali sectionem suppleat illud, in quo defecit natura. Et hæc de numero dierũ. Quo autem ad vteri dispositionem obseruandam, sciendum est, quod Medicus antequam ad sectionem venarum inferiorum accedat, debet vteri dispositionem animaduertere, vt dignoscat, an vterus sit aptus suscipere sanguinẽ ad eum confluẽtẽ; nam nisi ita cõparatus fuerit, frustra, erit Medici expurgatio, & in cassũ motus sanguini dabitur; hæc enim generalis norma est obseruanda, quod si aliquam materiam ab vna parte ad aliam deriuare volumus, prius præparanda sit ipsa pars, ad quam deriuamus, vt illam possit materia permeare, alias Medicus proprium opus frustra fit. Quare si vterus sit ineptus ad recipiendum sanguinem, vel ex aliqua intemperie, vel ex vasorum obstructione, aut angustia, aut robore, aut occæcatione, prius quæ sunt præter naturam, & quæ impediunt hanc sanguinis receptionem, sunt amouenda, vt inde ad hoc disponatur vterus; postea tunc opportuna fuerit occasio, & tempus secandi venas inferiores; quoniam tunc dato motu ipsi sanguini, poterit idem exuperans commotus recipi in vtero, & inde etiam effluere. Quod non animaduertentes pleriq; Medicorum, non mirum, si indiscriminatim sectis his venis, sæpius propositum scopum non assequantur; cum prius vterum bene disponere, & postea motum sanguini dare debuissent. Et hæc de secundo præcipuo præcepto.

Quoad tertium, an in suppressione mensium conueniat etiam quandoque superiores venas secare, difficultas est satis nota; cum ex vna parte Gal. in suppressione mensium, nusquam meminerit sectionis venarum superiorum; sed solum inferiorum. Ex autem contrario Aetius, & sectionis venæ in cubito, & in talo, in curatione mulierum, quæ ob plenitudinem non purgantur, meminerit. Ratio est pro Galeno, quod si motus dandus est sanguini,

guini, vt ad vterum facilius fluat,& inde etiam facilius excernatur,hoc solũ per sectionẽ partiũ inferiorũ fieri potest, cũ sectio in partibus superioribus tantũ non præbeat sanguini motum ad uterum;quinimò etiam contrariũ efficiens,eundẽ reuellat ab vtero; cuius ratione dicebat Lib. de Cur. per sanguinis miss.Cap.18. *Quod quæ ex cubito fiunt euacuationes,aliud etiam habent admistum malum, nempè quod purgationes menstruas comprimant, sanguinemque ad superiores corporis partes retrahant.* Ratio est pro Aetio, quod cum in his mulieribus, quæ ob plenitudinem non purgantur, causa suppressionis mensium sit plenitudo ipsa, obstruens vteri venas, & causæ debeat Medicus, priusquam morbo, prospicere, antequam tollantur obstructiones, tollenda est plenitudo ipsa; quæ cum nulla commodiori ratione tolli possit, quàm per sectionem venarum superiorum; ideo ad tollendam hanc causam,& plenitudinem, veniunt secandæ venæ cubiti; à quibus sectis, postea facile fuerit obstructiones tollere,& motum sanguini conciliare, per sectionem venarum inferiorum. Nec est quod quis contra Aetij sententiam adducat Galeni verba Lib. de Cur. per sang. Miss. Cap. 11. vbi hæc habet. *Nam plenitudines à suppressis mensibus ortas omnino per crura euacuabis.* Quasi doceat Galenus, etiam plenitudinem in suppressione mẽsium, per inferiores venas apertas tolli debere; quoniam, vt alias scripsi, alius est casus Gal. alius Aetij. Galenus enim intendit curare plenitudinem, quæ suppressioni mensium succedit, & quæ à suppressis mensibus fit; Aetij autem mens est curare suppressionem mensium ex plenitudine, & demere plenitudinem, quæ est causa suppressionis. Sunt tamen qui hanc difficultatem examinantes, sentiant contra Aetium, in nullo casu secandam esse venam in cubito, ad prouocandos menses, etiamsi adsit summa plenitudo, his rationibus ducti. Prima quidẽ, quia Galenus nusquam meminit huius sectionis; cum tamen sæpius, & pluribus in locis sectionis venæ in deficientibus menstruis, meminerit, quod non videtur casu, sed arte prætermissum. Secundo, quia sectio venæ in cubito, ex Gal. cohibet inclinationem, & impetum sanguinis ad inferiores partes, & eundem ad superiores retrahit; quod si retrahit sanguinem ad superiora, motum etiam ad inferiora cohibet. Igitur ad prouocandos menses non conuenit; cum in prouocandis mensibus oppositum sit faciendum. Tertio, quia plenitudo pari ratione, ac per venas superiores, tolli potest per crurum scarificationem; vt habet Lib. 4. de Sanit. Tuenda Cap. 4. Gal. & per sectionem venarum in ijsdem; vt habet loc. cit. Lib. de Cur. per sang. Miss. Cap. 11. vbi docebat, his sectis, tolli plenitudinem à suppressis mensibus ortam; si aute m plenitudo per hæc tolli potest; igitur in his, quæ ob plenitudinem non purgantur, sectio venarum inferiorum adhibenda erit, cum vtrique intentioni simul satisfacere queat: nam & plenitudinem tollet, & simul motum, & impetum sanguini præbens, ad menses prouocandos optime facere poterit. Quare statuendum, quod venarum cubiti sectio, ad hoc, nec sit necessaria, nec vtilis, quinimo potius incommoda, & damnosa. Hanc tamen sententiam si accuratiori examine expendamus, nequaquam suscipiendam esse certo iudicabimus; ea enim est recta medendi ratio, vt prius causæ quã morbo, & quidẽ præcipuè, si à causa potest augeri morbus,

incumbendum esse methodus nos doceat. Quare, cum suppresionem mensium cum plenitudine curamus, debemus animaduertere, an plenitudo sit causa suppressionis; an ex suppressione, congesta copia copiosi sanguinis succedat plenitudo, ita vt suppressio plenitudinis causa sit. In hoc secundo casu, ad mentem Gal. Lib. de Cur. per Sang. Miss. Cap. 18. dicimus, sufficere missionem sanguinis ex partibus inferioribus; quoniam obstructioni, quæ est causa plenitudinis, primò est incumbendum, qua sublata, subsequitur postea plenitudinis imminutio. At in primo casu, ad mentem Aetij, dico, prius esse secandas venas superiores, ad tollendam plenitudinem, quæ est causa suppresionis; postea inferiores, ad præbendum motum, & impetum sanguini ad easdem, & ad tollendas obstructiones vteri. Vt autem hoc rationi consentaneũ esse probetur, hæc consideranda venient; primo quidẽ, qua ratione plenitudo sit suppresionis mensiũ causa; secundo quomodo talis plenitudo tolli debeat; tertio, qua ratione in summa plenitudine, cũ mensium suppresio processerit, Galenus, & quid experimento in hac re compertum sit. Quoad primum, omnibus patet, plenitudinem, & sanguinis inculpati copiam, non alia ratione suppressionem mensium inuehere posse, quàm vasa ipsa obstruendo, prout eadem ratione febres inducit. Nec est quod quis dicat, sanguinem si sit inculpatus, non posse ex se obstructionem inferre; cum ex se fluidus sit; sed quod ad eandem inducendam, requiritur non tantum, vt sit multus; sed etiam, vel crassus, vel viscidus; quoniam sola multitudo sine crassitie, & viscidítate, potest esse causa obstructionis; quod ex pluribus Galeni locis habetur; nam Lib. 9. Meth. Cap. 1. dicebat, *obstructionem, vel per glutinosos, vel per crassos, vel copiosos succos incidere*. Atq; hic animaduertatur, quod disiunctim, & alternatim loquitur de his causis. Hoc idem docebat Lib. 11. Meth. Cap. 9. dicens, *prohibitam respirationem fieri, præter densitatem meatuum, & corporum constrictionem, ab humoribus tum abundantia, tum crassitie, tum lentore suo obstruentibus*. Quare, abundantia succorum, alia ratione, quàm per crassitiem, & lentorem obstructiones inducit. Sanguinem etiam sola multitudine obstructionem efficere, haberi potest ex Gal. Lib. 9. Meth. Cap. 5. quo loco loquens de synocho sine putredine, quæ solum fit ex abundantia sanguinis purioris, dicebat. *Cum quibus corpus ex succorum abundantia inhabile ad transpirationem iam redditum, tantum caloris congessit, vt inde iam febricitet, &c.* Hanc autem febrem dixerat ex constipatis ab obstructione meatibus fieri. Paulo autem inferius, de plenitudine illibati sanguinis, quoad vasa, dicebat. *Quæque ob id ipsum tum perrumpere vasa; tum recludere solet, reliquaque modo dicta symptomata inducit, obstructionem scil. distensionem, tumorem, ruborem*. Inferius verò idem affirmabat, Cap. 11. dicens. *Fit autem sanguis natura inutilis bifariam; vel cum propriam qualitatem ad vnguem non seruat, nec amplius nutrire sicut prius, cum vtilis esset, potest: vel adeo multitudine creuit, vt aut vires premat, aut tum venas, tum arterias, vel distendat, vel rumpat, vel obstruat*. Ex quibus omnibus Galeni locis clare patet, sanguinem puriorem sola plenitudine obstructionem inducere posse. Sed si sanguis sincerus est fluidus, quomodo potest vasa, quæ permeat, occludere, & obstruere? Hoc equidem præstare potest; quia irruens ad vasa illa,

ob

ob nimiam copiam ibidem conculcatur; infarctus autem non solum potest facere obstructionem; sed etiam spiritus vitales suffocando, vitam ipsam, vel in peculiari membro, vel in toto ipso corpore extinguere; atque hinc sphaceli, & corruptiones membrorum; necnon quandoque subitæ suffocationes, & mortes ex sola plenitudine. Si autem hoc, cui mirum, quod in muliere plethorica, & bonorum succorum copia repleta, à sanguinis sola plenitudine fiant vasorum vteri obstructiones, quarum ratione postea supprimantur menses? Hac autem ratione fiunt istæ obstructiones; quoniam à venis nimio sanguine affluentibus, natura hac copia stimulata, coacervatim tempore determinato eam transmittente, & deponente in eius vasa, obstructiones graues infert materia copiosa irruens, & ibidem, ob nimiam multitudinem conculcata. Quare concludo, plenitudinem inducere mensium suppressionem hac ratione, quod scil. transmissus sanguis copiosus ad vterum, eius vasa nimium replendo, & inde conculcatione eius facta, obstruat venas, quibus obstructis, supprimuntur menses. Atque hæc de primo. Quoad secundum, qua ratione tolli debeat hæc plenitudo, res ipsa docet; nam duo in hac efficienda suppressione habemus; alterum, materiæ copiam; alterum verò eiusdem motum ad vterum. Quare duo etiam indicantur, alterum erit copiæ imminutio; alterum motus retractio; si venas inferiores ad hæc peragenda, secabimus, copiæ quidem imminutionem (quoniam vbicunque sanguis mittatur, & effluat, semper plenitudo imminuitur) non tamen motus materię ad vterum revulsionem consequemur; quinimò, ex hac sectione eum accelerabimus; facto enim ipsi sanguini, ab hac, velociori motu, hic maiori impetu irruens ad vterum, obstructiones grauiores, & contumaciores reddet. Quare statuatur, quod secandæ sint superiores venæ; tum quia ex his commodius quàm ex cæteris omnibus plenitudo tollitur; tum quia ex hac sectione motum sanguinis ad vterum coercemus; quo firmato, & plenitudine imminuta, facile fuerit obstructiones iam factas per sectionem venarum inferiorum postea remouere, simulque impetu sanguini dato, ad vterum menses prouocare. Nec est quod duos motus oppositos, vnico, & eodem tempore, quod inutile est, nec vsurpandum, tentemus; quoniam non ijsdem diebus secandæ sunt venæ superiores, & inferiores; hæ enim proximè sub purgationum tempus, vt docuit Galenus, aperiendæ sunt, & quidem ea tantum intentione, vt inde dato motu sanguini, & reseratis obstructionibus, prouocentur menses; illæ autem longius ante, & in eum finem, vt imminuatur plenitudo, & motus irruentis sanguinis ad vterum coerceatur: quod docebat Paulus Lib. 3. Cap. 61. dum dixit, *talem sectionem fieri debere per 10 dies post purgationum tempus*; tunc enim docebat, quomodo curationem moliri debeamus, in his mulieribus, quibus ob aliquē internum affectum, & non ob solum laborantem vterum, purgatio menstrua sistitur; quo casu, si veniat mittendus sanguis, monet secandam esse venam, post decem dies à stato purgationum circuitu. Quod non aduertentes Medici, alij ipsum Paulum damnarunt; alij eum de venæ sectione in partibus inferioribus facienda locutum esse censuerunt; quorum tamen neutri veritatem assecuti sunt; illi quidem, quia scopum Pauli non intelle-

xerunt; isti autem, quia non animaduerterunt, quod cum auctores simpliciter de venæ sectione loquuntur, semper de venis cubiti intelligendi sunt; cum enim de inferioribus sermonem habent, semper, vel poplitis, vel tali, vel crurum, ad rei distinctionem, addunt. Quare iuxta sententiam Pauli, post decem dies à tempore statuto purgationum, ad tollendam plenitudinem, & coercendum motum sanguinis ad vterum, secandæ sunt venæ superiores; post 10 autem dies, intelligatur intermedium tempus circuitus menstrualis, non rigidè, post decimum diem, quasi vndecima die sit secanda vena; sed post decimum diem minimùm; quoniam breuius tempus, quod intercedit purgationes menstruas, est tempus dierum 21; cum quæ plurimis diebùs purgantur, 7, & 8 absoluantur. Vnde pro ratione temporis naturalis menstruationis, in muliere erit obseruandum hoc, vt inter medio tempore secentur venæ superiores, quo sicut maximo vsui esse possunt, ad tollendas has suppressionis causas; ita nihil detrimenti inferre queunt prouocationi mensium; cum eo tempore secta vena, nihil, quoad mensium revulsionem facere possint. Illud enim adiunctum malum, euacuationes ex cubito, vt habet Gal. Lib. de Cur. per Sang. Miss. Cap. 18. tantum sequitur, si fiant tempore mẽstrualis purgationis; reliquo siquidem tempore ab hoc sunt immunes; quod si non foret, nunquam liceret in mulieribus secare superiores venas; quia semper periculum immineret suppresionis mensium, quæ semper cauenda in muliebri sexu. Si autem Gal. solum in casu suppresionis mensium, locutus est de sectione venarum inferiorum, ne verbo quidem facto de superioribus, hæc fuit causa; quia de prouocandis mensibus agebat hęc tantũ. Prouocatio autem ex missione sanguinis habetur solum ex sectione venarum inferiorum; non verò superiorum, nisi ad tollendam causam, si hæc sit plenitudo. Sed notandum est, quod præter casum plenitudinis, in mulieribus, quæ non menstruantur, potest etiam pluribus alijs de causis hæc sectio conuenire; sicuti in quibus hepar calidius, sanguinem, vel biliosiorem, vel adustum generat; atque in his, quæ colluviem omnium succorum in venis congerunt; illis etiam, in quibus partes aliquæ superiores affectæ concurrunt ad suppressionem inducendam. Qui casus, quorum ratione secandæ sunt superiores venæ, cum sint plures; ideo indeterminatè loquens, nec ad vnam causam spectans, Paulus dicebat. Quod in his, in quibus horum ratione mittendus sit sanguis, venam, scilicet cubiti incidere oporteat. Et hæc de secundo quæsito. Quo autem ad tertium, quomodo se gesserit Galenus, & quid docuerit faciendum, præsente plenitudine, & suppressione mensium simul, dico, quòd cum Gal. respexit plenitudinem, semper secuit venas superiores, & easdem secandas monuit, licet suppressi essent menses. Hoc verò patet ex historia ab eo enarrata Lib. 6. Epid. Sect. 3. Com. 29. de muliercula, cui iam octo menses purgationis menstruæ suppressione laboranti, secta vena, ad tres libras sanguinis, tribus diebus eduxit. Nec est quod dicas, sectas fuisse inferiores venas; cum absolutè Galenus loquatur, nulla adhibita distinctione de sanguinis missione; quo casu, semper de superioribus venis, vt iam dixi, intelligendum est. Hoc idem habere possumus ex eodem Lib. 4. Reg. Acut. Com. 111. quo loco examinans Auctoris sententiam,

tentiam, proponentis, in hydropis ficci curatione, venæ fectionem in brachio, inquit, *hanc conuenire tantum in Anafarca, ex retentione, vel hæmorrhoidis, vel menfium, vel ex alia fimili plethorica caufa incipiente*. Quo loco clare apparet, in plenitudine, cum menfium retentione, Galenum probare fectionem venæ in brachio: cum de ea ibi loquatur, ad mentem Auctoris; hancque conuenire, fi magna fit plethora, quamuis menfium adfit fuppreffio; qui tamen prouocari, & foueri debent à Medico. Sed quid plura? adeo habet Galenus plenitudinis rationem, vt in Synocho, ea præfente, fiue menfes erumpant, fiue hæmorrhoides recludantur, fi copiofa non fiat per hæc euacuatio, iubeat mitti sanguinē ex cubito, ea copia, vt ex coniunctis ambobus habeatur perfecta euacuatio; vt habetur Lib. 9. Meth. Cap. 5. quo loco clare docet, menfium tempore, fi non fiat euacuatio tanta, quæ fufficiat copiæ fanguinis, fimul etiam mittendum effe fanguinem ex vena cubiti; de qua fpeciatim ibi agit. Quare clare liquet, Galenum, præfente fuppreffione menfium, & plenitudine fimul, non abftinuiffe à fectione venarum fuperiorum, immo eam probaffe. Quod & agendum effe experientia quotidiana teftatur, nam imminente menfium tempore, quoties ratione morbi præfentis, fecantur venæ fuperiores, quibus fectis, tantum non comprimitur menfium fluxus, quin potius poftridie erumpunt, & quidem frequentius; quod non alia fit ratione, nifi quia per eam venæ fectionem nimia copia exoneratur natura, quæ poftea fortior facta, & inde fupra fanguinis quod fupereft, infurgens, eam euacuationem molitur. Quod fi hoc quotidiana comprobat experientia, num cenfendum eft, fanguinis miffionem in cubito nunquam conuenire, deficientibus, ac fuppreffis menfibus? Quare concludo, fententiam Aetij amplexandam effe; cum ratione, & experientia fatis comprobata fit, nec Galeno repugnet, qui de fola fanguinis miffione, ad prouocandos menfes, & tollendas fuppreffionis caufas femper locutus eft. Atque hæc de tertio quæfito.

Fen Vigefima Prima Tract. Quartus Cap. I.

Cap. I. SI os vteri claufuram ex *panniculo* patiatur, inquit Auic. *duo prohibentur; alterum eft conceptio; alterum exitus menfium.* Sed quoad menfes, cum nouerimus, mulieres, per venas, quæ ad vteri collum pertingunt, aliquando fanguinem excernere, vt in grauidis fæpè videmus; quod & teftatur Galenus Lib. 5. Aph. Com. 60. cur non fieri poterit, vt claufo vtero, per has venas fanguis menftruus expurgetur? Sed forfan intellexit Auicenna, menftruorum exitum naturalem, qui per venas ad vteri cauitatem pertingentes fieri debet, prohiberi. Cum autem non in omnibus mulieribus, venæ illæ ad collum vteri pateant ad fanguinis effufionem, ideo normam generalem propofuit Auicenna; qui tamen non negaret, hanc purgationem per illas venas quandoque fieri poffe, vt alias teftatus eft. Quo autem ad prohibitionem conceptionis, videtur fibimet aduerfari, hic enim ait, *ex hac claufura imprægnationem prohiberi*; paulo autem inferius, inquit, *quandoque mulierem claufura laborantem retinere conceptionem, & fieri prægnantem*. At ficu-

ti prior sententia est admodum rationi consentanea; clauso enim vtero, nihil intra ipsum admitti potest; ac proinde nec semen, ita secunda omni ratione caret; cum fieri nequaquam possit, vt clausura manente, vterus semen intus suscipiat. Nec est, quod dicat Auicenna, clauso, ob panniculum vtero, dupliciter id fieri posse, scilicet, vel quia mēbrana illa sit raræ texturę, ex qua possit transmitti semen; vel quod habeat plura foramina parua, per quæ possit ab vtero attrahi aliqua seminis portio, licet minima; cum ad formationem, & fœcunditatem sufficiat sola virtus maris, licet non habeat multam materiam; vt videmus in auibus, quæ solo calore, & spiritu ipsis impertito oua subuentanea fœcunda reddunt; quoniam primo casu, semen transudat, quasi per cribrum; quare totum semen diuulsum erit, priusquàm recipiatur in vtero. Si autem divulsum; ergo infœcundum: quoniam spiritus conseruantur in semine, dum vnitum, & simul conglobatum est, qui statim dissipantur, cum diuellitur, vel in plures partes dispertitur. Secundus autem casus est ad mentem Arist. qui mares actiuè tantum concurrere, impertiendo vim effectricem, opinatus est, contra Galenum, & veritatem, qui docuit, semen maris non tantum effectiuè concurrere ad generationem; sed etiam materialiter, cùm ex eo omnia seminalia membra efformentur; quare, si semen masculinum ad hoc requiritur, quomodo minima eiusdem portio, quæ non sufficiat pro formatione membrorum, potest sufficere ad conceptionem? Quapropter dimittatur Auicenna in hac sententia, doceat affinem, & licet Aetius; sed magis probabilem Lib. 16. Cap. 95. Vbi agens de obstructione vteri, dicebat, *obturari vterum; vel ex vlceratione pregressa, vel ex inflammatione indurata; ex quibus os vteri aliquando adeo coarctatur, vt semen, vel non admittat, vel receptum non retineat; cum ob contractam duritiem, contrahi non possit: Aliquando autem*, subdit ipse, *semen admissum, & intra angustissimum os contentum, fœtus est causa. Verum hæc conceptio mortem infert; cum ob nimias locorum angustias fœtus prodire non possit*. Qui casus Aetij equidem potest contingere; quoniam os, & collum vteri est paruum, non clausum, & effluxum semini, licet angustum permittit, nec eius divulsionem, & disiunctionem efficit, ac totam eius molem admittit; quod tamen postea tempore partus, ob causam prædictam, reserari, & dilatari nequit; vnde, & fœtui, & matri discrimen impendet. Atque ad hunc sensum intelligendus est locus Hipp. Lib. de Natura Mul. cum inquit. *Quibus mulieribus conclusum est os vteri, aut non concipere, aut mori in partu.* Quoniam Hipp. non de imperforatis, sed de his quibus ex aliqua causa occlusum est os vteri, sermonem habet.

Cap. II. & III. Dixerat Auic. Cap. 2. quod *differentia inter siphac, & carnem in incisione est, quod siphac non sanguinat; caro autem sanguinat*. Attamen, hoc 3. Cap. in incisione siphac membranæ, inquit, *Considera in primo cum scindis, & si egreditur sanguis paucus, tunc penetra in operatione tua sine timore; & si multiplicatur fluxus sanguinis, tunc finde paulatim*. Quare, non semper ex panniculo non profluit sanguis, & si fluit, non semper paucus. At forsan panniculus quandoque non est simplex; sed est carnosus; quo casu, multus effluere potest sanguis.

In fine Cap. inquit. *Et quando incisio accipit carnem naturalem, tunc fortasse accidit cursus vrinæ, qui non curatur*. At quomodo, incisa carne sequitur incisio vesicæ insanabilis; cum vesica sit membranosa, & non carnosa? Sed Auicenna, per *carnem naturalem*, potest intelligere omnem substantiam naturalem, quæ non sit addita. Quare sequitur. *Facta sectione membranæ additæ, si vlterius procedat incisio, vesicam versus, simul inciso pudendo, & substantia vesicæ, fit vlcus insanabile.*

Cap. IV. Quod ex clausura contrahatur, & adducatur vterus, habetur ex Hipp. Lib. de Natura Mul. quo loco habet, quod *vbi vteri os sit conclusum, indurescit vterus ad instar fructus caprifici*. Quod etiam propter apostemata calida, & dura fieri, nulli sit dubium; cum sæpius partes inflammatæ, ex mala curatione contrahantur, & indurescant. Quæ vtriusque horum curatio dirigitur ad propria capita.

Cap. V. His omnibus causis, quæ ab Auicenna enarrantur, ex Hipp. in fine Lib. de Sterilibus, addendum est. *Si mulier post partum statim laboret, vel si cum viro in puerperio, dormiat*. Hinc enim descendit facile vterus, concussis, & laxatis ligamentis; atque ex Aetio addendum, *si musculi, & ligamenta vterum sustinentia resolutionem patiantur*.

Cap. VI. Inter symptomata consequentia vteri procidentiam, enumerat *expressionem, & difficultatem vrinæ*; & quidem, quia *matrix comprimit meatus fæcis, & vrinæ*. Pro quo sciendum est, hoc tantum consequi, si vterus intra pudenda tantum descendat; si autem extra perueniat, solet guttatim stillare lotium, & quidem cum maximo ardore, & molestia, non ratione colli vesicæ, aut ratione vrinæ, quod ea sit male affecta; sed quia stillatim effluit supra vterum procidentem, ex quo excitato morsu, ob sensum exquisitum vteri, fit vrinæ excretio, cum magno ardore, & cruciatu.

Cap. VII. Duas conditiones assignat Auicenna eius procidentiæ, quæ curari potest. Prima est vt sit recens; secunda vt sit in Iuvencula. Vnde concludens sermonem, inquit, quod *non superatur curatio, nisi eius, quæ recens est, in adolescentia*; quasi statuat, in cæteris ætatibus, licet recens sit procidentia, hunc affectum non suscipere curationem. At Aetius longe melius scripsit, hunc affectum à principio curari posse; & potissimum ætate vigente; nam ætate prouectioribus restituitur quidem; sed ex leui occasione rursus prolabitur. Quare non negat Aet. in alijs ætatibus, præter vigentem ætatem, posse restitui vterum; sed proponit difficultatem conseruationis, si noua incidat occasio procidentiæ. Vnde patet, quod, in quibus non admittitur error, sanatio sit possibilis. Quod notare volui, vt audeant Medici, alia etiam ætate, quàm vigente, aggredi hanc curationem, quam tuto perficient, si recens sit affectus, & Medicus causas amoueat, & mulier errorem non committat; vt mihi sæpius hoc tentanti feliciter successit. *Obseruatio.*

Cap. VIII. *Reclinationis vteri ad alterutram partem* causas expressit Auicenna, ne quidem verbum faciens de causis ascensus ad partes superiores; quem tamen affectum sæpè vterus patitur. At causæ reclinationis vteri ad alterutram partem, si vtrique parti, tam dextræ, quàm sinistræ communicetur, fiet vteri ascensus. Quare ijsdem causis hic ascensus adscribatur.

Cap. IX.

Cap. IX. *Facta vteri reclinatione in vna parte*, monet Auicen. secandam esse venam oppositi lateris, vt si declinet ad dexteram, secetur sinistra; si ad sinistram, dextra. At si è directò ex Hipp. mittendus est sanguis, & secandæ sunt venæ, quid iuuat secare oppositas? Ego è directo secandam esse venam censeo; quoniam per eam materia morbi causa euacuatur, cum euacuatio fiat à loco affecto; oppositam autem reijcio; quoniam licet imminuat materiam, & aliquam reuulsionem faciat; non tamen à loco affecto euacuat. Quare, vel paruum, vel saltem tardum affert iuuamentum. Vnde in hoc Auicenna, qui sæpius hanc venarum in opposito latere sectionem probauit, dimittamus, & Hippocrat. vna cum Galeno sequamur; qui vnanimes docuerunt, in secanda vena, rectitudinem loci affecti seruandam esse. Hæc autem expresse habetur ex Gal. Lib. 2. ad Glauc. Cap. 2. quo loco sermonem habens de indicatione desumenda à situ partis affectæ, & speciatim loquens de vtero, dicebat. *Et siquidem in parte dextra locorum passio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris sanguinem; si vero in sinistra, à membris, quæ illi è directo sunt*; quod enim ab ipso Hipp. catexin dicitur, est secundum rectitudinem.

Cap. X. Inter causas inflammationis vteri, recenset Auicenna abundantiam seminis, cum inquit. *Et quandoque fiunt propter eleuationem spermatis*. At difficile est explicare, quomodo seminis abundantia possit inflammationem excitare; cum semen, nec sit sanguis, nec possit venas vteri, per quas materia, inflammationem faciens, fluere debet, permeare. Nisi forsan ex copia seminis, sanguinem exuperare conijciamus. At hæc causa esset nimis remota.

Cap. XI. *Si apostema*, inquit Auicenna, *fuerit calidum, erunt omnia accidentia vehementia, cum febre inflammata*. Circa quam sententiam notandum est, quod licet plurimùm inflammato vtero, febres æstuosæ, quas vocat Auicenna, *inflammatas*, succedunt; cum *ad vteri inflammationes*, vt habet Gal. Lib. 6. Epid. Sect. 1. Com. 2. *consueuerint subsequi febres synochi*; attamen hoc non semper verum est; quoniam aliquando suboriuntur leues inflammationes, quibus etiam leues succedunt febres; & ideo ab eodem Lib. 6. Epid. Sect. 5. Com. 14. iure dictum est. *Inflammato enim vtero, haud semper febres æstuosæ adueniunt*. Quò spectans Aetius dicebat simpliciter. *Febres accedunt*. Et paulò post subiungit. *Inflammatione adhuc magis aucta, febres augescunt, delirant, & dentibus frendent*; quæ sunt signa concomitantia febrem ardentem.

In quacunque parte sit apostema, inquit Auicenna, *declinat matrix ad contrariũ eius*. At Aetius, & experientia ipsa oppositum docent; nam inflammata vteri parte posteriori, totus declinat ad posteriora, & inde comprimit lumbos, & intestina; cuius ratione supprimuntur fæces; inflammata autem anteriori, totus declinat ad partem anteriorem, vnde vrinæ difficultates, & stillicidium succedunt, ob vesicæ ab vtero compressionem.

Cap. XII. *Inflammato vtero*, monet Auicenna *duplicem venæ sectionem; alterã ex basilica; alteram ex saphena faciendam esse*. In hoc sequutus Galenum, qui Lib. 2. ad Glauc. Cap. 2. loquens de indicationibus desumendis à situ partis patientis, & docens ad mentem Hipp. *fluentium humorum reuulsionem; eorum autem, qui membrum obsederunt, deriuationem medelam esse*, subiunxit. *Vtrũque autem euacuationis genus, per communes venas fieri præcipit; veluti in locis muliebribus*,

liebribus, in contrarium trahens, si eas, quæ in cubito sunt, venas secueris, aut mamillis cucurbitas apposueris, vel manus concalefeceris, & fricueris, atque alligaueris. Deriuabis autem, si eas, quæ in poplitibus, aut tali venas secueris, & cucurbitas coxis applicueris, & crura calefeceris, & perfricueris, & alligaueris. Si autem Gal. Lib. 13. Meth. Cap. 11. & Lib. de Cur. per Sang. Miss. monet, vtero inflammato secandas esse venas inferiores, hoc docuit, ad materiam tantum firmatam in vtero; non ad fluentem respiciens. Hæc enim reuulsione, illa deriuatione tolli debet. Reuulsio autem fit per sectionem superiorum, cum fluxio ad partem aliquam inferiorem irruat; diuersio autem fit per sectionem inferiorum; quoniam hæc educit materiam ab ipso vtero. Quapropter, fluente materia, secentur primo superiores venæ; præterquam in puerperio, & abortu, in quibus seruandus est naturæ motus; firmata autem materia, secentur inferiores, vt materia vterum occupans diuertatur. Nec est quod censeat Gal. Lib. de Cur. per Sang. Miss. Cap. 18. in inflammatione vteri damnare sectionem venarum inferiorum, eo quod dixerit, quod *quæ ex cubito fiunt euacuationes, aliud etiam habent adiunctum malum, nempè, quod purgationes menstruas cohibeant, sanguinemque ad superiores corporis partes retrahant.* Quoniam non ea est Galeni mens, vt damnata in vtero inflammato venæ cubiti sectione, quia menses cohibeat, & retrahat, venarum in crure sectionem, quia prolectet menses, probet; tum quoniam vtero inflammato non sunt prouocandi menses, vt docet Gal. Lib. 13. Meth. Cap. 11. & vt monet Aetius, in fine Cap. 83. tunc enim temporis, loci sunt, ob inflammationem conclusi, nec fluxum sanguini concedunt; tum etiam quia modus traditus à Gal. nequaquam conuenit in inflammatione; non enim tempus statum mēsium, vrgente morbo, expectare possumus; nec ea calidiora ad prouocandos menses in hoc casu sunt administranda; sed hæc Gal. mens est, vt probet, cur vteri inflammationes magis quam renum, iuuentur à venis in crure sectis; cum enim locutus de renibus, dixerit, quod *renes inflammati, si recens sit phlegmone, & copia adsit sanguinis,* quæ duo irruentem fluxionem testantur, *quandoque misso ex cubito sanguini auscultant, quibus tamen in nephritide, in qua est affectus sine fluxione, affectis, eam quæ in poplite est, aut certe quæ in malleolo, venam secare expedit.* Subiungebat. *In comparatione eius renum affectus, in quo non est fluxio, quod vteri inflammationes, quæ etiam sine fluxiono intelligendæ sunt,* (quoniam comparatio propriè fit inter ea, quæ eadem specie sunt) *magis etiam, quàm renum, à venis in crure sectis iuvantur.* Quod hoc sit verum, ex eo probat, *quod sectio venarum inferiorum, magis quàm superiorum respicit vterum;* nam inferiores venæ apertæ mouent menses, & inde educunt ab vtero, quod nequaquam facere possunt superiores; menses enim tantum non prouocāt, quin potius cohibent, & reuocant sanguinem ad superiora, non qui ad vterum transmissus est, sed qui posset ad eunt fluere. Quare statuatur, quod hæc sectio non sit apta aliquid ex vtero educere; quod contra faciat sectio venarum inferiorum; vnde sequitur, quod hæc euacuatio sit valde accommodata ad demendam materiam ex vtero; quod cum non fiat in renibus, clare patet, vteri inflammationes, firmata fluxione, magis quàm renum, iuvari ex venis in crure sectis. Quæ sectiones venarum inferiorum magis

etiam

etiam iuvant in inflammatione vteri, quàm in affectibus renum; quoniam firmata fluxione, quo tempore debet sectio hæc administrari, fieri potest vt succedat mensium purgatio, quæ maxime vterum subleuare queat; quæ particularis euacuatio nequaquam ex renibus sperari potest; tum quoniam repugnat ipsorum naturę; tum quia ex hac sectione deriuationem maximè, & euacuationem à loco affecto, per naturalem excretionem, eadem opera habere non possumus. Hæc autem mensium prouocatio non est damnanda, firmata fluxione, quæ ea irruente, non est tentanda; quo sensu Galenus, & Aetius eam damnarunt; cum eo tempore vteri vasa sint conclusa, nec præbeant sanguini aditum; quibus cedente inflammatione, laxatis, & inde dato sanguini motu, per sectionem venarum inferiorum facile menses prouocantur, cum summa vtilitate, cum ex his leuetur vterus mole sanguinea, vnde magis materia peccans discutitur, & resoluitur. Quod autem Auicenna metuit *phlebotomiam basilicæ, quoniam retinet menses*, est præter rationem; sicuti & quod probet saphenæ sectionem, ad eos mouendos; tum quoniam mensium suppressio non est curanda in inflammatione vteri; sed incumbendum potius fluxioni, si irruat; vnde secanda venit tuto basilica; tum quoniā inferiores venæ non sunt secandæ, ad prouocandos menses; sed tantum ad deriuandam materiam ab vtero; quod si ab his postea prouocentur menses, hoc per accidens sequitur; nam leuato vtero copia grauante, per sanguinis ex cruribus missionem, insurgens natura in residuum, potest, laxatis venis ab illa euacuatione, menstruam purgationem prolectare. Quare rationes Auicennæ sunt suspectæ, quas de duplici venæ sectione hinc inde adducit; licet quoad vsum, cum Galeno, in re ipsa, & curandi modo conueniat.

Cap. XIII. & XIV. Ea sententia, quod *in his tumoribus, si non resoluitur durities, festinant ad cancerositatem*, non est vsquequaque vera; quoniam plurimi scirrhi perdurant plures annos; vt mihi experientia compertum est, sine mutatione illa in cancros. Quare sententia illa non est absolutè vera; quæ tamen ita distingui, & explicari debet; ex scirrhis aliqui fiunt, vel ex pituitosis, & crassis humoribus, seu ex puro succo melancholico; aliqui autem fiunt ex eodem succo melancholico aliquam adustionem adepto. Primi ad plures annos naturam scirrhi retinent; secundi autem nequaquam, sed cito permutantur in cancros. Et de his tantum vera est sententia Auicennæ, cum ait; quod *cum non resoluitur durities in his scirrhis, festinat ad cancerositatem*; quod accidit scil. nisi hi rectè curentur, & cito resoluantur.

Cap. XV. Aetius, & Paulus monent, secandam esse venam, & corpus postea expurgandum esse. At Auicenna solum meminit purgationis, neglecta venæ sectione. Et forsan ratio magis facit pro Auicenna, quàm pro Græcis; cū habeamus, morbum diuturnum dependentem à materia frigida; cuius ratione non videtur dari indicatio secandi venam; nisi forsan sanguine abundante; iuxta quem sensum Græci exponendi sunt.

Si per *Vnguentum Rhasis*, Vnguētum Apostolorum, vt exponit Interpres, intelligendum est, mala videtur cancri curatio; quoniam cancri, & præcipuè in vtero, non tollerant adeo valida medicamenta; quinimò ab eis exacerbantur.

Cap. XVI.

Cap. XVI. Consentiens Auicenna Gal. in causis præfocationis vterinę, censet, hanc ex duplici prouenire causa, scilicet, vel *ex mensium suppressione; vel ex retentione seminis;* quorum alterutrum, ex diuturna mora in proprijs conceptaculis malam concipit dispositionem ex corruptione superueniente; ob quam eleuatur ab eadem materia corrupta vapor pravus, qui ad partes superiores, & principales exhalans, sua venefica, & maligna qualitate hoc symptoma inducit; quod varium admodum, pro diuersitate partium quas petit, & pro maiori, vel minori corruptionis gradu, atque eiusdem conditione. Addit autem Auicenna, *suppressos menses, & semen retentum in his mulieribus, duas ægritudines causare; altera est repletio vasorum vteri, per quam affectus vterus patitur retractionem, & affectum conuulsioni similem; altera est, quod ex his duobus eleuatur ille vapor,* de quo iam dictum est. Quoad hanc secundam ægritudinem, clarissimè Galeno consentit; quo autem ad primam, ab eo dissentit; licet enim Galenus concedat, in vteri strangulatu, aliquando retrahi vterum, & quasi conuelli; non tamen hoc in omni præfocatione concedit; sed in ea tantum, quæ à suppressis mensibus fit; si enim ex retento semine oriatur, Galenus eius est sententiæ, vt sine retractione vteri fieri possit. Vnde Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. dicebat. *Quæ vero citra peruersionem, aut menstruorum retentionem, viduas molestant noxa, hæ ob retentum semen euenire putantur.* Quare Auicenna in hoc dissentit à Galeno, quod putat, præfocationem vteri fieri semper cum eius peruersione, & retractione; iuxta opinionem Pauli, & Aetij, qui perperam crediderunt, vteri præfocationem esse vuluæ ad superiora recursum, quasi senserint, hunc affectum esse morbum in situ, nec sine loci proprij vteri mutatione fieri posse.

Quoad præfocationem, quæ ex mensibus retentis dependet, notandum est, quod ex Galeno, quem secutus est in hoc Auicen. habetur, retentionem mensium non inducere præfocationem, nisi menstruus sanguis recipiatur, & retineatur in vtero; cum enim in hac præfocatione retrahatur, vel peruertatur vterus, atque adeo peruersio, vel retractio fiat à mensibus in eo retentis, non fiet præfocatio ab his, nisi ad vterum descenderint, & in eo recipiantur, ac retineantur. Si autem retineantur menses, non in vtero; sed quia ad alias partes irrepant, vel in vtero non recipiantur, nequaquam hanc suppressionem sequitur præfocatio; quod superius notaui, dum generatim de menstrua purgatione verba feci. Ad excitandam autem præfocationem, non sufficit quod sanguis menstruus recipiatur, & retineatur in vtero; sed requiritur vt etiam sit pravus, & malæ conditionis; tunc enim facilius corrumpitur, & prauam adipiscitur naturam; alioquin enim in omni mensium suppressione hæc præfocatio fieret.

Sed præter has duas præfocationis causas, ab Auicenna, Gal. & cæteris Græcis explicatas, videlicet, præter mensium suppressionem, & retentionem seminis, tertiam superesse, & ratio, & experientia comprobant; nam cum in cæteris corporis partibus alij humores à sanguine, & semine possint, teste ipso Galeno, corruptionem tantam concipere, vt venenatam, & prauam adipiscantur naturam, ab humana prorsus alienam, nil prohibet quin in vtero, præter sanguinem, & semen, quilibet alius humor possit ex

cor-

corruptione veneficam, & quasi deleteriam adipisci naturam; & potissimum cum vterus sit tanquam totius muliebris corporis sentina, & cloaca, ac receptaculum omnium excrementorum; sitque locus corruptioni, & putredini idoneus; quod non solum est rationi consentaneum; sed & experientia ipsa comprobat; cùm plures videamus, quæ vterinis præfocationibus molestantur, dum viri congressu gaudent, & mensium statuam habeant purgationem, indicio, non ex seminis retentione, nec ex suppressis mensibus fieri.

Auicenna, hunc affectum *peculiariter* censet *fieri, in adolescentibus, & virginibus*. Aetius autem, *iunioribus præsertim, ac salacibus contingere*. At Hipp. vel quilibet alius Auctor, Lib. 1. de Morb. mulieb. scribit, hunc *potissimum fieri fieri in his, quæ Venere non vtuntur, & potius prouectioribus ætate, quàm nouellis*. Nec ad tuendum Auicen. aut Aetium dicatur, quod hic liber non sit legitimus Hipp. quoniam experientia testatur, ex centum mulieribus, quæ vterinis molestantur præfocationibus, nonaginta esse prouectioris ætatis. Ratio est; quoniam in his vterus magis pronus est, tum ex præcipiti ætate tum ex pluribus fluxionibus præcedentibus, ad omnem passionem; ex consuetudine enim, & fluxu excrementorum, factus imbecillior, si eadem in eo retineantur excrementa, magis etiam pati, atque eadem in malam qualitatem permutare est aptus; quæ cum non adsint in virginibus, & Iuvenculis; in his enim vterus nondum fluxionibus assuetus, aliquid passus est, atque benigniori abundant sanguine, & semine, iure sequitur, vt præfocatio vterina magis propria sit earum, quæ sunt prouectioris ætatis, quàm iuniorum, licet vtrasque promiscue affligat.

Inter causas præfocationis vterinæ, recenset Auicenna *malitiam complexionis, exiccantis; cuius ratione, facta oppilatione in vtero, & orificijs venarum eius, accidit retentio menstruorum, & inde vteri retractio, & peruersio, ad quam sequitur suffocatio*. Cuius similem sententiam amplexus videtur Hippocr. Lib. 1. de Morb. Mul. dum inquit, *vterum exinanitum sursum ascendere, vt depascatur humiditatem, & inde modò ad hanc partem, modo ad illam permeare*; ex quo ascensu fiunt strangulatus. Quod & videtur sensisse Arist. Lib. 1. de Generatione Animalium Cap. 11. dum habet. *Inanes etiam matrices sursum proficiscentes strangulant*. At hanc sententiam non tantum Galenus Lib. 6. de Loc. Aff. Cap. 5. reprobauit; sed etiam derisit; cum vterus non sit animal errabundum, nec sensum habens; & si haberet; humiditatem captaret à propinquis locis, nec à remotis hanc quæreret. Quare explodatur hæc sententia, nec vllo pacto admittatur. Auicenna autem, dum *exiccantem complexionem*, tanquam causam præfocationis adducit, non animaduertit, menses suppressos præfocationem (vt iam dixi) excitare non posse, nisi sint recepti, & detenti in vtero. Si autem vterus exiccatus est, & ora vasorum, ob exiccationem, clausa, nihil intra vterum recipitur. Nec est quod dicas, exiccationem vteri, cum sit neruosæ substantiæ, & cerebrum omnium neruorum origo habeatur, necessario hoc trahi in consensum, cuius ratione succedit præfocatio; quoniam vtero patiente, potest quidem cerebrum compati, vt clare patet in furore vterino; non tamen necessariò sequitur, vt præfocatio hinc succedat; vt apparet in dicto furore vterino, in quo patiente cerebro, ob consensum

sensum cum vtero, nequaquam præfocantur mulieres eo laborantes. Ex quibus liquet, compatiente cerebro, non necessario sequi præfocationes; hæ siquidem necessariò fiunt compatiente corde. Ideo dicebat Galenus Lib. 1. ad Glauc. Cap. de Cura Feb. cum accident. *Omnem præterea, quæ ex vtero prouenit strangulationem, defectus animi antecedit; non autem necessario compatiente cerebro; nam animæ defectus est cordis, non cerebri proprius affectus.* Quare censeo, vterum exiccatum posse quidem sequi cerebri affectum; non tamen vterinam præfocationem; & quidem potissimum, cum ex Gal. & Auic. vterina præfocatio fiat à vapore, venenatam naturam adepto, ex corruptione alicuius humoris, in vteri conceptaculis delitescentis; cuius humoris præsentia cum non adsit in exiccato vtero, clarè sequitur, vtero exiccato non posse præfocationem vterinam succedere.

Cap. XVII. Mirum, quod Auicenna, in enarrandis strangulatus vterini signis, & symptomatibus eum consequentibus, potissimum, & de quo specialiter disputat Galen. loco citato, omiserit, refrigerationem scil. totius corporis. Quærit enim Galenus, ex professo, causam, ob quam corpus refrigeretur in præfocatis mulieribus; cuius tamen nusquam meminit in hoc Cap. Auicenna. Nisi forsan sub nomine syncopes, refrigerationem etiam totius corporis intelligat. Sed nimis diuersa est eorum ratio. At oppositum quis forsan obiecerit, nempe, quod hæc refrigeratio, quæ in suffocatis euenit mulieribus, est intemperies: ergo non symptoma; cum symptoma sit vel actio læsa, vel excrementum exiens, aut retentum, vel affectio immutata. Ad hoc verò sciendum est, hanc refrigerationem non esse quid positivum, & ideo non esse morbum; positiua enim intemperies subitò induci nequit, vt sæpius à Galeno notatum est; prout hæc refrigeratio, quæ subitò præfocatis accidit; sed est quid priuativum; cuius priuationis hæc est ratio. Vapor ille venenatus, & malignus, qui à succo, & humore in vtero delitescente, & corrupto eleuatur, transmissus, & exhalans ad cor, spiritus vitales alterat; quibus à venenata qualitate affectis, subitò corpus, quod per spiritus vitales calorem innatum, & vitam conseruat, refrigeratur; non quia in corpore frigida intemperies inducatur; sed quia deficiente calore innato, ex spirituum alteratione à praua illa qualitate, eosdem, & vitam oppugnante, corpus proprijs, & naturalibus constitutis spiritibus destitutum, refrigeratur. Ideo ista refrigeratio non est quid positivum; sed priuativum, quod potest censeri symptoma affectionis immutatæ quoad qualitates tangibiles; cum prius corpus fuerit calidum, nunc verò frigidum ad tactum sentiatur. Quod etiam hæc refrigeratio sit symptoma, & non morbus, hinc patet, quod discusso illo vapore maligno, qui calorem, & spiritus oppugnabat, statim corpori proprius calor restituitur, nulla circa ipsum facta mutatione, aut alteratione; quod fieri certè nequaquam posset, si hæc refrigeratio esset morbus, & quid positivum; vnde iure etiam remoto impedimento, & sublato morbo, statim remouetur hæc refrigeratio, nullo ipsi corpori admoto medicamento; cum sat sit in hoc casu, discutere prauum illum, & deleterium vaporem, habita etiam ratione vteri ipsius.

Et quandoque, inquit Auicenna *perducit ad peripeumoniam, & synantiam,*

& apostemata colli, & dorsi, & pectoris. At hoc præter omnem rationem; cum præfocatio vterina possit quidem varia inferre symptomata, non autem morbos huiusmodi: si enim præfocationis causa est in vtero, ex qua ille teter, & malignus vapor eleuatur, quomodo tum à causa materiali, tum à vapore ipso potest induci peripneumonia, angina, & apostemata dictarum partium? Nisi forsan hoc intelligat fieri posse Auicenna, quod præfocatio vterina perducit mulieres quandoque ad peripneumoniam, debilitando pulmones; ad anginam vero, propter suffocationem, quam patiuntur gutturis partes; apostemata item illa, ob affectum illarum partium, ex vteri sympathia. At vero hæc causa foret nimis remota, & pariter posset producere eadem ratione plurimos alios morbos.

Cap. XVIII. Præfocationis duplex est curatio; altera in paroxysmo; altera extra paroxysmum. De prima agit Cap. 19. de secunda autem in præsenti; qui curationis modus, potius præseruatio, quàm curatio dici debet, illa autem potius curatio, quàm præseruatio; licet aliquando vtramque habeat conditionem. In præseruatione, & extra paroxysmum, monet Auicenna, *si causa sit retentio menstruorum, mittendum esse sanguinem, primo ex basilica, secundo ex saphena.* At in affectibus vteri, iam statutum est ex Gal. semper secandas esse inferiores venas, nisi plenitudo sit causa affectus; quo casu, ex Aetio, secanda est vena cubiti. Quare, quod indistinctè docet Auicenna, de sectione basilicæ, coarctetur ad solum plenitudinis casum, in quo liceat secare superiores venas. Quare, cum subiungit, *quod fiat phlebotomia basilica illius partis, quæ sequitur declinationem matricis,* obseruetur, si simul adsit plenitudo in toto, quæ foueat affectum vteri; si autem sit plenitudo in solo vtero, dimissa basilica, secetur saphena pedis, è directo partis in vtero affectæ.

Si *causa præfocationis sit seminis retentio*, præ cæteris monet Auicenna *non esse mittendum sanguinem*. Ratio esse potest; quoniam hic exuperantia est seminis, quod & sui natura est frigidum, & ad sui perfectionem calefacientia requirit; cum autem huiusmodi sit semen, & hanc correctionem requirat, liquet, sanguinis missionem noxiam esse; cum ex se apta sit refrigerare. At cum copia seminis consueuerit fieri ex copioso sanguine, dico, quod si sanguinis, & seminis abundantia concurrant, secanda sit vena, ad demendam materiam præcedentem. Quod si semen abundet, ratione temperaturæ propriæ vasorum seminalium, sine abundantia sanguinis in toto, nequaquam mittendus est sanguis; quoniam hinc magis refrigeraretur corpus, & materia peccans non imminueretur.

Cap. XIX. Cum in præfocatione vterina tria adsint præter naturam, à quibus symptomata eam consequentia, vel dependent, vel imminent; quæ tamen in vnum conueniunt, tribus locis diuisa, tria etiam indicantur; nam omnia hæc symptomata dependent ab vnico illo vapore tetro, & malefico, eleuato à materia, quæ in vtero corruptionem passa est; qui tamen vapor cum triplicem habeat considerationem, nam alia eius pars iam petijt partes superiores, & membra principalia, alia ascendit, alia est in vtero, ideo etiam tria indicantur, scilicet, vt ille vapor, qui partes principales iam petijt, resoluatur; qui autem adhuc ascendit, reuellatur ad inferiora, & qui non-

dum

dum ascendit, sed est in vtero, discutiatur. Ad primam indicationem implendam facient hæc. Primò odores, vel fœtidi, vel rerum discutientium, & attenuantium, naribus appositi. Secundò sternutationes. Tertiò vociferationes. Quartò vomitus prouocatio. Ad secundam facient hæc. Primò frictiones partium inferiorum, & potissimum asperæ. Secundò ligaturæ, & compressiones earundem. Tertiò cucurbitulæ ad crura, ad poplites, ad coxas, & ad inguina. Quartò suppositoria, & clysteres acres. Ad tertiam, primo contrectatio pudendorum, & oris vteri, & præcipuè si hoc fiat digito intincto in aliquo oleo odorato, & aromatico. Secundò vsus Veneris. Tertiò omnia odorata, vtero, vel apposita, vel suffita. Quæ omnia optime aduertantur, & vsurpentur, vt mulieres in paroxysmo præfocationis possint eo leuari. Quæ omnia distinctè enarrare volui, vt omnium agendorum ratio distincta habeatur, potissimum verò, cum Auicenna in hoc Cap. confusè, & nulla explicata agendorum ratione processerit.

At mirari subit Auicennam, qui cum ad mentem omnium scriptorum doceat, ad leuandas mulieres præfocatione, fętida naribus, odorata verò vtero applicanda esse, primum exponens remedium, monet, *fundendum esse super caput mulieris præfocatæ oleum odoriferum calidum, & confortatiuum, quale est oleũ nardinum, & oleum de been*; quod tamen effusum super caput, non potest non dolere, & nares, ac cerebrum non afficere, & replere. Sed quod magis, idem hoc olei genus paulò infra supponendum esse docet, dum enumerans olea ad hoc conferentia, recenset oleum de been, & oleum foliatum. Quare mihi suspecta est hæc Auicennæ sententia, & censeo omnino abstinendum esse ab hac capitis perfusione; cum huiusmodi olea odorata præfocationem magis augere, quàm leuare sint apta.

Cur autem fœtida naribus, odorata autem vtero apposita mulieres præfocatas ab eo symptomate liberare apta sint, multi quæsierunt, & varij varias habuere sententias. Veritas tamen, meo iudicio, in eo sita est, cui explicandæ tria præmittenda sunt. Primum est, quod natura nostra hoc habet peculiare, quod dilatatur, & expanditur ad delectabilia, constringitur autem, & contrahitur ad noxia, quod exemplo hoc patet. Ingrediatur quis balneum aquæ tepidæ, dilatantur pori totius corporis, & expanditur totum corpus; descendat autem in solium aquæ calidioris, vel frigidæ, constringitur cutis, & totus habitus. Adueniat nuncius lætus, expanditur totum corpus, ex tristi verò contrahitur; quod non alia fit ratione, nisi quia natura nostra ad delectabilia expanditur; ad tristia autem constringitur. Secundum est, quod ex partibus corporis nostri, quædam gratis odoribus delectantur, & quidem, non quia sensum odoratum habeant; sed ex proprietate naturæ, & analogia, quam habent ad res odoratas; qualis est ventriculus, cui si inunctiones, linimenta, emplastra, & alia eiusmodi, ex rebus odoratis composita administrentur, summum persentit iuuamentum, & oblectamentum, prout & cor, quod adeo delectatur gratis odoribus, vt in syncope, tremore, languore, & omnibus eius passionibus valde ab his leuetur; si autem fœtida, & mali odoris applicentur, magis affligitur; huius item naturæ est vterus, non quia odoratum habeat; sed quia sympathiam cum bonis odori-

bus habens, his, & delectatur, & fouetur; quod quidem cum experientia ipsa testetur, non est quod de eo dubitandum sit; tertium est, quod vt testatur Hipp. & Gal. Lib. 5. Aph. 28. *Aromata, vel suffita, vel odorata capitis grauitatem faciunt*; cum tamen sint iucunda, & grata. Ratio est, non quia simpliciter cerebrum calefaciant; quoniam pura intemperies grauitatem capitis inferre nequit; nec etiam quia vapores ad cerebrum mittat; quia à solo vapore nihil grauatur, cum nec ipse grauis sit; sed quia, cum sint calida, calore suo, ad superiora, tum spiritus; tum sanguinem euehunt; cuius ratione, capitis grauitas sequitur; quod eo facilius succedit, quo qualitas id efficiens est abominanda magis; vnde cerebrum magis expanditur, & magis ad recipiendum spiritus, & sanguinem à partibus inferioribus disponitur. His cõstitutis, dico primò, odorata vtero apposita iure ad leuandas mulieres præfocatas prodesse posse, quia cum vterus ex proprietate naturæ, gratis odoribus delectetur, cumque nostra natura ad delectabilia se expandat, & dilatetur, odoratis appositis, vterus expanditur, & dilatatur, ac simul cum eo calor eius naturalis excitatur; vnde sequitur, quod dilatatis vteri porositatibus, & calore naturali suscitato, facile vapor ille prauus, ob qualitatem aromatum discussoriam resoluatur, & simul etiam consequenter materia illa, quæ superiora petebat, ad vterum reuocetur. Secundo dico, quod fœtida naribus, in præfocatis adhibita prosunt, quia cum natura nostra tristia refugiat, & ea adcõstringatur; fetida autẽ naribus apposita sint maxime molesta, & contra naturam, sicuti ab odoratis eleuantur spiritus, & sanguis ad cerebrum; ita refugiente natura malum illum odorem; contristato cerebro, retrahitur simul sanguis, & spiritus ad inferiora; in qua concentratione duo accidunt, alterum, quod concentrato calore, & sanguine, ac spiritu, facile discutitur vapor eleuatus ab vtero; alterum, quod simul cum sanguine, & spiritu retrahitur hoc motu vapor ille ad partes inferiores, & inde superiores ab hoc immunes fiunt, simulque mulieres releuantur. Si autem oppositum contingat, videlicet, quod naribus odorata; vel vtero fœtida in præfocatis apponantur, præfocatio, & morbus inualescit; quoniam odoratis naribus applicitis, ad superiora conuertitur sanguis, & spiritus; cuius ratione hæc in syncope prosunt, quia à corde sanguinem, & spiritum reuocant; in præfocatis autem hic motus est noxius; quoniam simul deuehit cũ sanguine, & spiritu vaporem illum, qui ab vtero expirat; & quidem tunc facilius, quam fieret alioquin à quocunque alio membro; quoniam materia iam mouetur, & fomitem habet in membro, quod cum odoratis magnam habet sympathiam. Quod si tunc temporis fœtida vtero applicarentur, refugiente natura molesta, & noxia, vterus contrahitur, & constringitur, & quidem eò magis, quo cum fetidis antipathiam naturalem magis habet; ex qua contractione in vtero, & incipiente à partibus inferioribus, per quandam in illis impressionem, maiori impetu transmittitur ille vapor ad partes superiores, & qui genitus est, minus discutitur, coarctato vtero, & simul etiam facta maiori humoris corrupti in vtero conculcatione, & infarctu, maior etiam sequitur corruptio, vnde habitus fit deterior, cuius ratione præfocatio postea inualescit, & magis affligit. Quod si non præsens suffo-

catio

catio adsit, sed immineat, vt fit in illis mulieribus, quibus humiditates prædictæ in vtero putrescunt, hæc eadem, scilicet odorata naribus, & fœtida vtero apposita apta sunt præfocationem inducere; quod non alia ratione, quàm quæ iam explicata est, contingere in actuali præfocatione fieri potest. Vnde qui illam nouerit, hanc non ignorabit.

Cap. XX. Sicuti ad anum decumbente sanguine, qui plurimum solet esse crassioris substantiæ, inde dilatantur vasa illa, & extrema venarum capita, ex qua repletione, & dilatatione turgent; ita in vtero pariter quandoque contingit, qui eiusdem affectus, prout qui fit in ano, idem nomen assumens, hæmorrhoidum appellatione donatus est; quæ sicuti in ano solent statis temporibus, & aliquando inordinatis circuitibus sanguinem, cum ab eiusdem vel copia, vel acrimonia reserantur, effundere; ita in vtero solent, vel certis, vel incertis periodis sanguinem excernere; & prout illæ quandoque sunt molestissimæ, & quandoque nimium dilatatæ maiorem copiam sanguinis, quàm ex præscripto naturæ par esset, effundunt; ita hæ pariter, vel dolore, vel sanguinis fluxu sunt molestæ. Quæ hæmorrhoides in vtero, cum plurimum in eiusdē ceruice, in eis venis, per quas tutò prægnantes aliquando nōnihil expurgantur, primis mēsibus, multo redundante sanguine fieri consueuerint, & hoc loco facilè deprehendi queant, hinc à nonnullis excogitatum fuit, in hac vteri parte tantum fieri has hæmorrhoides; quod tamen falsum ex eo deprehenditur, quod Auic. Aetius, & Paulus sensere, etiam in cauitate vteri has suboriri posse, nec tantum intra vterum; sed etiam Aetius addebat, intra pudenda. Ratio autem est; quoniam capita venarum desinentia ad vterum, & pudendum, possunt pariter sanguine crassiori repleri, & dilatari, antequam ex his sanguis erumpat; qua dilatatione facta, contrahunt hunc habitum, vt laxatæ tumeant, & ad recipiendum huiusmodi sanguinem disponantur, vnde dictæ sunt hæmorrohides.

Cap. XXI. Hæmorrhoidibus vteri triplex debetur curatio, prout triplex est earundem molestia; nam aliquæ sunt dolentes, quæ licet turgeant, sanguinem non effundunt; & hæ curantur per earum reserationem, exitum præbendo sanguini; aliquæ nimis hiant, & nimiam sanguinis copiam effundunt, quæ stypticis, & sanguinem sistentibus curantur; aliquæ autem dolore, & inordinatę sanguinis effusione molestæ sunt; quæ in duplici sunt differentia; aliæ enim sunt varicosæ, & malignæ, quæ curationem omnino respuunt; quoniam sæpius in cancros degenerant; aliæ autem sunt benigniores, quas curare oportet; vel medicamentis eas adstringentibus, & exiccantibus; vel chirurgica ope. Quæ omnia licet exponantur ab Auicenna; tamen quia confusa sunt, ea distinguere volui. Vnum tamen moneo, quod in administranda chirurgia Auicenna nimis adaucter apponit *dorso, pectini, ac alijs partibus circunstantibus pannos, infusos in aquis stypticis, niue infrigidatis*; tanta enim refrigeratio inutilis est, & admodum periculosa; cum membrum peccans sit substantiæ neruosæ, & temperaturæ frigidioris. Nisi forsan hoc faciat ad supprimendum sanguinem; sed vtcunque sit, res est periculi plena.

Cap. XXII. Quid per *clauos, vel vteri, vel pudendi* intelligat Auicenna, non clarum est; cum clauus, vt habet Aetius Lib. 14. Cap. 4. sit callosa eminen-

tia, capiti claui similis, quæ circa manuum extrema, & circa calcaneum frequens esse solet, quæ non videtur posse fieri, nec in vtero, nec in pudendo muliebri; fit enim tantum in illis partibus, quæ sunt osseæ, & duriores, qualis non est vterus, nec muliebre pudendum. Sed forsan quis existimauerit, per *clauos*, intelligendos esse thymos duriores, & verrucas, quæ sæpius muliebribus pudendis adnascuntur. At his non conuenit curatio sit Auicen. proposita per *lenificantia, & mollientia*: curandi quippe potius hi sunt, vel per chirurgiam, vel per medicamenta exiccantia, & absumentia. Quare in eam eò sententiam, vt phymon vteri, à Paulo dictum Lib. 3. Cap. 22. curet; quod mihi suadet, quia omnia remedia à Paulo eo Cap. exscribit. Ille autem affectus nil aliud est, quàm muliebrium locorum clausura, ex duritie; & ideo emollientia tantum ad hoc probantur. Notandum tamen est, quod dum Auicenna inquit, quod *supponantur pessaria, facta ex hyssopo, & nitro, & resina*, interpres errauit; cum debuerit dicere, ex œsypo, nitro, resina, & terebinthina; vt apparet ex ipso Paulo, à quo exscripsit Auicen. sed si hoc, superfluum est caput istud, cum superius egerit de clausura vteri.

Cap. XXIII. De duobus affectibus hic agit Auicenna. Alter est de *nympha* nomine *albatara*; alter de *cauda vteri*, nomine *fursus*. De primo egit Aetius Lib. 16. Cap. 103. De secundo egit Cap. 104. Quoad primum, sciendum est, nympham, eam esse partem, quam Græci Clitoridem appellant, & cuius contrectatione maximè delectantur mulieres; vnde, si multum excrescat, magis pronas ad Venerem eas reddit; cum ob eius excrescentiam à vestimentis continuè fricetur; cuius ratione Ægyptij, ad honestatem seruandã, consueuerunt eam secare suis mulieribus. At hæc sectio nostris temporibus non est in vsu; tum quoniam raræ sunt mulieres, quæ hanc excrescentiã patiantur; tum quia nostræ mulieres honestius vestiuntur, quàm Ægyptiæ. Quoad secundum, sciendum est, eam esse excrescentiam carnis, quæ adnascitur, vel vtero, vel pudendo; vnde pudendi cauitatem replens, mulieres impotentes ad coitum reddit. Cuius caudæ illud signum propositum ab Auicenna, quod *prolongatur in æstate, & abbreuiatur in hyeme*, est falsum, vt experientia compertum est; hoc tantum discrimine, quod sicut hyeme corpus est magis contractum, ratione ambientis frigidioris; æstate autem laxatum est, ratione aeris calidioris, quo tempore, venæ eminentiores apparent; ita caro hæc æstate maior videtur; quia ratione caloris aeris videtur tumidior; hyeme autem, concentrato sanguine, & spiritibus, à quibus caro, & venæ magis tument, videtur minor; non tamen quod ratione substantiæ, æstate augeatur; hyeme autem diminuatur.

Cap. XXIV. In sectione nymphæ, nomine *albatara*, monet Auicenna, *incisionem faciendam esse ex profundo, & ex radice, ne fluxus sanguinis accidat*; qui accideret, si in medio secaretur. At contrarium docuerunt, Aetius Lib. 16. Cap. 103. & Paul. Lib. 6. Cap. 70. admonentes, vt non funditùs illam resecemus; sed superuacua tantum pars amputetur. Ratio huius esse potest, ne scil. mulier penitus hoc membro naturali priuetur; & ideo rhœada, idest huius carnis detrimentum patiatur.

Caudam vteri, ex contrario monent Paulus, & Aetius, radicitùs ferro abscin-

scindendam esse. Auic. autem, eam per *ligationem cum filo factam abscindere* tentat; qui modus, nisi cauda habeat originem in penitioribus partibus, est magis eligendus, & probandus.

Cap. XXV. Quod *vterus hydropem* patiatur, & auctoritas Scriptorum, & experientia docent; sed in quo loco materia contineatur, non ita omnium est communis sententia. Alij enim in cauitate vteri; alij in vesicis vtero adnatis, vt voluit Aetius; alij autem, prout & nonnulli Arabes, intra tunicas vteri eam contineri iudicarunt. Quod in vteri cauitate contineatur, quandoque ingens tumor vteri, & magna aquæ copia subinde effusa indicant; cum in tunicis, aut vesicis tanta contineri nequeat. Quoad autem vesicas illas, de quibus Aetius, non est negandum, has in vtero, prout & in iecore, vt scribit Lib. 7. Aph. 56. adnasci Hipp. & repleri aqua posse. Ex his tamen magnus tumor vteri eleuari nequit; quia antequam hæ vesicæ in maiorem molem attollantur, disrumpuntur, & inde effunditur aqua. Quo autem ad eum casum, quo materia in tunicis vteri continetur, dico, posse fieri œdema, seu tumorem œdematosum; non tamen hydropem: in hydrope enim materia in vteri capacitate, non in substantia contineri debet. Præterea, materia in hydrope est aquosa; at quæ continetur intra tunicas, est pituitosa, & crassioris substantiæ, quàm quæ hydropem inducit. Si enim esset serosa, & aquosa, facile ex tunicis, in quibus tot sunt ora vasorum, in vteri cauitatem desinentia, dilaberetur in eandem. Quare, cum Aetio sentio, hydropem vteri tantum duplici prædicto modo fieri posse. Causæ huius affectus diuersæ ab Hipp. & ab alijs recensentur; veritas tamen in hoc consistit, quod huius hydropis duæ sunt immediatæ causæ. Altera est vteri intemperies frigidior; altera verò copia materiæ serosæ, & aquosæ, ad vterum demandatæ; quæ materia vitio alicuius visceris, & præcipue iecoris generatur, quam natura per propria vasa ad vterum, ad hanc suscipiendam à propria intemperie frigida dispositum, transmittit, in quo collecta, hydropem producit. Et hæc de differentijs, & causis, quas Auicen. neglexit, huius affectus, sufficiant.

Cap. XXVI. Auicen. iuxtà Aetiũ inquit, quod *hunc affectum antecedit retentio menstruorum*. Quæ sententia in eo veritati consentanea est; quoniã frigidiores vteri, qui ad hunc affectum proni sunt, sæpius mensium suppressionem patiuntur; non tamen eo sensu vera est, vel quod suppressio mensium sola sit causa huius affectus; vel necessario huic affectui mensium suppressio connectatur; tum quia experientia demonstrat, sexcentas mulieres, quibus ex suppressione diuturna mensium nihil simile accidit; tum quia certa periodo in aliquibus colligitur hæc aqua, & fit hydrops vteri; quæ tamen statis temporibus purgantur; quod nec Hipp. Lib. de Mul. negauit; cum eas affirmat *purgationes menstruas habere, licet pauciores, & deteriores*. In nonnullis tamen, quæ statis temporibus non purgantur, solet copiosa accumulari aqua, per effusionem sensim factam collecta, quæ veri conceptus similitudinem, intumescente ventre, exhibens, sæpè illudit mulieres, quas dum putant se vtero gerere, statim magna copia effusa aqua, expectatio, & spes frustrantur.

Cap. XXVII. In hydrope vteri, tria sunt principalia, à quibus curatiuæ desumi debent indicationes. Nam à tumore, quoniam fit à materia, indicatur,

vt

vt materia contenta in utero euacuetur; & quoniam in eo colligitur, ratione intemperiei frigidioris, indicatur vt vterus calefiat, & inde roboretur; quoniam autem hæc materia generatur vitio alicuius visceris, indicatur vt vitium illud (vel obstructio, vel intemperies) amoueatur; dum autem hoc fit, cum nec omnino impedita sit huius aquosæ materiæ generatio, indicatur vt quod genitum est aliò diuertatur, sicuti ad vias vrinæ, per quas consueuit natura huiusmodi aquosas purgare materias. His autem satisfacere non possumus, nisi prius totum euacuemus. An autem in totius euacuatione sit aliquando *administranda venæ sectio*, vt consulit Auicenna, non ita rationi consentire videtur; cum hic peccet materia frigida, & affectus membrorum in hoc morbo affectorum, dependeant ab intemperie frigidiori. Quare in hoc cauti sint Medici.

Cap. XXVIII. Cum exscribat hæc omnia Auicenna à Paulo, & ab Aetio; mirum quare non meminerit, inter causas inflationis vteri, grumi sanguinis; à quo potissimum existimarunt Græci posse suboriri hunc affectum; & quidem non abs re; cum ex grumis sanguinis calor naturalis partium eum continentium valde labefactetur, ex qua labe, & imbecillitate solent flatus ortum habere. Quare attendatur hæc causa, quæ in puerperis solet aliquando euenire, & inflationem magnam, non sine periculo excitare; nam retenti grumi, præter inflationem, solent accidentia similia lethali veneno inducere; atque insuper partem affectam aliquando ad cancrænam deducere. Si tamen in hoc casu, inflationem, quæ à principio leuis videtur momenti animaduertens Medicus, tanquam grumorum signũ æstimans, eorum dissolutioni det operam, omne periculum euitabit, & mulierem à morte vindicabit. Quam inflationem nonnulli Medici negligentes, vt experientia comperi, fuerunt causa, vt puerperæ vitam in partu cum morte commutarent.

Cap. XXIX. Aetius, & Paulus in hoc affectu, *nisi ætas, anni tempus, & regio obstiterint*, monent *secandam esse venam*; fortasse scil. ratione doloris. At nisi adsit plenitudo, forsan melius fuerit cum Auic. sanguinis missionem in hac curatione omittere; cum affectus hic dependeat à materia frigida, & caloris imbecillitas, cuius ratione flatus generantur, in eo adsit.

Cap. XXX. Flatus in vtero, vel efficiunt tumorem, & de his egit in præcedentibus capitibus; vel non eundem excitant, & de his, agit in præsenti. Verum quoniam ab ijsdem causis, à quibus, & fiunt superiores, generantur, eadem indicabitur curandi ratio. Quare ad superiora capita, in hac recurrendum erit.

Fen Vigesima Secunda Tract. I. Cap. I.

Cap. I. & II. INter causas eius herniæ, quæ fit ex ruptura peritonæi, recenset *retentionem spermatis, moti, & prohibiti ab expulsione sui*. Insuper recenset *ascensum mulieris super virum, in vsu Veneris*. At quoad primum, semen commotum continetur intra cyrsoides parastatas, qui sunt ad vesicæ ceruicem; non autem supra inguina. Quare, non est aptum disrumpere peritonæum. Quo autem ad secundum, Vir impositus mulieri,

minus

minus laboris subit in coitu, quam si mulier eidem sit imposita; in minori autem labore, minus periculum disruptionis imminet. Quare hi duo casus mihi suspecti sunt.

Facta ruptura, inquit Auicenna, *descendit aut zirbus, aut velamen, aut intestina*. At quod detur hernia omenti, & intestinorum, omnibus in confesso quidem est; sed quod in hernia *descendat velamen*, ideſt peritonæum, est præter rationem; cum ipsum sit ruptum, & præbeat alijs rebus descendentibus prolapsum.

Inter species herniæ, seu rupturæ, recenset eam, *quæ fit supra sumen, vel supra vmbilicum*, dicens, *eam raram esse, comparatione ad alias rupturas*. Circa quod sciendum est, hanc sententiam veram solum esse in viris; quoniam rari sunt homines, qui hanc patiantur; plurimi autem herniam ad inguina. In feminis autem; oppositum contingit; quoniam plurimæ supra sumen ruptura laborant; quod plurimum fit ex laborioso partu; rarissimæ autem herniam ad inguina patiuntur. Rarissimas autem dixi, non omnes excludens; aliquæ enim similem viris ad inguina rupturam incurrunt; & quidem non absque ratione; cum cremasteres musculos, viris similes habeant, qui eundem situm, & formam, non autem magnitudinem obtinent; & ideo nec in mulieribus hæ herniæ sunt adeò molestæ, aut periculosæ, ac in viris.

Cum autem subiungit, quod *omne, quod est ex ruptura supra sumen, vel supra vmbilicum, est malorum accidentium, quamuis sit paruæ additionis; quoniam plura mala symptomata, & tandem Ileon, & mortem inducunt*, sententiam, quæ experientiæ non respondet, proponit. Nullas enim vidi, cum plurimas viderim mulieres, ex hoc periclitatas, nec mortuas; cum tamen è contrario quàm plurimos viros nouerim ex inguinis hernia mortuos. Sed forsan Auic. alludit ad sententiam Hipp. Lib. 2. Epid. sub finem, dicentis, *herniam supra vmbilicum in dextra parte esse dolentem, fastidiosam, & Ileum inducentem, qualis Pittaco fuit*. At hic casus est particularis; de qua autē Auic. est, sermo vniuersalis. *Obseruatio.*

Cap. III. In distinctione ramicis intestinalis ab hernia omenti, inquit, *Illam vero, quæ fit ex zirbo, & siphac significant, &c.* In qua distinctione notandum est illud verbum, *siphac*, quo videtur annuere, peritonæum etiam in hernia descendere, contra rei veritatem, vt superius notaui.

Proponens signa herniæ omenti, in fine, inquit, *Et reditio eius, quæ est ex intestino, & zirbo est difficilior, quàm ventosæ*; quasi eius sit sententia, & omentum in hac hernia in proprium locum reduci possit. At Aetius Lib. 14. Cap. 22. dicebat, *Nam in hernia omenti semper in scroto omentum persistit; neque vnquam transfertur*.

Ramicen aquosum distinguens, inquit, quod *in hoc aqua non redit, & non ingreditur*. Quod dicit, ad differentiam ramicis intestinalis, in quo intestina reducuntur in proprium locum, cum redeant, & ingrediantur peritonæum. Hæc tamen Auicennæ sententia, quam mutuatus est ab Aetio, & Paulo, licet plurimum vera sit; non est tamen vsquequaque vera; nam experientia testatur, quandoque hanc aquam redire ad partes superiores, & ingredi peritonæum; quod tantum non ego vidi, sed etiam Guido, & Petrus de Argelata hoc idem affirmant, dicentes, hanc *aquositatem quandoque intrare siphac*; &

pro-

propterea dicunt se vidisse multos deceptos circa hoc, credentes esse rupturam.

Cap. IV. Præceptum illud, quod *patiens apud coitum sit strictus circa rupturam*, videtur superfluum; quoniam dum curantur patientes herniam, omnino coitum, vt monet in principio Cap. dimittere debent. Quare hoc obseruetur tantum, cum ægri non curantur à Medicis, ne in deterius labantur.

Cap. V. Repetit Auicenna, in hernia omenti, contra sententiam Aetij, *omentum posse reduci in proprium locum, & hoc cum resupinatione, & compressione cum manu*. Nisi forsan ibi Aetius intelligat, omentum non reduci ex sola resupinatione; hic autem Auicenna addit, & *compressionem cum manu factam*.

Monet Auicenna, *super rupturam nihil apponendum esse, quod sit figuræ sphericæ*. Aetius tamen Lib.14.Cap.24.id exscribens ex Theodoro, proponit *medicamentum ex charta*, quod *admirandum* appellat, *madida, & in modum pilæ efformata*.

Cap. VI. Sciendum est, herniam aquosam in pueris facile sanari. At in adultis difficillima est eius curatio, per sola localia; non enim sanantur omnino; sed sæpius recidiuam patiuntur curati; etiam si per sectionem omnino aqua expressa fuerit. Quare, vel cauterio prohibeatur affluxus aquæ; vel, quæ est tutior curatio, impediatur aquæ generatio; quæ non aliunde ortum habet, quàm ex viscerum mala dispositione, cui si incumbat Medicus, recidiuam prohibebit.

Cap. VII. Cum flatus eleuentur à materia, si morbus sit contumax, ne quicquam Medicus perficiet localibus medicamentis, nisi eodem tempore purgatione adhibita, tollat materiam, ex qua flatus eleuantur. Quare, prius concocta materia, purgatio adhibeatur; postea localia, & resoluentia administrentur.

Cap. VIII. Hernia carnosa duplex est. Alia dura, & cancerosa, quæ non est tractanda à Medico; altera autem non cancerosa, quæ manu chirurgica curanda; non enim admittit simplicem scirrhorum curationem.

Obseruatio. Varicosa curatur ab Auicenna satis ineptè, cum ad hanc adstringentia, quibus profiteor me plurimas sanasse, vsurpari debeant; ipse autem *laxantia* sola adhibeat, inungendo *vnguento basilicon, & pinguedinibus lenibus, & medullis*; quorum vsus, relaxatis vasis, disponit ad sanguinis descendentis faciliorem susceptionem potius.

Cap. IX. Sicut in inguinis ruptura aliquando procidit intestinum, aliquando omentum; ita in ruptura vmbilici, laxato, vel rupto peritoneo, aliquando procidit omentum, aliquando intestinum; si sola sit ruptura peritonei, procidit primo omentum, deinde etiam, eadem aucta, intestinum. Si autem cum peritoneo ruptum sit omentum, procidit intestinum solum. Quomodo autem distinguantur, habetur ex Paulo Lib.6. Cap.51.

Cap. X. *Et quod est ex sanguine*, inquit Auicenna, *est sanguinei coloris, & nigri*. At cum duplex hic tumor sit, ex sanguine scilicet, vel venoso, vel arterioso; nam quandoque hoc fit, aperta vena, quandoque autem aperta arteria; iure de vtroque fuit agendum, & vtriusque signa proponenda; hæc scil. si sit ex vena, est tumor, sanguinei quidem coloris, & ad nigrum tendentis;

sed

sed etiam immotus existit: qui autem ex arteria, est eiusdem coloris sanguinei, at minus ad nigrum tendens. Praeterea est cum pulsatione: nam hic sanguis est arteriosus, & spiritibus turgens, & tumor est ex genere aneurismatis.

Cap. XI. Quemadmodum aneurismata non veniunt curanda; ita procidentiam vmbilici ex dilatatione vasorum, vel ex spiritus interclusione, monet Paulus, non tractandam à Medico chirurgica opera. Auicen. tamen periculum paruipendens, docet, quandoque hanc quidem incidendam esse: sed sutura postea sanandam.

Cap. XII. Quatuor affectus praeter naturam patitur spina, quoad dispositionem situs ossium, scilicet gibbositatem, Repandam figuram, obstipam, & quassationem. Gibbositas, est cum ad exteriora incuruatur spina: repanda figura, cum ad interiora, obstipa; cum ad latera; quassatio est, cum loco quidem motae iuncturae, ac compages spinae sunt; vertebrae tamen in sua sede permanent. De primis tribus egit Gal. Lib. 6. Aph. Com. 46. Lib. 4. de Loc. Aff. Cap. 5. Lib. de Artic. à Com. 1. vsque ad 53. & Hipp. ibidem; de quarto autem egit Gal. Com. 3. de Artic. Tex. 2. Hippoc. ibidem Tex. 53. Auicenna autem hunc quartum affectum, qui tamen quandoque succedit ex casu ab alto in pedes, praetermisit; de reliquis autem tribus tantum tractauit.

Galenus, & Hipp. inter causas horum trium affectuum, solum recensent *panos ad spinam enatos*, seu tubercula crudiora, circa ligamenta spinae suborta. Auicenna autem alias duas addit, scilicet, *humiditatem lubrificatiuam, & mollificantem ligamenta spinae; aut ventositatem grossam, expellentem ossa à loco suo*. At hae duae causae non videntur ita rationi consentaneae; quoniam humiditas lubrificans, & mollificans potest quidem laxare ligamenta, & membri laxitatem, & debilitatem inducere; sed quod distorquere spinam queat, non videtur posse fieri; quoniam ad spinae distorsionem requiritur vt ossa sua sede dimoueantur, quod à sola hac humiditate ligamenta imbuente fieri nequit: quoniam ea quidem laxare, non verò simul ossa potest. Nisi forsan haec humiditas fuerit mucosa, multa: quoniam ab hac possunt adeo laxari articuli, vt sua sede excedant; cuius rei exemplum habemus in coxendico morbo; vt testatur Hipp. Lib. 6. Aph. 59. In spina tamen hic casus est difficilior, & rarior. Quo autem ad *ventositatem*, nulli dubium, quin ventositas, dum in illis ligamentis conclusa dolorem infert, faciat aliquam distorsionem, quoad rectam hominis figuram; quoniam ex dolore cogitur magis ad hanc, quàm ad illam partem declinare: prout fit etiam aliquando in dolore colico, & renali; quod tamen possit dimouere ossa loco suo, non est possibile, cum maior sit renixus ossium, ratione duritiei eorum, & roboris, ac multitudinis ligamentorum, quamuis, & facultas ventositatis: quae quidem partes membranosas, & valde ductiles, potest valde extendere, si cauitatem insignem, & magnam, qualem intestina, & vterus, habeant; non tamen eas, quae cauitate ampla carent: & quae ob earum crassitiem, & robur, quale est ligamentorum spinae, non facile cedunt, potest extendere, & inde ossa suo loco dimouere. Quare superest sola Galeni, & Hippoc. in hoc casu amplexanda

da sententia; quas vero addit Auicenna considerandæ sunt, non quod distorsionem in spina efficere possint; sed quod hanc, vel debilitare, vel dolore afficere queant.

Cum inquit Auicenna. *Et quandoque fit propter spasmum ligamentorum, & est pauci casus, & velocis interfectionis*, est casus opisthotoni, aut emprosthotoni, in quibus spina conuulsa curuatur, vel in partem posteriorem, vel anteriorem; quæ curatio cum sit morbi acuti; ideo dicitur ab Auicenna *pauci casus, & velocis interfectionis.*

Ea sententia. *Et subtiliantur crura habentis gibbositatem, propter illud quod facit gibbositas de oppilatione quorundam meatuum, & viæ, in quam penetrat cibus;* simpliciter prolata vera nō est: nam cum gibbositas, & in parte superiori supra septum, & in inferiori sub septo contingere possit; si sit supra septum, crura, & brachia, vt habetur ex Hipp. Lib. de Artic. Tex. 6. ad perfectum augmentum perueniunt. Galenus autem in Com. dicebat, *crura, & brachia in hoc affectu nullam prorsus læsionem sentire*. Si autem sit infra septum, coxæ tantum graciliores euadunt; vt habet Hipp. ibidem Tex. 11. quo loco Gal. affirmat, per illā vocem, *graciliores*, intelligere Hipp. etiam cum gibbositas est supra septum, è regione thoracis, coxas quoq; graciles reddi, sed mediocriter; graciliores autem euadere in gibbositate infra septum, è regione lumborum. Quare vera tantum sententia Auicennæ, de coxis, non autem de cruribus. Sed forsan male interpres traduxit hanc sententiam, quam Auicenna à Gal. & ab Hipp. mutuatus, eo loco exscripsit.

Cap. XIII. *Signum gibositatis factæ ab apostemate, est tactus loci.* At ista apostemata sunt interna; ideo tactu percipi nequeunt; nisi forsan, per *tactum*, intelligat, quod possimus sentire locum dolentem, non apostema. Cum autem addit, quod *adest dolor pungitiuus, & quod adsunt accidentia habentium febrem*, non vsquequaque hoc verum est; quoniam cum fiant pani, & tubercula ex cruda materia, nec fiunt febres, nec adsunt illi dolores; quod accidit tantum, vel in inflammatorijs tumoribus; vel in suppurante materia.

Proponit signum gibbositatis, factæ à *siccitate*; cuius tamen non meminit, recensens causas. Sed in hoc alludit ad gibbositatem ex conuulsione; quæ sicuti ex plenitudine, ita ex inanitione, & siccitate membri fieri potest.

Cap. XIV. Quemadmodum distorsiones spinæ, factæ ex casu, aut percussione, vt docet Hipp. Lib. cit. de Artic. sanari non possunt; quia vertebræ suo loco motæ, nec per extensionem, nec per compressionem, nec per vllum aliud machinamentum possunt restitui; ita censendum est, si ex morbo, vel ex aliquo interno affectu hoc idem accidat, nequaquam fieri posse vt gibbositas huiusmodi sanari queat; nam licet affectus gibbositatem efficiens tollatur à Medico; non tamen tolli potest gibbositas ipsa; cum vertebræ ipsæ causa ablata non restituantur in locum proprium; quæ restitutio si arte fieri non potest, neque etiam à natura speranda; cum in ossium restitutione plus polleat ars quàm natura ipsa. Quæ causa est vt censeam, affectus hos, quorum hic curationem tradit Auicenna, nequaquam propriè dici posse gibbositatem; cum in his ossa, & vertebras potius inclinare in aliquam partem, quàm sua sede dimotas esse sit iudicandum; non enim si dimota essent,

pos-

possent medicamentis solis appositis restitui; sed cum hi affectus efficiant aliquam distorsionem, non tamen per ossium luxationem, si curentur, iterum spina dirigitur, & in pristinum statum reducitur, quod cum fiat, iure à me, & humiditas illa lubrificans, & mollificans, & ventositas crassa, à causis spinæ incuruationem efficientibus exclusæ fuere.

Cap. XV. Varices à duplici excitantur sanguine; nam *alius est melancholicus; alius non melancholicus*; vt docet Gal. Lib. de Atra Bile Cap. 4. Distinguntur autem ab inuicem, quod à melancholico, nigriores fiunt venæ; vnde iure Gal. Lib. 4. Aph. Com. 2. explicans signa atræbilis, inter ea apposite addebat *varices denigratas*. Quæ cum optimè aduertisset Auicenna, meritò assignans differentias varicũ, alias dicit fieri *à sanguine melancholico*, & hoc vt plurimum, *alias à sanguine non melancholico, qui tamen crassus sit, sicuti phlegmaticus*. Verum Gal. loco citato, innuebat, has etiam fieri posse ex sola sanguinis copia, venas dilatare apta.

Monet Auic. varices sæpè accidere, *propter agritudines acutas; quoniam ad eas expellitur materia in illis, qui ad hoc præparati sunt*. At oppositum docuerunt Hipp. & Gal. qui melancholiam, splenes induratos, & similes affectus, nunquam autem acutos sanare docuerunt; vt habetur Lib. 6. Aph. 21. & Lib. 6. Epid. Sect. 6. Com. 24. Sed forsan Auic. citatum Aph. malè intelligens, per *insanientes*, intellexit phreniticos; cum per *insanientes*, melancholicos intelligere debeamus; vt Gal. expresse docuit in Commento.

Cap. XVI. Hic affectus solet succedere iter facere non assuetis, estq; tumor, non ex vllo genere tumorum præter naturam; quoniam non adest materia conculcata; sed fit potius ex magnitudine pedum, qui in molem naturali maiorem aucti sunt, ex plurimo nutrimento crassioris substantiæ eo decumbente; cuius ratione fit, vt excrescant, & graues sint; quia nutrimentum non est naturalis conditionis. Et quoniam qui hunc patiuntur affectum habent potius pedes rotundos, ad similitudinem pedum Elephantis, quàm longos, ad similitudinem humanorum; ideo Auicenna hunc affectum vocauit *Elephantiam*.

Cap. XVII. Hæc signa sunt communia, tum varicibus, tum Elephantiæ; quoniam sunt indicia materiæ peccantis, non affectus; ipse enim affectus solo sensu visus deprehenditur.

Cap. XVIII. Curans elephantiam à melancholia, monet, ei *succurrendum esse cum vomitu laborioso, & cum eo, quod extrahit phlegma, & melancholiam*; quæ non assequimur, nisi cum Elleboro albo; ad quem credo allusisse Auicennam, per hæc verba: *Cuius vsum tam laudaui, & in hoc casu probo*.

Fen Vigesima Secunda Tract. Secundus Cap. I.

Cap. I. PRopter *vehementem repletionem venæ cauæ*, monet aliquando *fieri dolorem dorsi*. Sciendum tamen est, si simplex sit ista repletio, nulla accedente insigni intemperie, solam dorsi grauitatem; non vero dolorem persentiri. Cum autem subdit, *Ob communitatem matricis, sicut fit, dum appropinquat descensus mensium*. Notandum est, quod in hoc casu pariter est sola

dorsi grauitas, nisi sanguis, vel sit aliqua praua qualitate corruptus: vel si recipiatur parte aliqua vteri, & ob eiusdem ligamenta, dorsum consentiat.

Cap. II. *Dolorem dorsi ex crudo humore*, inquit *sedari per exercitium*. At sciendum, hoc signum verum tantum esse, si pauca sit eius humoris copia: quoniam hęc ex motu discuritur; si autem plurimus sit, magis augebitur; quoniam maior inde succedit fluxio, colliquata materia, & incalescente membro læso, ex quo facilius recipit, & facilius patitur.

Cum manus invenit dolorem, inquit Auic. *causa doloris est in dorso*; *& si non invenit, tunc causa est in ventre*. Quasi dicat, quod si tactu persentitur locus dolens, doloris causa est in dorso, idest in parte externa; si autem non, est in ventre, idest in parte interna: non autem sentit, manu circunscribi locum dolentem; quia siue sit in parte externa, siue interna, potest manu circunscribi.

Cap. III. & IV. In hoc Cap. hoc vnum notandum est, quod si materia peccans plurima sit, non sufficient localia; sed requiritur etiam præcedens humoris peccantis euacuatio.

Cap. V. *Causa efficiens, sunt complexiones, & materiæ malæ*, ait Auicenna. Quo ad materias, nulli dubium quod hæ sunt morbi propinquæ causæ, ex internis: quo autem ad *complexiones*, possumus intelligere remotas, scilicet, membra mandantia, ratione propriarum complexionum; vel debilia, generationis malæ illius materiæ causæ, vel robusta, à quibus genita excrementa possunt ad eas partes transmitti. Quare, per *complexiones* (cum indistinctè locutus sit) possumus vtraque intelligere, alioquin esset diminutus, inter causas efficientes huius morbi, membra mittentia non recensens; quorum tamen inferius distinctè meminit.

Explicans rationem debilitatis partium suscipientium, inquit, hanc debilitatem fieri, vel *ex malitia complexionis, vel ex errore creationis, non ex parte complexionis*. Quasi innuat, alia ratione, quàm ex intemperie fieri debiliores has partes; prout fit in his, qui morbum hunc, tanquam hereditarium susceperunt in generatione, à parentibus. Sed non alia videtur esse hæc causa, quàm intemperies; nam semen à patre decisum, nihil ex membris eius suscipit, quàm temperaturam; cum semen sit corpus similare, licet diuersarum partiū. Quare, sola temperies est causa vt hic morbus sit hæreditarius; ex qua intemperie postea succedet etiam laxitas illarum partium, quæ licet ex materia habeatur, tamen nisi huic intemperies succederet, non ita esset prompta ad suscipiendum; & ideo inferius dicit Auicenna, quod *hic morbus est hæreditarius*; *quoniam sperma est secundum complexionem generantis*.

Inter causas Arthritidis, recenset Auicenna *ventositatem*; cuius cum non meminerint, nec Gal. nec Aetius, qui de hac materia fusius egerunt, videtur dubitandum, nec immerito, cum flatus possit quidem in articulis dolores inducere, prout & si in qualibet detineatur cauitate: non tamen arthritidem verā, nisi per arthritidem, omnem articulorum dolorem, vt inquit Gal. Lib. 3. Aph. 16. intelligamus; cum propriè tantum dicatur arthritis fieri ex humorum fluxione.

Vnum notandum est ex Auicen. videlicet, quod *aliquando in contumaci podagra*,

dagra, oritur inter iuncturas, & proprie inter digitos, caro; cuius cum non meminerint Græci, videretur forsan iure dubitandum, an hoc fieri possit; sed cum experientia hoc testetur, non est quod quis hoc in dubium reuocet. Hoc tamen sciendum, quod caro hæc non est simplex caro; sed vel fungosa, & laxa, vel quandoque dura, non autem naturalis. Quare potius ad aliquod tumoris, quàm carnis genus videtur referenda.

Inquit Auicenna, *dolores iuncturarum à principio sanari posse; si autem confirmentur, & assuescant, & præcipuè, qui fiunt ex humoribus diuersis, non amplius curationem recipere posse*. At Gal. solam eam podagram, in qua tophi generantur, & inuertuntur articuli, pro insanabili habet.

Proponit differentiam *inter sciaticam, & dolorem anchæ*, quasi sint duo diuersi morbi. At Græci pro vno habent, & sub nomine Ischiadici doloris hæc duo complectuntur, licet aliquando diuerso vsi nomine, de his egerint, & meminerint quandoque coxendici doloris.

Podagram cholericam, inquit Auicenna, *attrahere mortem subito*. At experientia contrarium suadet; cum hæc facilius quàm cæteræ sanetur, ob tenuitatem materiæ. Quare nisi accidat corpus debile, & cum febre vehementi, non est dubium, hanc, mortem nedum subito, sed nusquam inferre.

Cap. VI. Recensens huius morbi signa, clare se prodit eius sententiæ, vt existimet, hūc morbum fieri posse ex simplici intemperie sine materia. At cum hic morbus propriè dictus fiat ex fluxione, non ex simplici potest fieri intemperie. Quare improprie, per arthritidem, omnem articulorum dolorem intellexerit, vt etiam dicebat Gal. loc. cit. Lib. 3. Aph. 16.

Ex *signis humores peccantes indicantibus*, prætermisit periodos, & accessionum typos, de quibus Aet. ex Philagrio satis suse egit.

Serosi humoris signa docens, proponit in primis *caliditatem vehementem, cum re, quæ est quasi pruritus*. At istud signum non est generatim verum, sed tantum de Ichoribus biliosis, vel pituitosis salsis; non autem de cæteris; nam cum ichores humorum propriam eorum naturam sequantur, non omnes eiusdem sunt naturæ. Quare, in hoc recurrendum est ad Aetium Lib. 12. Cap. 18. quo loco certa, & manifesta serosorum humorum habentur indicia.

Cap. VII. In curatione horum morborum, *si causa fuerit sanguinea*, monet Auicenna, *administrandam esse phlebotomiam ex parte contraria*. At duo in hac sententia expendenda sunt. Alterum est, an si materia peccans non sit sanguinea, venæ sectio conueniat. Alterum, quæ vena in his affectibus secanda sit; Quoad primum, subiungebat paulo post Auicenna. *Si materia sit subtilis, vel mista, non esse secandam venam; quoniam phlebotomia commouet humores, & eos currere facit, & non educit materiam in hoc morbo peccantem*. Quare hanc damnare videtur in biliosa materia, eam solum in sanguinea probans; cuius cum non meminerit in alijs materijs, videtur omnino ex Auicenna, non esse secandam venam, nisi sanguine abundante, & peccante. Eandem autem videtur amplexus Gal. qui nusquam meminit sectionis venæ in his morbis, nisi in plenitudine sanguinis. Aet. pariter hos sectari visus est, cum in curatione horum morborum de missione sanguinis ne verbum quidem fecerit, nisi in fluxione sanguinea. Paulus autem contra non tantum cum san-

guis redundat, cum mittit; sed etiam in pituitosioribus, & melancholicis, cum in venis plurima horum succorum pars contineatur. Quare videtur dubitandum, quid de sectione venæ in prædictis casibus sit sentiendum. Ego autem in hac scribentium varietate ita procedendum censeo, vt cum morbus vrget, & dolores inualescunt, constantibus viribus, in qualibet materia sit secanda vena; non autem in sola sanguinea; nam si corpus exuperante, & peccante materia est leuandum, citius, & tutius ex sectione venæ quàm ex alia qualibet euacuatione id sperandum, simulque eius ope validissima fit confluentium humorum reuulsio; cumque in venis eandem abundare materiam, quæ peccat in reliquo corpore sit existimandum, secta vena hanc facillimè minuet. Quare, siue peccet biliosus, siue pituitosus, siue melancholicus succus, semper suppositis dictis conditionibus, venæ fiat sectio. Nec in hoc Auic. sententia est amplectenda, qui reformidat, peccante materia materia subtili, vel mista, sectionem venæ, existimans scil. ex ea humores cõmouendos, & magis fluidos fore; nam peccante bile, & potissimum tenui, fiunt attrocissimi dolores; at in vehementissimis doloribus non tantum secat venam Gal. verum etiam vsque ad animi defectum. Præterea falsum est, ex sectione venæ magis fluere humores; cũ potius reuelluntur, & reuocentur, iuxta mentem Gal. & Hipp. vbique; nec tantum reuellantur, sed etiam firmantur, & temperantur, ijs refrigeratis per venæ sectionem; cuius ratione admittitur in phrenitide à bile, & peripneumonia, in pleuritide, & omnibus cæteris acutioribus morbis à bile manantibus. Quod nusquam conueniret, si venæ sectio humores commouendo, eos fluxiliores, & facilius ad partem patientem recursuros redderet. Et hæc de primo. Quoad secundum, inquit Auicenna, *in contraria parte esse phlebotomiam administrandam*. At quid per contrariam partem sit sentiendum, iuxta dogmata Auic. non videtur clarum; cum duo hìc intelligi possint, scilicet, vel quod affecta parte dextra fiat venæ sectio in sinistra, & affecta sinistra, fiat in dextra; vel quod affecta parte dextra superiori fiat sectio in dextra inferiori, & affecta sinistra, in sinistra, è directo loci patientis. Ex quibus sententijs prima improbatur, quoniam cum reuulsio debeat fieri per communes venas, & è directo loci patientis, vt docet Gal. Lib. 2. ad Glauc. Cap. 2. nulli dubium, quin in primo casu, neq; seruetur communio venarum, nec loci directio; secunda autem potest esse ad mentem Aetij Lib. 12. Cap. 23. qui ex Philagrio docet, affecta manu dextra secandas esse venas inferiores partis dextræ; affecta autem manu sinistra sinistras in crure aperiendas; quæ sententia probatur, quoniam in hac operatione, & communiones venarum, & loci directio optimè seruãtur. Sed vnum addit Aetius, quod dubium videtur, videlicet, quod si affectio sit in partibus inferioribus, secentur superiores, è directo loci patientis, ita vt affecto crure dextro, secetur vena interna in brachio dextro; affecto autem sinistro, secetur interna brachij dextri. At contraria videtur esse Gal. sententia Lib. 13. Meth. Cap. 4. dicentis. *Manu laborante, scarificabis crura; altero crure male habente, reliquum*. Quare, non videtur, affecto dextro crure, secandam esse venam internam brachij dextri; sed potius mittendum esse sanguinem ex altero crure. Ad hoc sciendum est, Gal. eo loco, in tradenda cura-

curatione inflammationis adenosarum partium, quibus plenitudo accedat, pro eius euacuatione alternatim locutum esse, cum hæc scribit. *Cogimur autem alias sanguinem mittere, idque aut vena incisa, aut membris ijs, quæ læsa non sunt, scarificatis;* ita vt probet, vel venæ sectionem, vel scarificationem. Per venæ autem sectionem, intelligit, vt alias dictum est, eam quæ in cubito fit; cum mos sit Galeni, cum simpliciter venę sectionis meminit, de superiorum venarum in cubito sectione loqui; per scarificationem autem, intelligit eam, quæ fit, non in membro affecto, sed in membris non læsis; cuius vsus est, vt habetur in proprio libro, cum ab altera ad alteram partem materiam deducere volumus. Quare duplicem probat in hoc casu sanguinis missionem, scilicet, vel per venæ sectionem; vel per scarificationem. Hoc præmisso, non amplius sermonem habens de venæ sectione, cuius sæpissimè normas, & modos exactissimè docuerat; sed descendens speciatim ad scarificationē, de qua pręceptum nusquam tradiderat, subiungit. *Manu laborante, scarificabis crura*, idest, si adenibus brachij, ex vlcere in manu laborauerint, & inflammati fuerint, seruando directionem loci, scarificabis crura. Subdit autem. *Altero crurum malè habente, reliquum*; idest, si adenes in altero inguine, ex vlcere cruris malè se habuerint ab inflammatione, alterum crus scarificabis, quoniam ita, cum ex diuaricatione venæ cauæ ad inguina, duo sint rami, ex eodem fonte, & origine manantes, nutrientes ambo crura ęqualiter, ex altero inguine, & crure materiam deduces, & deriuabis, facta diuersione per venam consentientem vtrisque partibus. Quæ norma in specie tradita est de scarificatione à Gal. non autem de sectione venæ; quoniam scarificatio potest diuertere materiam à partibus superioribus ad inferiores; non autem ab inferioribus ad superiores. Ratio est; quia ista euacuatio non fit per vasa, per quæ facilis est reuulsio ab vna parte ad aliam, sicuti quæ fit per sectionem venarum; sed fit incisa cute, & carne, in quibus sanguis, qui nutritioni destinatus educitur. In qua euacuatione copiosus effluet, dum mole sua ad inferiora declinans propria grauitate descendit à partibus superioribus; qua ratione fit, vt si scarificentur partes superiores, sanguinis parcior semper fiat euacuatio, vt eleuentur potius partes scarificatæ superiores, quàm inferiores; vnde altero crurum male habente, non scarificat Gal. partes superiores, quia minima hinc fieret reuulsio, & potius partes superiores, quàm inferiores leuaret; sed alterum crus, quoniam hinc facta euacuatione, diuertitur sanguis, qui ad idem posset fluere, qui plurimus eò ad inferiora, ex propria natura decumbens fluit; ex quo imminuta plenitudine, totū vacuatur corpus. Hæc autem intelligantur de simplici scarificatione, quæ magis Antiquis, quàm nobis in vsu fuit, & de qua Oribasius Lib. 7. Coll. Med. Cap. 18. & 19. & 29. non autem de ea quæ per cucurbitulas, vt nostri moris est, fieri solet; hęc enim non solum educit sanguinem, quia secta fit cutis, & discissa caro; sed etiam ex alto, & ex longinquo attrahit; scarificatio autem simplex nihil huiusmodi; sed puram illam euacuationem, sine attractione, habet. Quare concludo, normam hanc traditam esse de sola scarificatione; non autem de venæ sectione; cuius si vsus futurus sit, seruetur Hipp. & Gal. dogma, videlicet, vt fluentium humorum retractio fiat

per

per directum loci patientis, ad oppositam partem, per communes venas. Quapropter, in arthritide, si mittendus sit sanguis, ad mentem Aetij, ex Philagrio, in hoc Gal. consentiente, affecto pede dextro, secetur vena in cubito dextro; & pariter affecto pede sinistro, secetur in sinistro cubito. Quæ norma maxime obseruanda est in arthritide, & podagra; quia si ægrum leuare volumus, non ad pedes deriuanda est materia, cum alter affectus sit; sed in totum reuellenda ab inferioribus partibus, & quidem per venas è directo.

Dum Auicenna tradit modum euacuandi per pharmacum, monet *summo mane id sumendum esse, quo sumpto, post tres horas, sumat 10. aur. panis cum vino, & aqua pauca, & post sex horas ingrediatur balneum, & egrediatur.* Sed cui, vsui, ante perfectam euacuationem exhibere cibum; atque ab assumpto pharmaco ingredi balneum; cum sit contra Hipp. Lib. 2. Reg. Acut. 13. atque hoc impediat pharmaci operationem, vnde laudantur à Gal. Lib. 1. ad Glauc. balnea in fluxionibus ad ventrem; atq; insuper etiam fundat materias, cuius ratione maior ad articulos fluxio concitari potest.

Cap. VIII. In efformandis medicamentis ad purgationem arthriticorum, docet, *phlegma non solum esse euacuandum; sed cum eo materiā biliosā; quoniam educta tantum pituita, iuvamentum est momentaneum, quod facile tollitur; quoniam materia biliosa relicta facit currere iterum phlegma ad locum patientem.* At in hoc suppositum Auic. est falsum; videlicet, quod materia biliosa, & calida sit ea, quæ præbeat motum pituitæ ad articulos; vt patet ex his: nam arthritis à quacunq; materia seorsū potest induci, vti omnes testantur Scriptores, & ipsemet Auic. professus est. Igitur ex sola pituita, sine permistione bilis, potest fieri arthritis. Præterea, fluxionis causa non est calidior materia; sed robur membrorum transmittentium, vi virtutis expultricis, cuius ratione quælibet materia ad articulos transmittitur. Quare statuatur, quod peccante pituita sola, hæc euacuetur, sine bilis eductione; tum quoniam non peccat; tum quia etiam si sit naturalis, potius faciet ad coctionem, quàm ad fluxionem. Hoc autem Auic. præceptum tantum obseruetur, si miscella humorum peccantium ex pituita & bile constet.

Cap. IX. Monet, *nonnullos ex sapientibus probasse, ossa humana in potu exhibita facere ad arthritidem.* Attamen existimo ego hoc superstitiosum potius esse; cum nouerim experientia, non solum humana, sed etiam alia ossa ad hoc facere; quod item testatus est Gal. Lib. 11. de Simp. Med. Cap. de Ossibus, & Aet. Lib. 12. Cap. 47. qui ossa simpliciter, non humana expresse ad hoc celebrarunt.

Obseruatio.

Cap. X. XI. & XII. Hæc omnia remediorum genera, quæ in his tribus capitibus sunt exposita, exscripta sunt à Græcis, & antiquioribus Medicis; quorum tamen delectus maximè haberi debet; cum enim arthritis à quacunque fieri possit materia, nec in qualibet vnumquodque remedij genus conueniat; ideo hæc ita indistinctè prolata, nisi summo delectu in vsum veniant, potius damno, quàm vtilitati esse poterunt; nam vt dicebat Gal. Lib. 1. & 2. de Comp. Med. secundum loca. *Qui indiscriminatim, & citra distinctionem auxilia scripserunt, maius detrimētum, quàm emolumentum hominibus attulere.*

Cap. XIII. Damnat *omne balnei genus, præter aquas thermarum.* At si hæ aquæ essent bituminosæ, vel alia ratione relaxantes, forsan etiam essent noxiæ.

Cap. XIV. *Ceratum factum ex adipe, & oleo chamamelino, cum cinere caulium*, est optimum quidem ad discutiendum, sed quod sit inter *anodyna, & lenia*, qualia sunt supra explicata, nec veritati, nec rationi consentit; dicebat enim Gal. Lib. 7. de Simpl. Med. Fac. Cap. de Crambe, quod hìc *cinis est admodum exsiccans, & tantum, vt iam caustica, siue adurente vi participet.* Hęc autem non dicuntur sedantia dolorem.

Cap. XV. Alludens ad sententiam Hipp. propositam Lib. 5. Aph. 25. laudat *affusionem aquæ frigidæ, ad inducendum torporem.* At in hoc sciendum est, hanc aquæ frigidæ affusionem laudari à Gal. ad mentem Hipp. in inflammatorijs tantum tumoribus podagricorum; non vero in quibuscunque alijs.

Cap. XVI. Videtur præter rationem, quod curãs *dolorem ventosum articulorum* in compositione medicamẽti, adhibeat *sem. citrulli, & opium.* Alterum quidem quia est frigidum simpliciter; alterum vero quod stupefaciens validissimum sit. Quæ duo non indicantur in hac curatione; cum tantum sit attenuandum, & discutiendum, præmissa, cum multa est materia, à qua eleuantur flatus, totius euacutione.

Cap. XVII. Hoc genus cauterii conuenit in Ischiadico dolore; in cæteris autem arthritidis speciebus nequaquam. Sed quomodo aptè inurenda sint Ischiadicis, docet accuratè Aetius Lib. 12. Cap. 3.

Cap. XVIII. Superius Cap. 13. Docuit, *balneationem cum aquis calidis, & humidis, noxiam esse in arthritide*; quoniam colliquat humores, & magis dilatat poros articulorum; qua ratione præceps magis fit fluxio. Hoc autem in loco laudat *balneum aquæ dulcis; ad prohibendam tamen apertionem meatuum, & materiæ fusionem*, iubet, vt postea *submergantur in aqua frigida.* Quare per *balneationem cum aqua calida, & humida*, intelligit eam, quæ fit solum per calidam, non administrata subinde frigida.

Cap. XIX. Iterum repetit, ex balneis noxia esse calida; frigida autem, quia *repatiuntur, & confortant, & sedant dolorem, esse quandoque vtilia.* At conuenientior est affusio, ad mentem Hipp. & Gal. loco citato, quàm balneatio; affusio enim minorem infert neruis læsionem, & maioris efficacię est in alteratione. Balneatio autem ex opposito magis neruosas afficit partes, & minus est efficax. Quare tutior est affusio, quàm balneatio.

Cap. XX. Tradita forma medicamentorum soluentium, subdit formam rationis victus quo isti vti debeant, dicens, quod *isti iuuantur plurimum à cibis frigidis, & grossis, sicut sunt illi, qui fiunt ex lentibus, cum aceto, & reliqui infrigidantes, & sanguinem ingrossantes; sicut sunt illi, qui præparantur cum agresta, & cum aceto.* At hæc ratio victus indiscriminatim omnibus arthriticis nequaquam conuenit; sed eis tantum, in quibus fluxio dependet ab humoribus tenuioribus, & calidioribus, quales sunt biliosi. Cum autem pituitosi, aut melancholici peccant potius, ex hoc genere victus augeri possent, quàm sisti; hæc enim ciborum genera, videlicet frigida, & crassioris substantiæ, magnam habent analogiam cum succo melancholico.

Cap. XXII. Qui sedent, & non possunt stare, hoc ex duplici causa pati possunt,

sunt, scilicet, vel quia articuli spinæ tantum patiantur; vel partes infra spinam. In primo casu, vertebrarum articuli affecti sunt, & in his contingit affectus quassationi (cuius superius meminimus) similis. In his, vti, & in cæteris arthritidis speciebus, fluxa est materia ad articulorum cauitatem; qua repleti, ad motum sane, sed præcipuè ad standum inepti sunt; dum enim stamus, omnes vertebrarum articuli è directo se sustinent, quia si patiantur, ad hoc parum sunt habiles, qui tamen possunt sedere, quoniam in eo situ spina minus laborat, non se sustinentibus tunc inuicem vsquequaque articulis; sed tantum non quiescentibus. Quare, hæc species affectus refertur ad arthritidem in articulis spinæ. Si autem hoc eueniat, quia partes infra spinam affectæ sint, tunc morbus non ad spinam, sed ad inferiores articulos referendus erit; qui casus, sicuti à præcedenti, essentia; ita etiam curatione differt.

Cap. XXIII. Sicuti balneationes habebat suspectas Cap. 13. ita easdem hic damnat, monens, *minorandas esse eas; quoniam liquefaciunt humores, & eos faciunt currere ad iuncturas*; per quam *minoratione* intelligatur abstinentia, alias præceptum, & ratio esset frustra; quoniam etiam pauciores balneationes ad hanc fluxionem efficiendam ibidem aptæ sunt. Quo autem ad thermales, quas in paroxysmo admittit, sciendum est, pro diuersitate materiæ peccantis, diuersa etiam aquarum thermalium, genera conuenire. Quare, non omnia omnibus, nec singula omnibus conueniunt; sed singula singulis, pro ratione materiei peccantis.

Cap. XXIV. Quod *curatio Ischiadici doloris, qui partem sinistram obsederit, sit difficilior ea, quæ parti dextræ laboranti administratur; est præter rationem*; quoniam vnica est vtriusque partis structura, forma, & natura. Nisi forsan opinetur Auicenna, partem sinistram natura imbecilliorem esse; quia frigidior sit, cum sit è regione iecoris, quod omnium viscerum intra abdomen contentorum est calidissimum. At hac ratione omnes morbi partis sinistræ essent deteriores, & curationi magis reluctantes; cui tamen è contrario experientia ipsa refragatur, & ratio, qua alias ex Hipp. probaui, morbos partis dextræ esse deteriores.

Laudat phlebotomiam simpliciter, vbi affectus ex sanguinis fluxione dependeat; si autem causa sit phlegma, non simpliciter, sed quandoque. *Et multoties*, inquit *eam conuenire*. In cæteris autem casibus, an conueniat non expressit. At quid prohibet, si fluxio sit biliosa, mittere sanguinem? cum hac, sanguis, & humores refrigerari, reuelli, & firmari possint. Si etiam in massa sanguinis succus melancholicus abundet, nõ erit causa cur sanguinem non mittamus; ita enim reuellere, & materiam imminuere poterimus. Quare, licet peccante sanguine, simpliciter probanda sit venæ sectio, non est quod eam in cæteris casibus excludamus, nulla re contraindicante.

Cap. XXV. Licet quæcunque materia calidioribus, ac resoluentibus egeat, in fine; non tamen in omni materia pariter calida vsurpari debent, nam bile peccante, ac sanguine, calida quidem, sed non adeo intensè, nec acria; pituita autem, ac succo melancholico morbũ fouente, & calidiora, & acriora in vsum venire possunt. Quare cum delectu hæc administrentur medicamenta,

menta, non autem indiscriminatim, vt proposita sunt ab Auicenna.

Cap. XXVI. Quod dictum est de medicamentis præscriptis in superiori capite, transferatur ad Epithemata, Emplastra, & ad cætera omnia, de quibus hoc tractatur in Capitulo.

Cap. XXVII. *Hæ pustulæ ab humore melancholico dependentes*, assimilantur ab Auic. *fructibus tamarisci*. Hippocrates autem, & Galenus has assimilauit, vt habet Lib. 6. Epid. Sect. 3. Tex. & Com. 37. *fructibus terebinthi*; qua ratione dictæ sunt ab ijsdem hæ pustulæ *terebinthi*, qui propriè in cruribus generari solent, & affectuum melancholicorum curatione egent; atque forsan, loco *tamarisci*, legi debet *terebinthi*.

Cap. XXVIII. Quomodo calcanei contusio ex *casu curanda sit*, explicatissimè habetur ab Hippocrate Lib. 2. de ijs, quæ in medicat. Tex. 16. & Tex. subsequentibus. Quare ad eum recurrendum est; sed mirum, quod Auicenna vtatur *perfusione aquæ frigidæ*, cum Hipp. vtatur calida; & iure quidem, quoniam hæc ad discutiendum, & tollendum dolorem est aptior.

Cap. XXIX. Docet, *in Eunuchis, & castratis, pedum debilitatē contingere ex oppilatione viarum nutrimenti ad ipsos*. At oppositum ratio demonstrat, castrati enim, ac eunuchi pinguiores post castrationem redduntur, ergo copioso fruuntur alimento. Igitur in ijs viæ alimenti non oppilantur, si autem hoc fieret, extenuarentur, denegata alimento via; non autem pinguescerent. Quare alia est assignanda causa, hæc scilicet. Ex castratione deperditur vigor, & calor, vna cum ea qualitate, quæ à testibus toti corpori communicatur, cuius ratione, virilitatem consecutus, ad omnes actiones aptior redditur; his autem deperditis, cui dubium, quod membra externa, & quæ longius distant à corde, qualia sunt pedes, patiantur magis, languescente eo calore, & qualitate, quæ à testibus subministrãtur, cum constituãtur ex partibus osseis, & neruosis, quæ omnes propria natura sunt frigidæ. Quare censendum est, eunuchos pedibus esse debiles; quia in eis, naturali calore deficiente, languor, & imbecillitas succedit.

Cap. XXX. & XXXI. De affectibus Vnguium exquisitè egit Aetius Lib. 14. à Cap. 74. vsque ad Cap. 80. & Paulus Lib. 3. Cap. 81. Quare ad hos recurrendum est, vt perfecta horum curatio, quæ ab Auicenna satis imperfectè explicata fuit, habeatur.

FINIS.

INDEX

RERVM NOTABILIVM.

Epi-

Index Rerum Notabilium.

Index Rerum Notabilium.

Hy-

FINIS.

ERRORES IMPRESSIONIS CORRECTI.

79	Posa	posca.
85	fictus	ficus
86	::eque	atquè
91	hæmoroidum	hæmoroidum
155	non	nec
247	Vila	illa.
149	expurgati	Expurgari.
150	audacissimi	Timidissimi
155	Intellegit	Intelligit.
168	Vb.	Vbi.
177	innuere	innuere.
179	portionibus	potionibus
181	Intemperie	Intemperies
188	Si au hac	Si autem hæc
199	præcipiè	præcipuè.
365	Curatios	Curratio
374	Corruptam.	Corruptum.